

Quercetan, Rediviv,
hoc est
ARS MEDICA DO-
GMATICO-HERMETICA
Ex Quercetani Scri
ptis digesta
Opera
JOANNIS SCHRÖDERI
M.D.
Francofurti
Sumptib, Joannis Beyeri
1648.
S. fec.
ERMES.
GALENUS.

QUERCETANUS REDIVIVUS,

hoc eſt,

ARS MEDICA DOGMATICO-HERMETICA,

ex Scriptis

IOSEPHI QVERCETANI, CHYMIATRI celeberrimi, Conſiliarij ac Medici olim Regij,

TOMIS TRIBUS DIGESTA:

Quorum

I. ARS MEDICA MEDICATRIX.
II. ARS MEDICA AVXILIATRIX.
III. ARS MEDICA PRACTICA.

Operâ

JOANNIS SCHRÖDERI MED. D. REIP. IMP. Mœno-Françofurtanæ Phyſici ordinarij.

FRANCOFVRTI,
Apud Joannem Beyerum.
ANNO M. DC. XLVIII.

ILLVSTRISSIMIS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS,

Dn. JOANNI OXENSTIRN, Axelij Filio, Comiti in Södermöhre, Baroni in Kymitho, Domino in Fyholm, Hornigsholm & Tyllegarn, Reg. Majest. ac Regni Sueciæ Consiliario, Legatoq; Plenipotentiario in Germania Pacis Tractatibus destinato.

Dn. CAROLO GUSTAVO WRANGEL, Domino in Schogclo-ster & Rostorp, Reg. Majest. & Regni Sueciæ Consil. Generali militiæ Duci & Mareschallo.

Dn. GUSTAVO HORN, Eberhardi Filio, Domino in Kanckas, Porcala, &c. Reg. Majest. & Regni Sueciæ Generali Exercitus Majori.

Illustrissimi ac Generosissimi Domini.

MEditatus sum multoties, Illustr. Excell.^a Exc.^a Excell.^a V.^a V.^a V.^a in arduo illo pacis procreandæ negotio à Serenissima ac Potentissima Regina Coronaq; Sueciæ Vobis imposito, felicitatem ac successum à Deo vovere ac precari, sed deterruerunt me hactenus vestra sublimitas, meaq; tenuitas. Vtrumque tandem submovit vestra humanitas.

nitas. Humanitas, inquam, quæ mihi, præterquam quod ex genere indoleq; propria eluceat, sufficienter ac peculiariter perspecta est. De genere nihil hic attinet dicere, utpote quod nulli Europæ tractui ignotum. Vt prætercam Sueciam ac Finnoniam vobis natales, vidit Germania virtutes magni illius AXELII OXENSTIRN, Regni Cancellarij, Legatique Regij, à Rege primi. Admirata est Polonia, Livonia, Dania, Prussia Virtutes VVRANGELIORVM. Præcipue militiæ Mareschalli p. m. Parentis tui Illustrissime VVRANGELI. Experta est virtutes HORNIORVM funesta Parenti tuo Generosissime HORNI Moscovia seu Ingermannia, imò Polonia, Livonia, Germania ac tandem Dania. Mareschallorum enim vices etiam ab Atavis ad Parentem p. m. & Patruum militiæ Mareschallum illum in Germania ac Livonia (ubi nunc Gubernatorem agit) ob virtutes celeberrimum, Dominum meum, quasi Iure hæreditario sunt devolutæ. Virtutes hæ Majorum in filiis eo sunt celebriores, quo magis Virtutes propriæ iis superstructæ emicant. De his autem utpote ob oculos versantibus, malo tacuisse, quam lumen solis candelâ illustrasse. Iuvenilia tamen ut saltem attingam: admiratus sum non raro Illustrissime Comes, avidissimum illum studendi conatum, quod, cum Parisiis degeres, vel cœnâ jejunus noctes multas insomnes studiis impenderis. Nec sine successu. Etenim desiderium quomodo expleveris, arduum hoc pacis componendæ negotium Illustr. Exc. tuæ inprimis commissum largiter testari poterit. Lubet & specimẽ juvenile recẽsere: Quum Academiæ Anglicanæ Cãtabrigiensis ac Oxoniensis certatim Illustr. Excell. tuam una cum HORNII Excell. solemniter susciperent, honores, quibus Magnatibus gratulari solent, magisterij scil. honorem vel spontè vobis offerrẽt, unanimiq; civium Academicorum applausu solemnissimè conferrent, ipsemet, non sine omnium applausu, doctâ oratione non præmeditatus, respondebas.

Ad Illustr. Exc. tuam Illustrissime VVRANGELI, nec minus miratus sum ingenium tuum singulare, in linguis variis ac inprimis in artibus mathematicis exercitatissimum, quod tum Lugduni Batav. tum in itinere communi Anglicano-Gallico, tum in Gallia per tempus conspexi ac observavi. Hoc tuum ingenium in tantum accrevit, ut summæ militiæ Ducis ac Generalis Mareschalli, honores ac vices promeruerit.

Tandẽ ad Excell. tuam Illustr. HORNI; nec minus lingua variæ,

Finnonica, Suecica, Germanica, Gallica, quin etiam Latina ac Italica te decorant, ut sileam artes itidem mathematicas Fortificationem ut vocant, atq; exercitia moresq;, quæ Nobilitatis summa sunt ornamenta. Miratus quoq; sum multoties indolem ac animum tuum generosum, cujus specimina quinquennij spacio observavi, quo meo usus es servitio, meq; itinerũ ac peregrinationis ex Finlandia per Daniam, Germaniam inferiorem, Galliam, Angliam, Germaniam, comitem adoptasti. Sed quorsum hæc omnia? Vt inde de humanitate Illustr. Exc. Exc. Exc. V.ª V.ª V.ª constet. Humanitas enim virtutum reliquarum fulcrum ac basis merito habetur. Hâc igitur nixus audaciam subeo vos Viri Illustrissimi ac Generosissimi, gravissimis licet negotiis intricatos, compellandi. Inprimis quoq; me movit singularis vester in me favor, beneficiaque in me affatim cumulata. Eapropter ut aggrediar quæ meditatus sum hactenus, ambigo equidem, quum jam rumor percrebruerit, de pace prælo ultimo ut dicitur subjecta, utrum præferam, votum ne successus in cõponendis, an gratulationem de compositis. Vtrumq; meditor: Faxit DEVS, omnia vergant ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ suæ stabilimentum, animarũq; salutem ac emolumentum. Sed ne literæ hæ meæ inanes abirent, adjunxi comitem, quem submissè vobis offerro ac consecro, librarium hunc partum meum non-meum. Non meum sed Quercetani, quoad scripta prima ab ipso frustulatim, confusè & in multis obscurè edita: Meum quoad coordinationem, amputationem, illustrationem ac auctionem. Scopus hujus est componere dissidium medicum, quod maximopere intercedit inter Hermeticos ac Dogmaticos. Faxit itidem Deus, bono auspicio. Paxq; in Politicis, pax & in medicis (condonate muscam leoni comparem) erigatur, stabiliatur, fulciatur. Suscipite igitur Illustrißimi Patroni monumentum hoc chartaceum, de pace in partu jam constituta, Illustr. Exc.ª Exc.ª Exc.ª V. V. V. elevatum, meque patrocinio ac favori vestro ulteriori commendatum patiamini. Dabam è Musæo, ipso die Gustavi qui est 23. Martij: Francofurti Imperial. Anno 1648.

Illustr. Excell.ᵃ Excell.ᵃ Excell.ᵃ V.ᵃ V.ᵃ V.ᵃ

Devotißimus.

Joan. Schröderus, Med. D.

AD

AD LECTOREM.
S. P. Lector benevole.

EXcurrit quadrimestre, quo consultus à Bibliopola, quodnam scriptum pro tempore prælo judicarem dignius; commendaverim Opera Josephi Quercetani Galli, Medici olim Regij, collectim edenda scil. quæ hactenus frustulatim prodierint. Consuluit idem Virum nobilissimum Dn. MAXIMILIANUM zum Jungen/ in Imperiali hac Repub. Senatorem ac Scabinatus Assessorem, Virum (absint blanditiæ) in omni scibili oculatissimũ, bibliothecâ librorum etiam rarissimorum locupletissimum, literarum promotorem officiosissimum adeoq; Scholarcham Gymnasii nostratis meritissimum. Hic approbavit consilium, modo ipsemet qui dederim consilium operi afferrem auxilium.

Monitis his Bibliopolæ gratificatur, scripta penitius intuitus sum, reperiq; multa inibi occurrere obscura, multa superflua, multa ab arte medica heterogenea, nec pauca cõfusa, locisq; peregrinis inserta. Horũ emẽdatio cũ omnimodam scriptorum transpositionem rerumque ad coordinationem requisitarum additionem, adeoque laborem tædiosissimum requireret: horrui primum, temporis perpendens brevitatem (præfixæ enim editioni fuerunt nũdinæ hæ vernales) labori minimè respondentem, præcipuè cum praxis ægrotis debita, diurnum præripiat. Verum enim vero prævaluerunt tandem tanti illius viri authoritas, desiderium promovendi studium medicum, nec non stimulus hinc inde à viris doctissimis superadditus, inter quos non ultimi fuerunt Vir clarissimus STEPHANUS CAHAGNESIUS Academiæ Cadomensis Professor Medicinæ celeberrimus; ut & acutissimus atq; in Philosophia Hermetica exercitatissimus D. D. SAMUEL CLOSSÆUS, Physicus Mediomatricibus famosissimus, &c. Adii itaq; opus, praxi quãtum licuit succidi, lucubrationesque nocturnas impendi, tantumque Dei auxilio feci, ut scripta Quercetani quæ lucem viderunt, certa methodo coordinata, amputatis superfluis ac heterogeneis; collectis confusis; illustratis obscuris; additisque necessariis aliisque scitu dignis, tecum, benevole lector communicẽ, quod quanto labore præstitum sit, tibimet pristina cum hisce conferenti relinquo judicandum.

Sunt autem scripta illa: Pharmacopœa Dogmatica restituta; Diæteticon polyhistoricum: Tractat. de Priscorum medicina cum consiliis: Tetras morborum capitis: Pestis alexicacus: Defensio medicinæ Hermeticæ: Responsio ad Aubertum: Incursio ad excursum Riolani: Spagyrica medicamentorum præparatio: Sclopetarius cum Antidotario Spagyrico. Hæc sunt quæ digessimus; Reliqua enim, ad quæ lectorẽ nõnullibi author remittit, in lucẽ

nondum

nondum prodierunt. Sed restant Lector de quibus te commonere oportet. Primum est, quod res eædem diversimodè tractatæ nonnunquam occurrant id quod factum scias, ut eædem, siquidem à vulgari via quadantenus recedunt, eò dilucidius innotescant. Secundum est, quod in nonnullis ab opinione authoris discedam, nixus scil. rerum analogiâ. Hanc tamen discrepantiã, facili negotio conciliare poteris sin minus, elige probabilius. Nec enim mea vendito ac si errare nequeam: homo sum, humani nihil à me alienum puto; ipsemet si meliora doctus fuero, cedere non recuso. Tertium est quod correcturæ adesse non vacaverit, tempus enim quod praxi subtrahere licuit, opus elaborandum sibi sumpsit. Hinc factum, ut contra voluntatem correcturâ incuriosa ac peregrinâ plurima irrepserint errata, quæ tamen excerpere tempus curtum prohibuit. Annitar tamen, Deo volente, ut quæ sensui derogare potissunt, nundinis futuris compos esse possis. Reliqua enim quæ facilè conspicua sunt, ipsemet corrigas. Scribimus enim tyronibus quidem Medicinæ, non linguæ latinæ, His vale. Et si qua incongruè tractata occurrerint, boni consule, temporis brevitati adscribe, atque data occasione politiora expecta.

J. S. D.

SYN-

SYNOPSIS.

Ars Medica.

- *I.T. Medicatrix.*
  - *Isagoge.de regno.*
    - *1 Divino*
    - *2 Angelico*
    - *3 Naturali i.e.de*
      - *De Naturæ*
      - *Macrocosmi*
      - *Microcosmi*
        - *Essentia ac Principiis*
        - *Actionib.*
        - *Existentia*
  - *Pathologia de Indispositionis*
    - *Naturâ*
    - *Differentiis*
    - *Mediis seu causis*
    - *Subjecto: loco*
    - *Adjunct. Signis*
  - *Therapia*
    - *Præservatoria*
    - *Curatoria.*
- *2 Auxiliatrix.*
  - *Diateticade 6.rebus non naturalibus*
  - *Pharmaceutica ſ. Pharmacopæa*
    - *Dogmatica ſ.generalis*
    - *Spagirica ſ. Specialis*
      - *Mineralogica*
      - *Phytologica*
      - *Zoologica*
  - *Chirurgica. ſ. Chirurgia*
    - *Generalior*
    - *Specialior: Sclopetariis*
- *3 Practica de.*
  - *Peste*
  - *Pleuritide*
  - *Epilepsia*
  - *Apoplexia*
  - *Vertigine*
  - *Paralysi*
  - *&c.*

INDEX CA-

INDEX CAPITUM QUÆ IN QUERCETANI REDIVIVI TOMO I. CONTINENTUR.

PATHOLOGIÆ

THERAPIA.

CAP.

PHAMACOPÆÆ Generalis.

CHIRVRGIÆ GENERALIORIS

CHIRVRGIÆ SPECIALIORIS SEU SCLOPETARIJ.

DE PARTICVLARI HORVM vulnerum curatione varijsq; illorum Symptomatis.

QUERCETANI REDIVIVI.

TOMI III.

DE PESTE.

QUER.

QUERCETANI REDIVIVI TOMVS I.

Hoc est,

ARS MEDICA MEDICATRIX.

VIDELICET

Isagoge, Pathologia, & Therapia.

ISAGOGE.

Cap. I.

De Definitione ac distributione artis Medicæ.

ARs Medica est *Ars bene medendi, id est, sanitati consulendi, adeoque dicitur & Medicina sive Iatrica.*

N. 1. Maluimus Artem Medicam inscribere quàm Medicinam, siquidem de hoc nomine diversæ sunt ac discrepantes Medicorum sententiæ. Alia namq; est Hermeticorum medicorum, seu eorum qui Hermetis Trismegisti omnium philosophorũ celeberrimi, ac vetustissimi, sequuntur sententiam. Alia est dogmaticorum, seu eorum qui sunt sectatores Galeni. Hi quippe per medicinam, & artem ex certa præceptionum coadcervatione ad sanandos, profligãdosque humani corporis morbos: & medium, quo illud præstatur, hoc est remedium, vel simplex vel ex pluribus simplicibus commixtum, intelligunt. Illi verò per medicinam non artem quandam ad humani corporis sanitatem conservandam, morbosq; pellendos, comparatam intelligebant: sed quandam potiùs essentiam in rerum natura sensibus sese offerẽtem. Verùm non statim, ac primo quoquo obtutu, sed artificiosa, ac legitima præparatione ex rebus omnibus, quotquot sub cœlo sunt, erutam, & ritè ad humani corporis affectus, & languores profligandos ad-

ministratam, hăc, inquam, propriæ, ac veræ medicinæ nomen sibi vendicare censent, secundum quam etiam verus Medicus comperiatur: Nam ut in vniuersum omnes artes, ita quoque medicina, artium, extra cõtroversiam, nobilissima, sibi materiam quandam sumit, eiusque proprietates, virtutes actiones conditiones effectus, cæteraque ad eam pertinentia diligẽtissimè rimatur. Quibus cognitis atq; perspectis, nondum satur, sed ulterius pergens, quali insuper præparatione, quibus mediis, quali denique methodo atque processu ad usus humanos possit accommodari, inquirit. His demum perceptis, inventis atque cognitis, ars vera constituitur medica. Brevibus Dogmatici Medicinam ac Artem medicam pro vno eodemque sumũt, Hermetici Medicinæ nomine ipsa medicamenta perhibent, atq; præcipuè balsamicam medicamentorum essentiam, quâ res quælibet non modo in se viget, sed & habilis existit, proprietatibus suis ut dicam, ipsa sua Essentia seu natura Balsamum alterius ac inprimis hominis, cuius gratia omnia creata sunt iuvare; καθ' ἐξοχὴν denique Medicinã illam universalem veterum medicinæ vocula exprimunt, de qua infra & in hanc viam descendit quoque Syracides, dum medicinam ab altissimo ex terra creatam esse asserit.

N. 2. Cognominatur Dogmatico-Hermetica à duabus illis medicorum sectis, hoc seculo nostro famosis, quorum opiniones sive doctrinę inibi ut plurimum componuntur. Mirum præclara semper ingenia extiterunt, quæ summam curam, summumque studium posuerunt in excolenda, promovendaque arte, seu facultate medica, in qua non tantùm cum laude versati, sed præ aliis etiam excellere gestiebant. Hoc studium licet præcipuum, & commune omnibus, atque adeò singulis idem, (quippe unum omnibus intentum, vnus scopus) sentiendi tamen & opinandi varietate distinctum sola procedendi, collimandique diversitate, in partes diversas fuit distractum. Nam alii medicinarum facultates solis experimentis addisci posse, magna contentione asseruerunt. Hi Empirici priscis dicti, etiamnum hodie illud nomen retinuerunt. *Secta Empirica.* Alii nescio quid compendii in arte difficillima (quam longam dixit Hippocrates, [*Alph.* 1.] nos verius immensæ longitudinis, atque difficultatis) quærentes, dum singula ad paucissima quædam capita redigere conati sunt, pro compendio, quod satagebant, dispendium invenerunt. Hi semet methodicos, omine haud minùs, quàm nomine gloriosò vocitarunt, Thessalica hæc secta, à Thessalo authore, homine summæ impudentiæ (quòd & spacio semestri tantam artem addisci posse dicere non veritus sit) fuit appellata: utrãque prædictarum superciliosè repudiantes alii, nec soli experientiæ inniti, nec in arctum tantam disciplinam contrahi æquo animo ferentes, rationem quoque in subsidium artis

com-

cōparādæ accerserūt. Hos dogmaticos vocant: secta, si quæ alia medicorum, nobilis, & ob gravissimos, quos semper habuit autores, celebranda. Priores duæ, vel ante Hippocratis tempora ad Galenum vsque in summa existimatione à plerisque fuerunt habitæ: quas tamen idem Galenus in libro suo de Sectis proponit, examinat, atque confutat. Tertiam verò, hoc est, suam dogmaticam, inquam, ab Hippocrate (ut ille ait) mutuatam principiis quibusdam vniversalibus, uti hypothesibus suis solent Geometræ, superstruxit. Ea sunt: Omnia ex quatuor elementis tanquam primis & vniuersalissimis principiis sensibilibus, certa quadam & convenienti proportione mixtis, oriri, ex cujus mixtionis symmetria in viventibus sanitatem: ametria verò morbum excitari: Rerum omnium virtutes, atque facultates ab elementorum illa mixtione, seu mixtionis exuperantia promanare: Uniuscuiusque rei formam essentialem ex certa elementorum mistione, & temperatura insurgere. Qualitates constituit quatuor, duas activas, calidum & frigidum: totidem passivas, humidum & siccum. Secundas qualitates constituit, nempe sapores, odores, colores, aliasque sensibiles ex illis primis deducit. Quatuor humani corporis (quos vocat) humores, sanguinem, pituitam, bilem & melancholiam, analogia quadam primis elementis respondere statuit. Iisdem principiis ac fundamentis, & ipsemet Galenus, & omnes quoque eius sectatores suffulti non tantùm omnium morborū, & symptomatū causas ascripserunt: sed & ipsis primis qualitatibus, in mixtis tamen, seu compositis corporibus existentibus, vim & potestatem omnem ad profligandos morbos, inesse dixerunt: Ac proinde contraria contrariis curari, calidum frigido, humidum sicco, horumque unumquodque suo contrario, ceu regio quodā edicto, ideoque firmo, ac indubitato axiomate promulgarent. Hinc infinitæ medicamentorum compositiones, ac formularum varietates promanarunt. Quarum materia ex familia tam vegetabilium, quàm animalium, & mineralium deprompta est. Atque ex hac diversorum remediorū farragine, tertium (q; vocant) medicinæ instrumentum, quo sanitas deperdita restitui debeat, emanavit, nempe pharmacopœa, seu ratio præparandorum dispensandorumque medicamentorum. De quo medicinæ Galenicæ instrumento omnibus ferè medicis ad usum, ad gratiam, addam: Et si lubet illud, ad pompam præcipuo, cognituque necessario, hoc suscepto opusculo disserendi spartam suscepimus.

Sed antequam rem ipsam specialiùs attingamus, libet aliquid de quarta, multis nova, nobis verò vetustissima habita pauciffimis anticipare. Quartam, inquam, hodiè putant, & faciunt medicinæ sectam spagyricam, de cuius dignitate, ac vetustate hoc loco pluribus differere non necessarium ducimus. *Spagyrica.*

Fatendum tamen hoc loco, & verè fatendum, hanc esse, si rationem & experientiam habeat, tanquam organa subsidiaria, totius medicinæ imperatricem. Hujus sectæ antecessores, & rationem, & experientiam faciunt maximi, sed utriusque alios fontes, alia statuunt fundamenta. Rationem quippe non vulgatis, & vel vulgò notis, elementorum, mixtorumque proportionibus adscribunt, sed res ipsas intuiti & contemplati, ibi rationem quærendam efficaciter contendunt, ubi rationis sit fons, & scaturigo: atqui hanc non in extrinsecis, & universalissimis illis mundi elementis, sed insitis, sed in propriis corporum essentiis quærendam satius ducunt. Hîc aqua hæret: hæc diversitatis occasio: hoc totius spagyricæ fundamentum. At quid sit insitum illud elementum, quod & omnis vitæ, omnisque medicinæ statuũt fundamentum, mox patebit. Unum illud nunc addam, hujus sectæ asseclas, non tam compendii rationem, quàm medicinę invictam efficaciam naturæ insuper optatissimum solatium, præter præparationem, subtiliationem, dosin, atque gratiam (quæ mera sunt accidentia) summam omni medicinæ attulisse perfectionem.

N. 3. Inseritur vocula bene, quæ idem hic sonat, quod cito, tuto, jucunde. Medicantur enim quandoque Vetulæ, Judæi, Agyrtæ, aliique id genus circumforanei, sed citra fundamenta atque rationem, adeoque non benè, sed fortuitò, nec sine periculo, ægrotantisque damno irreparabili. Nec enim in Medicina ut verè dicitur, bis peccare licet.

Ars medica est tum generalis, tum specialis.

Generalis est quæ generaliter institutiones medicas describit.

Specialis, quæ generales institutiones ad certos morbos applicat, diciturque practica.

Generalis est medicatrix & auxiliatrix.

Hinc artem hanc medicam tribus tomis comprehendimus.

1. Describitur ars medica medicatrix.
2. Auxiliatrix.
3. Practica.

Cap. II.

De principiis cognitionis.

Ars medica medicatrix est, quæ ipsam medicationem, ceu primarium medici officium delineat.

Seu: *Quæ versatur circa affectus præter naturales cognoscendos & emendandos.*

Partes ejus sunt Isagoge, Pathologia & Therapia.

Isagoge est quæ fundamenta describit, cognitioni medicæ substernenda.

Estque bipartita; generalis & specialis.

Generalis est quæ generaliter cognitionis naturam proponit: Videlicet 1. Principia cognoscendi, 2. media cognitionis, 3. Membra ejusdem.

Principia cognoscendi sunt, quorum ductu & contemplatione in cognitionem rei devenitur.

N. Medicam artem acturi operæ precium ducimus principia præmittere, quibus in cognitionē illius penetrare datur: Nimirum modus hic ipsiusmet est summi doctoris, qui juxta arborem vitæ, tum naturalis tum spiritualis medicinæ antitypum plātavit arborem cognitionis, cuius legitimâ cultura, divinæ voluntati cōformi, in illius cognitionem usumq; genuinum dubio procul homo penetrasset, nisi astutis Deceptoris blāditiis adhæsisset, rectum rationis usum, susq; deque habuisset, facultatibusq; concessis abusus fuisset. Sic acquisivisset dubio procul scientiam confirmatam, discernendi ab invicē, bonum ac malum, resistendi cœco suo appetitui, dijudicandi seductoris irritamenta, recte adhibendi liberum illud concessum arbitrium atque ita insistendi legitimæ viæ ad usum genuinum prædictæ illius arboris. Nec enim veritati consentaneum videtur solius contemplationis, ne dicam tentationis gratia, arborem illam tam pulchram visu, tam desiderabilem appetitu, tā aptā prudentiæ acquirendæ, à Deo fuisse creatam. Præsertim cum & nomen aliud innuat, de quo alibi forsan disserendi occasio dabitur.

Principia cognoscendi sunt sensus intellectus & iudicium.

Med. acognitionis, id est, quæ cognitionem dirigunt ac iuvant, sunt Institutio ac Analogia.

N. 1. Institutio nulla certior est quā divina, quæ modo ordinario fit per verbum Dei scriptum: nonnunquā per typos, quorum pleni sunt libri prophetici per ectases, ut apparet exemplo Pauli, &c.

N. 2. Analogiæ mēsuræ præcipuæ sunt; Numerus, pondus & mensura. Numerus in rebus creatis occurrit præcipuè 1. Unitas. 2. Ternarius. 3. Ambiens quaternarius. 4. Sextenarius. 5. Novenarius, tandem 6. Denarius. Pondus in rebus mixtis considerare uti magni esset ponderis, ita maximæ est difficultatis. Sunt quidē qui iustam mixtionis proportionem statuunt triplam, terrâ sc. unitatis loco præsupposita. v. g. Si terra sit pars una, aquę requiri tres, aëris novem. Alii majorem constituunt, ut nihil adhuc certi sit determinatum. Mensurę in natura frequentiores sunt 1. rotunditas seu circulus, 2. quadratū, Vt videre est in templo Ezechielis, & Salomonis.

Membra cognitionis sunt, Cognita, Essentia, Existentia atque potentia actualis seu ipsa actio.

Nimirum tribus hisce res quęlibet absolvitur. Et hæ tres quo propius ad originem sive fontem suum accedūt, eo sunt simpliciores ac unitiores i. e. magis unitæ, adeo ut in primo fonte sint simplicissimè unitæ: E contra quo longius à scaturgine sua recedunt, eo sunt distinctiores, explicatiores &c.

Essentia est, qua res est id quod est.

Estq; triuna.

Nimirum res creata quælibet ad similitudinem Creatoris triunius analogicè creata est.

Actio est, qua res actuantur.

Suntque actiones internæ, quæ ipsiusmet rei esse, vel interno-externæ: quæ sobolem, vel externæ, quæ res extra illius rei essentiam constitutas concernunt.

N. Priores ambas dicere licet, primarias: posteriores, secundarias: Nimirum illæ præsunt, hæ subsunt.

Existentia est, qua res disposita est certo modo essendi.

Estque Existentia, tum contracta, tum explicita tum retracta.

Cap. III.

De Deo.

Isagoge specialis est quæ certa cognoscibilia ad cognitionem artis medicæ necessaria contemplatur.

Cognoscibilia Isagogica Medici sunt, 1. Deus. 2. Angeli. 3. Macrocosmus. 4. Microcosmus.

N. Cognoscibile, quod primario inquirendum, medico objicitur est Sanitas humana, huiusque in morbū transpositio, & è contrà morbi in sanitatem restitutio. Harum exactæ contemplationi inservit rerum connexus, adeoque ordine contemplari oportet 1. Deum, 2. Angelos, 3. Macrocosmum ac 4. Microcosmum.

De Deo.

Deus est Ens simplicissimum triunum, bonum, sapiens, prudens, langanimo-iracundum, iustum, severum, misericors, clemens, restaurans & triumphans & regens.

Essentia Dei est triuna. Deus, Verbum & Spiritus.

Existentia contracta est ante creaturas, explicita per creaturas, retracta per creaturarum regressionem.

Actio Dei interna est, inter ipsas Trinitatis personas.

Interno-externa est inter Filium eius unigenitum & Patrem.

Externa sunt, quæ concernunt creaturas ac præ aliis hominem ceu finem omnium creaturarum.

Itaque pro diverso statu hominis, concernunt aliæ statum integritatis, aliæ corruptionis & transpositionis; alię restaurationis seu emendationis, ultima glorificationis seu vitæ æternæ, veluti

1. Potentia seu actio oriendi, qua Deus creaturas oriri facit, idque tum ex nihilo creando, tum per generationem emergendo.

Hac ratione Deus dicitur bonus & bonitatis communicativus. Estque bonitas ea fons omnium rerum.

2. Potentia seu actio progrediendi, est qua res productas sapientissimo ac convenientissimo curriculo progredi facit.

Hæc nititur sapientia, qua Deus omnia sapientissimè ordinavit, creaturisque in illo ordine progredi potentiam indidit.

3. Pot. Progressum atque curriculum creaturarum dirigendi, qua progressus dictus præmio oblectationis ac pœnâ molestationis gubernatur.

Fundatur super prudentiâ.

4. Pot. Irascendi, qua transgressoribus

soribus irascitur; sed cum langanimitate; vel qua transgressores displicere facit.

5. Pot. judicandi, & decernendi sententiam, idque secundum suam Iustitiam.

6. Pot. exequendi, qua decretum secundùm severitatem exequitur.

7. Pot. miserendi, qua condemnatorum transgressorum secundùm misericordiam suam miseretur.

8. Pot. Gratiam ex clementia sua decernendi.

9. Pot. Gratiam ac restauratione decretam exercendi,

10. Pot. Universaliter tandem in altera vita regendi.

Sic Cabalistæ decem Zephiroth seu numerationes recensent, quæ ferè cum potentiis descriptis coincidunt.

Si principii nomen propriè competit ei rei à qua res aliqua suum esse primo sortitur, neque ab ullo aliquo principio pendet: Aut principiũ illud sit ex Platonis sententia in Phædone, à quo & ex quo res omnes fiunt. Ipsum verò per se subsistit, & ex nullo alio trahit essentiæ suæ originem. Deum ipsum, primum agens solum & verum rerum omniũ principium, ac causam efficientem æquũ est agnoscere, sive rerum creationem consideres, sive subsequentem administrationem. Cum enim Deus immensè bonus ac infinitè potens, non tantum virtute sua admiranda hunc mundum creavit: sed eadem & providentia sua adhuc fovet, moderatur & sustinet. Neque enim creatum mundum secundis causis ita regendum commisit, ut ab omni opere iam abstineat. Aliter enim affirmat Christus, cùm dicit Patrem & se in dies semper operari. Non igitur ut otiosus Deus tibi putandus est, qui nunc omnem sui operis curam abjecerit, & intermediis causis demandarit. Ita enim pergit in omnium rerum & singularum etiam administratione, ut nec passerculus, at ne pilus quidem ex nobis decidat citra ipsius voluntatem aut providentiam rerum omnium administratricem. Si enim Iovis omnia sunt plena, hoc est potentia Dei omnia fovente & gubernante, non planeta illo Iovis, quem Solis vocas animã, quid potest ab illo disiungi, quod seorsim sese, vel alia regat?

CAP. IV.

De Angelis.

A*Ngelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea Deo ministrans, secundum & non naturam immortalitatem percipiẽs.* Damascen.

Ex rerum analogia videtur verisimile, regnum Angelicum seu si mavis regnum extramundanum, non minus ac regnum hoc mundanum naturæ ve imperium variis creaturis esse repletum, inter quas Angeli sint nobilissimę æque ac homo in regño hoc naturæ seu mundano nobilissima creaturarum naturalium omnium

omnium audiat. Regnum extramundanum voco, non quod penitus extra huius mundi intervallum sit collocatum, sed quod alium essendi modum, analogum tamen mundano constituat, adeoque res extramundanæ corpora mundana penetrare aptæ sint.

In persuasionem dictæ assertionis, non minimæ authoritatis scriptores citari possint. Nota enim est è Vitis Patrum historia cujusdam pauperculi, qui ære alieno obrutus ex desperatione se suspensum oberraverit. Huic obvenisse dicitur homuncio, qui à proposito dissuaserit, mortem Salvatoris prætendens, quæ ea ratione in illo irrita reddatur, cujus si ipsemet particeps esse possit, nulla fore, quæ non perpeti velit. Insuper nummos dederit, quibus æs alienum solveret, sub conditione solutionis post annum dicto loco persolvendę. Accepit pauperculus nummos ab ære alieno se liberavit, insuperque lucratus est, ut post annum ad locum statutum exierit, nummos mutuo acceptos ex pacto solutum. Verum ab alio ad pulsum prodeunte responsum tulerit: Creditorem illum non ita pridem è vivis excessisse, ideoque nec opus esse ut debitum solvatur.

Nota itidē est historia de Melusina illa, quæ nupta Nobili de Stauffenburg, aliquot annis curæ domesticæ præfuit, uxorisque munus ac debita marito persolvit.

Nota quoque est ex Plutarcho historia de morte magni illius Panis dicti, cuius significatio nauclero cōmissa & ab eodem peracta, magnos ejulatus ac lamentationes in aquis excitaverit, unde idem Plutarchus integrum tractatum de morte Geniorum conscripsit.

Non ingratum quoque erit, quæ in Succia pro verissimis habentur historiis, adduxisse, cujus rei testes, Patroni mei non difficiles erunt. Matrona quædam generosa Illustri Oxenstiernianorum familiæ optime cognita, prædium suum aliquot milliaribus Holmiâ Sueciæ metropoli distans, visere constituerat. Erat autem transeundum stagnum quoddā amplum ac profundum. Hinc accidit, cum in medium navicula vectrix appulisset, ut procellis exponeretur, quibus dicta Matrona, periculum submersionis vix evaserit, remumq; impetu fluctuum disiectum perdiderit. Præterlapso pòst temporis spacio, prodiit ex stagno adolescens quidam, se rustici quondam eius loci filium asserens, qui ante annos cum Patre piscatum egressus, cymbæ submersione in aquam fuerit coniectus, & ab Undena Comitissa in Palatium instructissimum abductus, cui hactenus inservierit eique in prędatione aliquoties adstiterit. Inter alia autem se adfuisse ajebat in intētato illo Matronæ dictæ periculo quod irritum factum sit, quia magnò illi Deo sese fideliter commendasset. Remum nihilominus prædæ loco esse reportatum. Hic cum aliquandiu in terris permansisset, edisset ac bibisset, quin & sacrosancta cœna usus

usus fuisset, tandem inopina fratris morte perculsus denuò disparuit. Succubuerat autem frater inter alios in clade illa, quam Sueci sub Carolo Rege in Livonia erant passi. Hæc ex recensione refero Generosi Domini Jons Kurck Gubernatoris Finnoniæ vigilantissimi, viri gravissimi ac fide dignissimi.

Subvenit itidem historia de homuncionibus pro certissima mihi vendita à Nobili quodam Finnone, qui ipsemet petitus sodalis interfuerat.

Fuerat audaculus, qui, nescio quo procaci discendi studio incensus, aliquoties homũciones terrenos (pygmæos vulgo vocãt) certis ceremoniis accersiverat, Apparuerunt itaque tres pumiliones vetuli barbati, ritu Veterum Romanorum togati. Hi in colloquium cum provocante descendentes, quales sint creaturæ rogati: Sumus, responderunt, creaturæ Dei, ad quid creatæ, nescimus. Hoc scimus servitio hominis nos esse destinatos, quo officio ob hominis malitiam fungi prohibemur. Simul ac alterum ex adstantibus (præter Nobilem enim & alium sibi provocans associaverat) strenuè à vita dissoluta, quam viveret, desistere monuerunt, quod nisi fieret, brevi fore, ut in æternam pœnam absorbeatur.

Plura quæ adferre possem brevitatis studio prætermitto, veluti de harmoniis nonnunquam in maris littore auditis, de choreis, quas homunciones ducere visi sunt, de Satyris, qui cum Sagittariis, venatoribus & id genus hominibus consortium ineunt. De congressibus Undenarũ, ad quos incautos pellicere, de Puerperiis Undenarum, ad quæ nonnunquam obstetrices accersitæ dicuntur. &c. quorum tamen nonnulla fabulas redolent.

De Essentia, Existentia ac Potentia Angelorum multa ex analogia coniecturari quoque possent. Verum cum ad institutum nostrum partim parum faciant, partim potentiæ huc facientes alibi descriptæ sint, iis hoc loco supersedemus.

Cap. V.

De Macrocosmo ac primum de Natura.

Post contemplationem Angelorum, contemplandæ iam restant res naturales.

N. Sunt qui tria rerum regna constituunt 1. Majestaticum sive divinum. 2. Angelicum seu extramundanum, & 3. naturale. Præmissis igitur duobus prioribus, sequitur jam tertium naturale se, quod est comprehensio, seu si mavis res publica rerum naturalium.

Res naturalis est res per naturam, id est, ex principiis naturalibus, in existentiam naturalem & ad potentias naturales constituta.

Ab ipso primo principio, quod Deus est, natura tanquam secundum principium procedit, utpote, quæ ab ipso Dei verbi ejus virtute Fiat, rebus omnibus indita ac insita est. Quæ revera post primum illud principiũ

nobis sanctè colendum, sedulo nobis inquirenda & indaganda est: cujus utique cognitio maxime necessaria ac summe utilis futura est, nec nō elegantissima ac jucundissima ejus pervestigatio.

Utilitas hinc patet, quod omnium rerum, quæ ex ea constant, & ab ea nomen mutuantur, quod naturales res dicātur, cognitio inde promanet, sive res sint sensibus perviæ, sive à sensibus exclusæ.

Q. 1. Quid sit Natura?

Natura quid sit adeo obscurè à majoribus relicta deprehenditur, ut œdipo opus sit, qui obscuritates illustret. Adaptant enim magni Philosophi tum Christiani, tum Ethnici naturæ nominis significationem, rebus propemodum omnibus.

Aristoteles in ea divisione, quam instituit naturæ in primam & secundam, cum de prima loquitur, quam naturam naturantem vocat, per eam de DEO verba facere intelligitur. Idem naturam secundam seu naturam naturatam debere dici existimat, quod omnis generationis principium est. Id enim, unde fit quippiam primo & unde primum motus, mutatioq; incipere solet, vere principium Aristoteli dicitur Metaph. 5. cap. 1. Principium, inquam; unde oritur rerum omnium naturalium essentia.

In Microcosmo.

Quin & *Zeno pariter Stoicorum princeps* promulgabat, naturam nihil aliud quàm Deum esse. Atque hinc eruitur ratio, cur Lactantius cap. 10. l. 6. de ira Dei, & c. 26. divinarum Institutionum, nec laudat, nec usque adeo probat Senecam, etsi Stoicorum acutissimum, aliam ob causam, quàm quòd eum præceptore naturam, fatum, fortunam unius & ejusdem Dei, varia sua potestate utentis, nomina esse scripsisset.

Prima igitur natura naturans Deus est. Secūda verò, quæ propriè *natura* est, subdividitur in *universalem & particularem*. *Universalis* ordinaria est illa Dei potentia, per totum orbem diffusa, à qua dicitur natura hoc vel illud pati, item hoc vel illud agere, ut docet *August. 2. de Civitate Dei. Lactant. lib. de ira Dei cap. 10. Atq; inter Ethnicos Plin. lib. 2. cap. 7. Seneca lib. 4. de benef. cap. 7.*

Hæc *universalis natura* sumitur etiā pro virtute divina, q̄ Deus omnibus creaturis indidit ac implantavit: cuius beneficio quædam divinitatis notæ in eis observantur. Unde antiqui quidam moti sunt, ut dicerent, Omnia Deorum esse plena. quod quendam *Heraclitum Tarentinum* dixisse ferunt.

Ab aliis hæc natura accipitur pro influentia quadam & virtute, qua astra in hæc inferiora agunt: seu pro virtute activa in causa universali, 1. in corpore cœlesti, ut voluit *Thomas lib. 9. super 2. lib. de cœlo.*

Præterea ea est natura universalis, de qua Plato loquitur in Timæo, quū ait: Natura est quædam vis infusa per omnia, corporum moderatrix & nutrix, principium motus & quietis per se in ipsis. Quam naturam Hermes Trismegistus iisdem met ferè verbis dicit

dicit esse vim quandam à prima causa subortam, diffusam per omnia corpora, per se, principium motus & quietis in ipsis.

Hanc vim Pythagorici dicebant esse Deum, Platonici animam mundi eam vocarunt.

Hermetici naturam dicunt esse rem unam veram, simplicem, integrã in suo esse, quam Deus ante secula fecerit, & spiritum ei incluserit, actionum omnium authorem.

Vt ergo quid natura proprie sit, elucescat, sciendum rem naturalem constitui tribus è causis, & ex iisdem tribus constare ceu partibus constitutivis: Vita, spiritu ac corpore. Has alii ad duas contrahunt, vitam ac spiritum sub forma coarctantes, corpusq; materiæ titulo denotantes. Principium ergo motuum naturaliũ, aut vita est, aut spiritus aut corpus. Etenim quamvis motus peragi nequeant, quin tria illa concurrerint; attamen non æquè omnibus ac singulis motus illi accepti ferendi sunt. Res movetur quidem si vita vigeat, sin minus, sine motu torpescit. Motus dico non materiales, quibus grave deorsum labascit, sed spirituales sive formales, quales sunt generatio, nutritio &c. Liquet igitur principium motus à vita procedere. Vita porro cum non nisi uniusmodi agat, vivificando se. (anima enim seu vita omnibus eadem est inquit Hippocrates) motuum autem cum maxima sit diversitas, veluti nutritio, generatio, sensus &c. diversitatem hanc aliunde petere fas est, quam ex principio illo uniusmodi agente. Sed unde alias quam à spiritu? Non immerito igitur duobus hisce simul unitis motus illos diversos potius q̃ materiali parti adscribimus. Nec dissentiunt in hoc veteres qui naturam describunt vim seu *δύναμιν* operandi ac movendi *δυώαμιν* puta essentialem, quæ eadem est cum dicto illo spiritu.

Hermetici idem sentiunt, dum rem quandam simplicem statuunt, cui spiritus omnium rerum author sit inclusus. Loquuntur autem de natura illa universali seu macrocosmica, quam Plato animam mundi appellat, de qua paulò post.

Paracelsus per Mysterium illud magnum Naturam videtur intelligere, quod autem Hermetici naturam eam ante secula factam velint, non propterea æviternam volunt, sed quod in principio creationis primum illa sit creata, ceu principium, unde postmodum res in actum Deo sic jubente productæ sint.

Q. 2. An Natura & Anima differant?

Ut pateat, quàm frivola falsaque sit naturæ & animę distinctio, utriusque definitiones ponderemus, quæ rem constituant, si fieri potest, aut descriptiones, quæ proprietates utriusque vel easdem vel diversas faciant. Naturam vocat Aristoteles, ut anteą citavi 2. Phys. *Principium motus & quietis, in quo est primo & per se.* Galenus verò sic definit finitionum libro, ꝗ sit vis, quę ex se ipsa moveatur, sitque autor formationis, generationis & perfectionis.

cipia esse statuit: ita ut singuli suas sententias undequaque rationibus suis fulcirent. Hippocrates omnia ex aqua & igne cōstare asserit, è quibus aqua nutriat, ignis omnia moveat.

Alii ignem rerum principium faciunt; alii aquam.

Academicorum autem & *Peripateticorum* sententiam potiùs audiamus, quos de principiis rerum doctiùs disputasse & meliùs sensisse, propiusque ad veritatem accessisse constat.

Plato de principiis differens *modò tria* constituit, Deum, exemplar & materiam; *modò duo* tantùm stabilit, infinitum, nempè & terminum materiam infiniti nomine, termini verò formam innuens, tanquam rem sistentem, & finibus aut cancellis suis materiam vagam & excurrentem, coerceutem.

Aristoteles non procul recessit à sentētia pceptoris, etsi aliis verbis simul explicarit, quæ tamen eodem recidunt. Siquidem quod Plato terminū dixit, formam vocavit Aristoteles. Quod *Plato* infinitum, materiam dixit *Aristoteles, tertium principium privationem seorsim constituens.*

Etenim quod *Democritum* ac Epicurum attinet, respexisse videntur ad universalem macrocosmicam naturæ operationem, quam & microcosmica imitatur. Nimirum globus hic inferior, ceu inane quoddam corpus ab anima mundi omnigenis rerum seminalibus rationibus gravida, adeoque infinita & indeterminatâ, atomis, id est, effluxiis stellarum instar atomorum confluentibus imprægnatur, unde rerum constitutio.

Empedocles ad mixtionem rerum intentus fuit, qua dispares quædam res seu naturæ, id est, quæ seminalem quandam rationem ad res dispares producendas obtinent, sub dominium unius eiusque majoris (ut Hippocrates ait) subiguntur. Et huc respicere videtur quoque Aristoteles qui omnia animarum modo quodam esse plena asserit. Hæ autem res non semper animant ac informant, inquit Sennertus, imo nec agunt, tamen occulto modo in iis latent, & suo tempore aptam materiam nacta, sese exerunt.

Pythagoras intuitus est rerum existentiam qua res numero pondere & mensura constant, quorum ideæ principio seminali impressæ principium suo modo non ineptè habentur.

Hippocrates primordialem rerum existentiam respiciens aquam, id est, humiditatē statuit ac ignem, id est, spiritum flamma vitali actuatum, è quibus omnia constent.

Qui ignem & terram; ut *Parmenides*, cum Hippocrate idem dicunt, nisi quod pro humido, siccum ponant, sub humido comprehensum, qua ratione & scriptura terræ inanis mentionem facit, statimque aquam superaddit, Gen. 1.

Qui ignem rerum principium faciunt, (ut *Heraclitus*) ad primum motorem, qui ignis seu vita est oculos dirigunt. Vt contra qui aquam constituunt authore Thalete Mile-

sio ad primam existentiam rei quæ sub forma humiditatis est: utrique tamen & alterum simul includunt.

Qui Aerem ut Anaximedes, forsan spiritum universi, omnigenis potentiis gravidum, intelligunt, quo aer repletus est. Infinitum enim addunt, quod forsan, nihil aliud innuit quam seminales illas rationes nondũ determinatas.

Plato ad ordinem productionis retrospicit, adeoq; & extra limites naturæ transcendit. Hinc 1. Deum ceu primum omnium rerum protoplasten principium nominat. 2. Ideas à Deo conceptas, ad quas res naturales fuerunt conditæ. 3. Materiam cui ideæ illæ imprimuntur, alias cum Aristole convenit. Aristotelis sensus genuinus videtur: Præexistere subiectam quandam materiam, quę potentiam obtineat in formam seu actum emergendi, non secus ac ignis continuo fricatu paulatim incalescens, tandem ignem concipit: Hinc constituit 1. materiam, 2. privationẽ, quæ absentiam quidem actus denotat, sed potentiam seu inclinationẽ ad emergendum includit. 3. Formam sive actum.

Quæ cum ita habeant, absurdum videri non debuit, in constitutione nostrorum principiorum, à nobis antiquorum Philosophorum principia non everti, tot jam seculis adhuc comprobata. Quin potiùs nobis cum illis facilem esse in hoc argumẽto consensum ac concordiam. Si n. Aristoteli sua tria concedimus principia, quid dissidii cum illo nobis futurum est? Admittimus, si placet, distinctionẽ, qua principia sua partitur in materiã, privationem & formam, atq; iterum materiam ponit primã, simplicissimam, ac remotissimam omnes formarũ vicissitudines sustinẽtem; vel in qua est potentia, ut possit omnibus formis subjici, & in duo ἀντικείμενα, formam scilicet & privationem. (quæ habilitas est in subjecto formæ recipiendæ) Hæc principia concedimus esse omnium prima & simplicissima, ex quibus res omnes naturales primùm cõstant. Quæ quidem principia sunt notionum, intellectu potiùs, quàm sensu perceptibilia, ut tamen nec ab illis Hermetica diruuntur, quæ constituimus earum rerum principia, ex quibus proxima res omnes mixtæ componuntur & cõstãt: Sic ab Hermeticis Aristotelica nequaquã convelli certissimũ est.

Principia naturalia sunt prima seu originalia subordinantia, ac orta seu subordinata.

Prima sunt Anima, Spiritus ac corpus; Possunt & appellari principia essentialia.

N. Quercetanus duabus tantum partibus rerum constitutionem absolvit, formâ sc. & materia, cum tres constituendæ forent: Anima, Spiritus & Corpus, quibus res omnes cõstituuntur. Verum sub forma, Animã & Spiritum more vulgari comprehendit, imitatus Hippocratem, qui uti dictum est, omnia constare ait, ex igne & aqua, ceu forma & materia. Cum tamen Animam, utpote quæ omnibus una & eadem sit, à calido, quod

quod actionum omnium author, distinguere videatur.

Verum enimvero, ut res dilucidius inclarescat, operæ precium duxi, aliquantulum clarius illa exhibere.

N. Omnia quæ in Naturam seu Regnum hoc Naturale ac mundanũ collocata sunt, ad imaginem Principii sui primi, Dei videlicet, in vitalem statum sunt constituta, id est, in ejusmodi statum, quo ex seminali suo principio, vi sibi inditarum facultatum in lucem progredi, naturaleque suum curriculum absolvere apta nata sunt. Ideoque necessum est esse aliquod principium, unde ille motus seu actus dependeat. Reliqua enim ut patebit in sequentibus, motum hunc non ex sesemet habent.

Primum principium est principium illud vivificativum, quo spiritus in actum prodit.

Hoc si formam appellare libuerit, non resistam, aptius tamen Vitam vel Animam dixeris. Vitam inquam non accidentalem, quæ operatio ipsa vitalis sive ut schola loquuntur actus secundus est, sed essentialem, quæ nihil aliud est quam Principium aliquod Spirituale, leve, subtile, reliqua quæ sine hoc quieta, torpida, ac quasi in abysso delitescunt naturâ suâ vivifica calore vitali stipata vivificans. Et hoc unum est.

Alterum est Spiritus natura inter animam ac corpus media, adeoque eorum copula facultatibus seu proprietatibus imbutus, peculiaribus generativis nutritivis & simil. quas ab anima vivificatus exercet, iisque œconomiã à Natura naturante DEO *scilicet concessam administrat.*

Prout ergo facultates hic obtinet, diversas: ita & actiones diversas producit. Diversitas enim actionum ex hoc uno dependet.

Et hic est Balsamus ille æthereus, calidum Hippocratis, omnia administrans; huicque vita illa proximè inhæret.

Tertium est Retinaculum prædictorum principiorum, (ceu basis utrique substrata) crassum, grave, continet autem Spiritum illum immediatè, Animam vero seu vitam mediante dicto illo Spiritu.

Estque in regno naturali nihil aliud quam corporea moles, cui Spiritus ille proximè inhæret, adeoque & materia dici poterit, non quatenus materia ab Aristotele describitur quod sit principium seu subiectum, è quo res fit primum, &c. Nimirum hoc seminale cuiusque rei subiectum est, sicut ovum gallinæ: sed quatenus à spiritu & anima illa distinguitur, iisque subiectum existit.

Exemplo res erit evidentior: Ignis (hic enim vel scriptura comprobante vitam repræsentat) seu si mavis res flagrans, ceu in vitali statu collocata, tribus constituitur: igne sive flamma, ceu vita, pinguedine ceu spiritu, & elychnio ceu corporeo retinaculo.

Tria hæc etsi unum quidem constituant suppositum in statu flagratio-

grationis ceu vitali constitutum, attamen distincta & ab invicem separabilia esse, facile demonstrari potest. Extingue enim ignem seu candelam, sic ignis ceu vita à reliquis separatur, ac perit, adeoque candela ceu mortua sine motu sive actu superstes est, graviorque ac antea, non secus ac cadaver gravius evasit, ademptâ vitâ. In Candela autem adhuc duo esse principia, pinguedinem scilicet ceu spiritum flagrabilem & Elychnium ceu retinaculum: nemo est qui nesciat. Et hęc duo itidem à se invicem separabilia esse non erit operæ precium ut pluribus demonstrem. Uti nec probandum puto, quod ignis ille adeoque & vita non sit accidens sed substantia.

At, inquis, Ignis ille seu flamma non est pars Candelæ? Respon. Neque vita est pars cadaveris, sed pars creaturæ, quatenus à Deo creata est, id est, in vitam collocata. Mors enim pœna est, adeoque præter voluntatem seu beneplacitum Dei interdicta.

Aliud exemplum agricolæ suppeditant, qui semina vetusta, verb. grat. bima aut trima ad seminandum inidonea rejiciunt, experientia edocti, nullos inde sperandos esse fructus. Sed unde id, nisi quod animâ seu vitâ sint destituta. Spiritus enim exinde etsi vetustiora fuerint, tamen elici potest.

Cap. VII.

De principiis formalibus ac spiritibus.

PRincipia orta seu subordinata sunt simpliciora vel composita.

Simpliciora sunt pro diversitate primorum principiorum triplicis classis: vel enim accepta ferenda sunt vitæ seu animæ, vel spiritui, vel corpori.

A vita dependent Calor ac Lux.

N. De luce in rebus naturalibus ac inprimis in animantibus doctissimum librum conscripsit Thomas Bartolinus, Caspari illius magni, olim fautoris mei summi filius.

Spiritui acceptæ ferendæ sunt facultates, seu si mavis spiritus, Spiritui illi primo subordinati, quorū ope actiones in rebus naturalibus administrantur.

N. 1. Hæc sunt principia illa simplicia Quercet. ob simplicitatem spiritus dicti. His ergo spiritibus seu potentiis, data occasione progressis & assumptione principiorum inprimis hypostaticorū exaltatis inq; vigorem collocatis, Philosophi Hermetici omnes actiones, proprietates, facultates, impressiones signaturasq; vitales ac generativas tribuūt, quas per dicta illa principia ceu instrumēta apta prōficiāt. Sive illæ potētiæ in certa aliqua œconomia seu specie rei naturalis sint cōstitutæ, sive sub

ſub illis, aut in natura macrocoſmica ceu in abyſſo delitescant futuram emergendi occaſionem expectantes. Nimirum omnigenis natura referta eſt potentiis, id eſt, ſeminalibus rationibus, quarum aliæ certis ſpeciebus inditæ ſunt per generationem vniuocam quam dicunt propagãdis, aliæ naturæ vniuerſali inhærent, & niſi datam occaſionem emergendi nactæ fuerint, ſopitæ in materia prima ſeu radicali delitescunt.

Quercet.

N. 2. Notandum eſt in omnibus rebus naturalibus tria conſiderari. Primò ſubſtantiam ipſam; ſecundò ipſius δύναμιν, quæ eſt ad agendum efficax; tertiò ſecundum actum δυνάμεως, quæ dicitur ἐνέργεια ſeu actio. Vel primò totum compoſitum conſideratur; ſecundò potentia eſſentialis, quæ nunquam ſeparari poteſt à toto, cùm ſit quiddam à forma rei promanans, quæque reuocatur ad Categoriam ſubſtantiæ: quamuis nõ ſit aliquid in ſe ipſo ſubſiſtẽs, aut χωριστόν τι, quia cùm definitur, neque agnoſci neque intelligi pòteſt, niſi ratione eius ſubſtantiæ, cui ineſt: (verbi gratia) rhabarbari facultas, quæ eſt purgare bilem, non definitur, niſi cum dicitur, vis eſſe & facultas producta ab eſſentia rhabarbari. Conſideratur denique potentia naturalis, quæ eſt qualitas dependens à temperamento ſiue craſi, cùm operatur: quæ craſis idcircò eſt tantùm inſtrumentum potentiæ illius eſſentialis, ſiue cauſa ſine qua non, vt appellat Plato.

N. 3. Notandum eſt nomen δυνάμεως, aut potentiæ vnum & idem ſignificatione eſſe cum facultate aut proprietate. Dicitur enim δύναμις ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, ab eo, quod poteſt aliquid facere. Quæ quidem δύναμις diſtinguitur à Philoſophis in perfectã & imperfectam. Cuius imperfectæ multas alias diſtinctiones, in quas diuiditur, hîc prætermittemus ſilentio, breuitatis cauſa, quarum etiam, cùm accidentia ſint tantum, nulla demonſtratio eſt, quod accidentium per ſe nulla cauſa exiſtat.

Facultas ſubſtantialis alia δυνάμεως ſpecies eſt, quam hic intelligimus, & de qua nobis ſermo eſt, quæ non ſimplex qualitas eſt, aut accidens: ſed quæ eſſentia eſt ſub categoria ſubſtantiæ comprehẽſa, vt diximus: qualis eſt potentia & facultas videndi in oculo, chylum formandi in ventriculo, in ſenna atram bilem purgandi, abſynthio detergendi, & obſtructiones expediendi, atque eiuſmodi infinitæ aliæ potentiæ, quibus alia indiuidua prædita ſunt, actioneſque ſuas diuerſas obeunt: quorum vires alio quàm ad ſubſtantiales aut eſſentiales potentias referri nequeunt.

Has proprietates Dialect. Græci ἴδια πάθη nominant, Latini proprias affectiones, quæ ſeparari à rebus ſubiectis incolumi ſubſtantia non poſſunt: ſed omni ſoli & ſemper inſunt ſubiecto, atque de ſubiectis demonſtrari aut prædicari poſſunt. Quæ quidem proprietates aut facultates ſuis energiis definiuntur & agnoſcun-

gnoſcuntur, ſiue ſint actiuæ, ſiue ſint paſſiuæ. Et potentiarum cauſa, agens dicitur tangere, & patiens tangi, formæ non adſcribitur tactus. Quin forma non eſt corpus, at materiam informat ſine tactu. Solius itaque corporis naturalis proprium eſt, vt tangendo patiatur.

Porrò agentia agunt, vel ὁμοειδῆ, vel κατ' ἐντελέχειαν: ὁμοειδῆ dicuntur, quia illud εἶδος accidentis externi eſt ὅμοιον in agente, & patiente, quum eã qualitatem, quam habent manifeſtã, imprimunt in patiens, vt ignis qui calidus, calidum ẽt efficit, aqua frigida refrigerat. Agentia κατ' ἐντελέχειαν appellantur quæ illa intrinſeca vi, q̃ eſt perfectio, ſeu ἐντελεχείᾳ agunt: cũ inprimit in patiens qualitatem eam, quæ tamen in agente non eſt manifeſta: vt cum piper licet nõ ſit extrinſecus vel actu calidum, habet tamen vim calefaciendi. Vlterius notandũ eſt, hanc quàm Ariſtotelici vocarunt δύναμιν οὐσιώδη, & Latini potentiam eſſentialem, propriam cuiq; ſubſtãtiæ, quamq; aſſerunt eſſe in categoria ſubſtantiæ, Hermeticis dici ſpiritus, eoſq; ſcientia inſtructos concoquendi, diſſoluendi, mouendi, ſentiendi, &c. In ventriculo, corde, cerebro & cæteris partibus, quos ſpiritus ſubſtantias vocant, vt hac in parte vtriuſque ſectæ ſententia parum diſcrepet. Etenim ſcientia illa eſt ipſamet δύναμις οὐσιώδης, quam Ariſtoteles & alij Philoſophi conſtituunt in omnibus rebus, & ex qua omnes actiones proficiſcuntur. Nam quemadmodum anima eſt, quæ cernit, cũ tamen non perſpiciuntur colores, niſi per quædam inſtrumenta, quibus vtitur, nempe per pupillam oculi: quæ ſi vitiata fuerit, aut totum oculi inſtrumentum, denegatur homini videndi actus, etſi in anima perſtet videndi facultas integra. Sic planè *natura nihil producit, niſi per ſpiritus, qui inſunt ac deliteſcunt in rationibus rerum ſeminalibus.* Eiuſmodi ſpiritus ſunt veluti inſtrumenta, ſine quibus ſemina ad propagandum inutilia ſunt. Ex quouis enim ſemine, ſi ſpiritus exhalauerit, ſemen infœcundum eſt prorſus. Ergo cùm Hermetici dicũt, illos ſpiritus ſcientia mechanica eſſe inſtructos fabricandi ſibi corpora: illiſq; omnes actiones tribuunt, nec tamen naturam excludunt: quæ virtus eſt diuina, rebus naturalibus inſita: at per metonymiam inſtrumento tribuunt, quod artifici, nempe naturæ adſcribendum eſſet propriè.

Quid ſit δύναμις οὐσιώδης peripatet.

Natura.

Spiritus rebus actu inſunt.

Ipſos ſpiritus rebus actu ineſſe, ac naturam obtinere à corpore ſuo realiter diſtinctam, patet ex rerum ſeminibus: quibus vt appropriatis matricibus, hi ſpiritus ab origine ſua inhabitant, ac quaſi immerguntur, ac à quibus, citra vllam ſubjecti ſecundum materiam immutationem (vt norunt agricolæ in talium ſeminum dignotione exercitatiſſimi) egreſſi, reliquum, quod ſemen vulgus philoſophantium nominare ſolet, receſſu ſuo ſterile efficiunt. Sunt etiam qui

certa

certa artis industria quibusdam seminibus vim auferre germinatiuam, (id quod in ceparum semine, vnica facta in aqua feruente ebullitione contingit) eandemque deperditam restituere norunt.

Spiritus sunt actionum authores.

Atque hæc sane philosophia popularis, dictorum spirituum admirabiles effectus tanta familiaritate ac perspicuitate aperiens, longe sane clarior, certiusque multò demonstrari potest, alterâ illâ, quæ ad cœlos vsque relegat rerum formas, totamque ipsarum substantiam. Ipsum vero Aristotelem in nostris castris militantem habemus sub finem lib. 3, de generatione & corruptione: dū inquit, Quod omnis animæ potestas alterius cuiusdam corporis particeps sit, apparet, eiusque diuinioris quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate obscuritateue animę inter se discrepāt, item & natura eius corporis differt. Continet enim in se semen, cuiusque fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem, qui igneus minimè est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur: sed spiritus, qui in semine spumanteque corpore coërcetur, & natura quæ in eo inest spiritu, proportione respondet Elemento stellarum.

Sententia Hermeticorum verbis Aristotelis confirmatur.

Ex quo contextu manifestum existit, ipsum Aristotelem vitale rerum omnium principium minimè in elementis, eorumue crasi qualicunque; verùm in substantia quadam collocare spirituali, in rerum seminibus tanquam domicilio habitāte. Hincque paulò post ibidem concludit. *At propria cuiusque ratio & essentia, nequaquam ex Elementis emergit: sicut clarius in sequentibus patebit.*

Vnde nam germana cuiusque rei profluat essentia.

Spiritus porro pro varietate seminum substantiarum & principiorum hypostaticorum, quibus inhærent tanquam matricibus diuersi sunt, non modo volatilitate & fixitate sed & variis effectibus.

Sic alij corporaliore forma præditi sunt, alij spiritualiori: seu alij sunt magis corporei ac fixi, alij magis spirituales ac volatiles, alij vero medium inter vtrosque tenent.

Mercuriales, vaporosi & aerei volatiliores sunt, & qui omnium primi è corpore exhalant.

Salsuginosi ac fuliginosi seu fumosi omnium maximè corporei sunt: quique postremi è corpore diuelluntur: neque id citra ingentem ignis efferuescentiam.

Sulphurei, halituosi & oleaginosi, qui volatilibus & fixis tanquam intermedia copula, glutinis instar, intercedunt, vtrorumque naturæ participes sunt.

N. Notandum est hanc spirituum vocem variè vsurpari & in diuersas significationes torqueri, quod cognitu summè necessarium est, vt omnis vitetur homonymia & amphibolia.

Spiritus vox variè sumitur.

Quidam enim habentur spiritus, qui medij sunt inter corpoream naturam & incorpoream: vt qui & spiritus sint corporei, & corpora spiritualia dicantur. Eiusmodi spiri-

tualia corpora aut corporei spiritus *prima* vocantur *materia*, quòd radicibus vel seminariis rerum principiis proximi adhæreant: à quibus dona, proprietates & officia corporibus finitima emanãt: ita vt ij sint, qui propriè innata quadam mechanica arte, seu artificiosa scientia instructi & dotati sunt: quique saporum, colorum, odorum, reliquarumque qualitatum virtualium, vt & figurarum, magnitudinum, dimensionum & proportionum notitiam possident. Ij in omnibus seminibus conspicuis tanquam matricibus, inclusi delitescũt: vt sic videre liceat, dum functiones obeunt, ex tantula glande proceram quercum enasci: & ex grano, aut semine nigri vel albi coloris extrinsecus apparentis, varios ac diuersos colores, juxta proprietatem, quam intrinsecus habet insitam, nec non varios odores atque sapores emergere. Quod omnibus seminibus, cuiuscũque speciei sint, innatum est & proprium: ita vt nihil eiusmodi ab illis produci queat, si spiritibus suis destituta fuerint. Et quamuis quantitate & mole corporis extrinsecus nihil imminuta deprehendantur: omni tamen propagationi & generationi, ex priuatione suorum spirituum, prorsus inutilia sunt: vtpote qui spiritus soli authores sint eiusmodi impressionum, signaturarum vitalium, omniumque actionum & facultatũ, quas neque ad crasim & temperaturam, neque ad nudas illas elementales caliditatis, frigiditatis, humiditatis & siccitatis qualitates referre iure liceat: vt quæ sint agentia ἰμοτεδῆ, eam simul qualitatem extrinsecam, quam habent, in patiens corpus imprimentia. Sic enim ignis calidam rem efficit, glacies & nix frigidam. At spirituales illæ rerum substantiæ καθ' ἐντελέχειαν agere dicuntur, id est, intrinseca sua vi & facultate, quæ ἐντελέχεια seu perfectio dicitur.

Fons & origo omnium qualitatũ.

Aristotelici & nonnulli medici, quod spiritibus adscribere debuerunt, id toti substantiæ, & substantiali formæ arrogant, illas nimirum facultates, vires, potestates, actiones, quarum nullam aliam causam esse volunt, quàm substantiam & formam substantialem, quæ καθ' ἐντελέχειαν afficiunt & mouent aliquid seu alterant, Non quòd id præstent manifesta sensui qualitate, prout elementa: sed occulta vi & potentia formæ substantialis: vt, verbi gratia, calor zinziberis non est manifestus, nec tactu percipitur, vt ignis calor: sed occulta est vis ipsius zinziberis: & ejus actio, nisi calore animalis moueatur, percipi non potest. Quod proprium quidam esse autumant occultarum potentiarum seu facultatum abditarum: & καθ' ἐντελέχειαν fieri dicunt, vt suprà.

Tota substantia peripatea.

Quod autem isti tribuunt substantiali formæ, Hermetici aptiùs & tutiùs prædictis spiritibus adscribũt, tribusque principiis hypostaticis, nempe sali, mercurio, & sulphuri. Sali quidem & mercurio sapores & colores vendicant, cum detergendi, aperiendi, mundandi, euacuandi, & instar balsami, ab omni putredine corpus

Salis hypostatici proprietates.

corpus conseruandi facultatibus. Sulphuri verò odores, cum consolidandi, agglutinandi, & dolores sedandi viribus & proprietatibus. Ita vt hinc videre liceat, quàm parũ inter se vtraq; secta dissideat, & ad mutuam concordiam, secus quàm creditur, propensa sit.

Sulphuris.

Sed vt ad spiritus nostros redeamus: abundè docuimus, *illis solis propriè omnes omnium actiones deberi*: clarioremque inde doctrinam ac demonstrationem percipi, si eis tàm illustres & admirandi eiusmodi effectus tribuantur, quàm si formis, aut toti substantiæ adjudicentur. Alioqui perinde esset, ac si procul, & quã remotissimè, è cœlo videlicet, peteremus, quod penes nos & præ manibus habemus: vt multis vitium hoc commune est, quòd internæ corporum anatomiæ, in quibus, vel ipsis oculis, spiritus admirandis virtutibus & actionibus præditos intueri licet, ignari sint.

Spiritus illi reperiuntur non tantum in vegetabilibus & animalibus, sed & in mineralibus, iique virtutum admirandarum ac variarum, adeoque tum boni tum mali.

Spiritus metallorũ.

Qui diu multumque in subtili rerum vitalium anatomia sunt exercitati, horum spirituum varietatem & miros effectus ob multiplices quas exerunt actiones, præ cæteris facilè dignoscent, percipientque huiusce generis spiritus (quos idcirco vitales nuncupauimus quia incredibili præstant virtute & actiuitate) non modo per suos effectus in rebus vegetabilibus & animatis delitescere, sed etiam in substantiis metallicis: quæ tamen illis penitus carere videntur, eò quod nullis vitæ polleant facultatibus.

Quod autem malè in vulgari philosophia, metalla reliquaque mineralia omni vitali vigore destituta esse dicantur: vel *aurum ardens fulminans* conuincit, quod plenum est spiritu, tantæ subtilitatis & actiuitatis, vt pauca quædam ejus grana, dum solo motu vel radiorum solarium ejaculatione flammam conceperint, instar explosi sclopeti, maximo naturæ mysterio, perpendiculariter centrum versus sic ferantur, vt mensam ligneam valeant transuerberare.

Metalla viuere.

Quin imo in auro Spiritus ceu principium auri inest, quod si ritè præparetur, & in terram suam initiatur, vt in ea putrescat, digeratur ac fermentetur, in primum ens tandem redibit, hoc est, in spiritũ mercurialem, qui liber à denso illo corpore, reuiuiscit, & quicquid sibi tùm congenitum nanciscitur, illud in sui simile vertit, ac longè purius nobiliusque reddit, quàm esset anteà ipse parens, quemadmodum ex tritico nobis apparet, quod ex simplici grano, radicem, herbam, caulem, spicam, & centum ex vno grana producit.

Eodem modo scias artem noui nihil producere sed naturam iuuare, eamque promouere ac intendere digestionibus ac coctionibus, vt cùm semen auri compedibus suis vinctũ

nullas vires in sui similis generationem habeat, vinculis ab arte expeditum & tractatum, vt par est, virtutes suas in materiam congruam possit diffundere, & principia illa speciei imperfectæ, ex principiis suis, potenti vi ac ἐνεργείᾳ in suam perfectionem adducere.

Idipsum pariter abunde testantur volatiles *Antimonij*, illius Chymicorum oraculi, spiritus, qui quotiescunque secundum artem eliciuntur, instar meteororum, modò albi, modò flavi, modò rubri, modò purpurei, quin & aliquando mille coloribus variati conspiciuntur: eoque ipso mirandam huius mineralis vim & efficaciam patefaciunt. Quæ quidem tanta est, vt metallorum quoduis etiam maximè fixum, quale argentum existit, ab alio secernens, aurum ipsum ad miram puritatem, ac summam sui generis perfectionem promoueat, remotâ prius ab ipso cuiusuis corporis corruptibilis & heterogenei colluvie.

Admirandi inquam horum Antimonialium spirituum effectus, vel in humano corpore rei totius veritatem similiter euincunt, dum ipsum variè per vomitum, aluum, sudores, & vrinas repurgant. Maximè vero mirandum, quod non tantum centesima vnius grani spiritus Antimonij pars, in corpoream matricem vnà cum eiusdem floribus ad 5. vel 6. grana dispersa, tantos effectus, citra ullum notabilem, vel in pondere, vel in quantitate diminutionem producere potest: verum etiam quod ipsa matrice suo spiritu tandem exuta, in medicamentum Anodynum degeneret, ac commotis corporis nostri spiritibus sedandis, præstantissima efficiatur Medicina.

Sic & vitrum Antimonij, etsi omni sapore careat, idem tamen ferociter præstat, quod eius flos: idque ob spiritum quendam album & arsenicalem ipsi insitum, qui in marmore, in quod iniectum fuerit vitrum, facile animaduerti potest: cuius puluis tenuissimus & subtilissimus, si ad aliquot septimanas Soli exponatur calido, & de eo postea maiore etiam dosi propinetur, nullarum virium ad purgandum aut mouendum corpus futurus sit, quòd calore Solis spiritus eius exhalarit ac euanuerit, vt alibi notauimus. Quod magnam spiritus volatilitatem testatur ac tenuitatem, qui tamen in vncias singulas vix fortè granum, aut momenti dimidium pendat.

Preterea vero, si miraculum illud naturæ (vt ex vulgi sententia & opinione loquar) *Magnetem* consideremus, admirabiles ac penè stupendas prædictorum spirituum siue facultatum naturalium comperiemus perfectiones. Ipsi quippe, quamdiu arctè Magneti lapidi inhærescunt, mira pollent attrahendi virtute, qua tamen si penitus spolietur, nihil ad se, quantacunque magnitudine exuberet, poterit euocare. Hanc nihilominus attrahendi efficaciam, quasi jure postliminij recupera-

Spiritu Magnes nō caret potentissimo.

perabit, si spiritu ferri, quod magnā cum ipso habet affinitatem, animetur: prout ipsa plures docuit experientia.

At Magnes, ais, trahit ferrū vi formæ seu proprietate substantiæ? Confugis hic ad proprietates occultas, cū nullam rationem possis reddere virtutis Magneticæ in ferri attractionē. Quomodo potes dici Medicus & Philosophus, si ignoras vnde spiritus nostri in corpore latentes famelico appetitu statim ex cibo & potu nutritiuos spiritus extrahunt, quibus reficiantur? An te fugit, spiritus in alieno corpore morantes suæ naturæ corpus validiùs attrahere, quā si in proprio corpore manerent, vbi infixi quiescerent? Sic Magnes, cùm habeat spiritus ferri in se inclusos, quorum non sit proprium corpus, non potest eos ita continere, quin, si proprio corpori, & quòd suæ naturæ est, admoueantur, illud ipsum pro omnibus viribus appetant & attrahant. Ita vt spiritus ferri in peregrino corpore positus, longè potentiores vires habeat attrahendi, quod sibi consentaneum est, quàm si suo proprio contineretur, quia in alieno positus proprium desiderat, in suo verò otiosè moratur, in quo ad voluptatem requiescit.

Sic ferrum à ferro non attrahitur, quia spiritus proprio corpore fruitur. At si spiritus in alieno sit corpore (vt in Magnete) & ferro admoueatur, cognationis & vnionis recordatione, statim ad ipsum fertur, aut quia retinetur in corpore peregrino, in quo est, aut corp' suæ naturæ conatur attrahere. Quod allij litu spiritus arceatur, id fit impedimento, quo obtunditur vis eius, nec tantùm allij, sed omnium propè aliarum rerum inductione. Siquidem quo Magnes purior & limatior redditur, eò potentiùs attrahit, quòd nullis obstaculis retineatur.

Arsenicales quoque fœtentes ac venenati spiritus, quos instar nubis spissæ ac nigræ in eius sublimatione ascendere videmus copiosissimos, ad huius nostri instituti confirmationem non parum conferre videntur. Ut enim illi, licet candidissimum ac purissimum metallum, suo contactu vel simplici, vel in forma fumi, nigredine summa obducunt: sic quoque congenitos nobis spiritus etiam temperatissimos, per solum odoratus organum recepti, contaminare mirificeque alterare possunt. *De spiritibus venenatis Arsenici.*

Hic vero obiter notandum occurrit, quod sub Arsenico eiusque spiritibus malignis, *auripigmentum* quoque, *itemque alia plurima metalla imperfecta*, ac arsenici naturam redolentia, à nobis comprehenduntur. *De spiritibus Auripigmenti, sandarac[hæ] identidem venenati[s].*

At è contrario variæ aquæ vitæ, tam ad sanitatis conseruationem, quàm grauissimorum sæpe morborum propulsionem appropriatæ, ex nonnullis metallis, perinde, ac ex corallis & perlis, ab experto Chymico elici possunt. *Ex nonnu[l]lis metal[lis] variæ aq[uæ] vitæ seu spiritus s[a]lutares e[li]ci possunt.*

Quod

sio ad primam existentiam rei quæ sub forma humiditatis est: utrique tamen & alterum simul includunt.

Qui Aerem ut Anaximedes, forsan spiritum universi, omnigenis potentiis gravidum, intelligunt, quo aer repletus est. Infinitum enim addunt, quod forsan, nihil aliud innuit quam seminales illas rationes nondũ determinatas.

Plato ad ordinem productionis retrospicit, adeoq; & extra limites naturæ transcendit. Hinc 1. Deum ceu primum omnium rerum protoplasten principium nominat. 2. Ideas à Deo conceptas, ad quas res naturales fuerunt conditæ. 3. Materiam cui ideæ illæ imprimuntur, alias cum Aristotele convenit. Aristotelis sensus genuinus videtur: Præexistere subjectam quandam materiam, quę potentiam obtineat in formam seu actum emergendi, non secus ac ignis continuo fricatu paulatim incalescens, tandem ignem concipit: Hinc constituit 1. materiam, 2. privationẽ, quæ absentiam quidem actus denotat, sed potentiam seu inclinationẽ ad emergendum includit. 3. Formam sive actum.

Quæ cum ita habeant, absurdum videri non debuit, in constitutione nostrorum principiorum, à nobis antiquorum Philosophorum principia non everti, tot jam seculis adhuc comprobata. Quin potiùs nobis cum illis facilem esse in hoc argumẽto consensum ac concordiam. Si n. Aristoteli sua tria concedimus principia, quid dissidii cum illo nobis futurum est? Admittimus, si placet, distinctionẽ, qua principia sua partitur in materiã, privationem & formam, atq; iterum materiam ponit primã, simplicissimam, ac remotissimam omnes formarũ vicissitudines sustinẽtem; vel in qua est potentia, ut possit omnibus formis subjici, & in duo ἀντικείμενα, formam scilicet & privationem. (quæ habilitas est in subjecto formæ recipiendæ) Hæc principia concedimus esse omnium prima & simplicissima, ex quibus res omnes naturales primum cõstant. Quæ quidem principia sunt notionum, intellectu potiùs, quàm sensu perceptibilia, ut tamen nec ab illis Hermetica diruuntur, quæ constituimus earum rerum principia, ex quibus proxima res omnes mixtæ componuntur & cõstãt: Sic ab Hermeticis Aristotelica nequaquã convelli certissimũ est.

Principia naturalia sunt prima seu originalia subordinantia, ac orta seu subordinata.

Prima sunt Anima, Spiritus ac corpus; Possunt & appellari principia essentialia.

N. Quercetanus duabus tantum partibus rerum constitutionem absolvit, formâ sc. & materia, cum tres constituendæ forent: Anima, Spiritus & Corpus, quibus res omnes cõstituuntur. Verum sub forma, Animã & Spiritum more vulgari comprehendit, imitatus Hippocratem, qui uti dictum est, omnia constare ait, ex igne & aqua, ceu forma & materia. Cum tamen Animam, utpote quæ omnibus una & eadem sit, à calido,

quod

quod actionum omnium author, distinguere videatur.

Verum enimvero, ut res dilucidius inclarescat, operæ precium duxi, aliquantulum clarius illa exhibere.

N. Omnia quæ in Naturam seu Regnum hoc Naturale ac mundanũ collocata sunt, ad imaginem Principii sui primi, Dei videlicet, in vitalem statum sunt constituta, id est, in ejusmodi statum, quo ex seminali suo principio, vi sibi inditarum facultatum in lucem progredi, naturaleque suum curriculum absolvere apta nata sunt. Ideoque necessum est esse aliquod principium, unde ille motus seu actus dependeat. Reliqua enim ut patebit in sequentibus, motum hunc non ex sesemet habent.

Primum principium est principium illud vivificativum, quo spiritus in actum prodit.

Hoc si formam appellare libuerit, non resistam, aptius tamen Vitam vel Animam dixeris. Vitam inquam non accidentalem, quæ operatio ipsa vitalis sive ut schola loquuntur actus secundus est, sed essentialem, quæ nihil aliud est quam Principium aliquod Spirituale, leve, subtile, reliqua quæ sine hoc quieta, torpida, ac quasi in abysso delitescunt naturâ suâ vivifica calore vitali stipata vivificans. Et hoc unum est.

Alterum est Spiritus natura inter animam ac corpus media, adeoque eorum copula facultatibus seu proprietatibus imbutus, peculiaribus generativis nutritivis & simil. quas ab anima vivificatus exercet, iisque œconomiã à Natura naturante DEO scilicet concessam administrat.

Prout ergo facultates hic obtinet, diversas: ita & actiones diversas producit. Diversitas enim actionum ex hoc uno dependet.

Et hic est Balsamus ille æthereus, calidum Hippocratis, omnia administrans; huicque vita illa proximè inhæret.

Tertium est Retinaculum prædictorum principiorum, (ceu basis utrique substrata) crassum, grave, continet autem Spiritum illum immediatè, Animam vero seu vitam mediante dicto illo Spiritu.

Estque in regno naturali nihil aliud quam corporea moles, cui Spiritus ille proximè inhæret, adeoque & materia dici poterit, non quatenus materia ab Aristotele describitur quod sit principium seu subiectum, è quo res fit primum, &c. Nimirum hoc seminale cuiusque rei subiectum est, sicut ovum gallinæ: sed quatenus à spiritu & anima illa distinguitur, iisque subiectum existit.

Exemplo res erit evidentior: Ignis (hic enim vel scriptura comprobante vitam repræsentat) seu si mavis res flagrans, ceu in vitali statu collocata, tribus constituitur: igne sive flamma, ceu vita, pinguedine ceu spiritu, & elychnio ceu corporeo retinaculo.

Tria hæc etsi unum quidem constituant suppositum in statu flagratio-

grationis ceu vitali constitutum, attamen distincta & ab invicem separabilia esse, facile demonstrari potest. Extingue enim ignem seu candelam, sic ignis ceu vita à reliquis separatur, ac perit, adeoque candela ceu mortua sine motu sive actu superstes est, graviorque ac antea, non secus ac cadaver gravius evasit, adempta vitâ. In Candela autem adhuc duo esse principia, pinguedinem scilicet ceu spiritum flagrabilem & Elychnium ceu retinaculum: nemo est qui nesciat. Et hęc duo itidem à se invicem separabilia esse non erit operæ precium ut pluribus demonstrem. Uti nec probandum puto, quod ignis ille adeoque & vita non sit accidens sed substantia.

At, inquis, Ignis ille seu flamma non est pars Candelæ? Respon. Neque vita est pars cadaveris, sed pars creaturæ, quatenus à Deo creata est, id est, in vitam collocata. Mors enim pœna est, adeoque præter voluntatem seu beneplacitum Dei interdicta.

Aliud exemplum agricolæ suppeditant, qui semina vetusta, verb. grat. bima aut trima ad seminandum inidonea rejiciunt, experientia edocti, nullos inde sperandos esse fructus. Sed unde id, nisi quod animâ seu vitâ sint destituta. Spiritus enim exinde etsi vetustiora fuerint, tamen elici potest.

Cap. VII.

De principiis formalibus ac spiritibus.

PRincipia orta seu subordinata sunt simpliciora vel composita.

Simpliciora sunt pro diversitate primorum principiorum triplicis classis: vel enim accepta ferenda sunt vitæ seu animæ, vel spiritui, vel corpori.

A vita dependent Calor ac Lux.

N. De luce in rebus naturalibus ac inprimis in animantibus doctissimum librum conscripsit Thomas Bartolinus, Caspari illius magni, olim fautoris mei summi filius.

Spiritui acceptæ ferendæ sunt facultates, seu si mavis spiritus, Spiritui illi primo subordinati, quorũ ope actiones in rebus naturalibus administrantur.

N. 1. Hæc sunt principia illa simplicia Quercet. ob simplicitatem spiritus dicti. His ergo spiritibus seu potentiis, data occasione progressis & assumptione principiorum inprimis hypostaticorũ exaltatis inq; vigorem collocatis, Philosophi Hermetici omnes actiones, proprietates, facultates, impressiones signaturasq; vitales ac generativas tribuũt, quas per dicta illa principia ceu instrumẽta apta proficiãt. Sive illæ potẽtiæ in certa aliqua œconomia seu specie rei naturalis sint cõstitutæ, sive

sub

sub illis, aut in natura macrocosmica ceu in abysso delitescant futuram emergendi occasionem expectantes. Nimirum omnigenis natura referta est potentiis, id est, seminalibus rationibus, quarum aliæ certis speciebus inditæ sunt per generationem vnivocam quam dicunt propagādis, aliæ naturæ vniuersali inhærent, & nisi datam occasionem emergendi nactæ fuerint, sopitæ in materia prima seu radicali delitescunt.

Quercet.

N. 2. Notandum est in omnibus rebus naturalibus tria considerari. Primò substantiam ipsam; secundò ipsius δύναμιν, quæ est ad agendum efficax; tertiò secundum actum δυνάμεως, quæ dicitur ἐνέργεια seu actio. Vel primò totum compositum consideratur; secundò potentia essentialis, quæ nunquam separari potest à toto, cùm sit quiddam à forma rei promanans, quæque reuocatur ad Categoriam substantiæ: quamuis nō sit aliquid in se ipso subsistēs, aut χωριστόν τι, quia cùm definitur, neque agnosci neque intelligi potest, nisi ratione eius substantiæ, cui inest: (verbi gratia) rhabarbari facultas, quæ est purgare bilem, non definitur, nisi cum dicitur, vis esse & facultas producta ab essentia rhabarbari. Consideratur denique potentia naturalis, quæ est qualitas dependens à temperamento siue crasi, cùm operatur: quæ crasis idcircò est tantùm instrumentum potentiæ illius essentialis, siue causa sine qua non, vt appellat Plato.

N. 3. Notandum est nomen δυνάμεως, aut potentiæ vnum & idem significatione esse cum facultate aut proprietate. Dicitur enim δύναμις ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, ab eo, quod potest aliquid facere. Quæ quidem δύναμις distinguitur à Philosophis in perfectā & imperfectam. Cuius imperfectæ multas alias distinctiones, in quas diuiditur, hîc prætermittemus silentio, breuitatis causa, quarum etiam, cùm accidentia sint tantum, nulla demonstratio est, quod accidentium per se nulla causa existat.

Facultas substantialis alia δυνάμεως species est, quam hic intelligimus, & de qua nobis sermo est, quæ non simplex qualitas est, aut accidens: sed quæ essentia est sub categoria substantiæ comprehēnsa, vt diximus: qualis est potentia & facultas videndi in oculo, chylum formandi in ventriculo, in senna atram bilem purgandi, absynthio detergendi, & obstructiones expediendi, atque eiusmodi infinitæ aliæ potentiæ, quibus alia indiuidua prædita sunt, actionesque suas diuersas obeunt: quorum vires alio quàm ad substantiales aut essentiales potentias referri nequeunt.

Has proprietates Dialect. Græci ἴδια πάθη nominant, Latini proprias affectiones, quæ separari à rebus subiectis incolumi substantia non possunt: sed omni soli & semper insunt subiecto, atque de subiectis demonstrari aut prædicari possunt. Quæ quidem proprietates aut facultates suis energiis definiuntur & a-

gnoſcuntur, ſiue ſint actiuæ, ſiue ſint paſſiuæ. Et potentiarum cauſa, agens dicitur tangere, & patiens tangi, formæ non adſcribitur tactus. Quin forma non eſt corpus, at materiam informat ſine tactu. Solius itaque corporis naturalis proprium eſt, vt tangendo patiatur.

Porrò agentia agunt, vel ὁμοειδῆ, vel κατ' ἐντελέχειαν: ὁμοειδῆ dicuntur, quia illud εἶδος accidentis externi eſt ὅμοιον in agente, & patiente, quum eã qualitatem, quam habent manifeſtã, imprimunt in patiens, vt ignis qui calidus, calidum ēt efficit, aqua frigida refrigerat. Agentia κατ' ἐντελέχειαν appellantur quæ illa intrinſeca vi, q̃ eſt perfectio, ſeu ἐντελεχεία agunt: cũ inprimit in patiens qualitatem eam, quæ tamen in agente non eſt manifeſta: vt cum piper licet nõ ſit extrinſecus vel actu calidum, habet tamen vim calefaciendi. Vlterius notandũ eſt, hanc quàm Ariſtotelici vocarunt δύναμιν ἐσιώδη, & Latini potentiam eſſentialem, propriam cuiq; ſubſtãtiæ, quamq; aſſerunt eſſe in categoria ſubſtantiæ, Hermeticis dici ſpiritus, eoſq; ſcientia inſtructos concoquendi, diſſoluendi, mouendi, ſentiendi, &c. In ventriculo, corde, cerebro & cæteris partibus, quos ſpiritus ſubſtantias vocant, vt hac in parte vtriuſque ſectæ ſententia parum diſcrepet. Etenim ſcientia illa eſt ipſamet δύναμις ἐσιώδης, quam Ariſtoteles & alij Philoſophi conſtituunt in omnibus rebus, & ex qua omnes actiones proficiſcuntur. Nam quemadmodum anima eſt, quæ cernit, cùm tamen non perſpiciuntur colores, niſi per quædam inſtrumenta, quibus vtitur, nempe per pupillam oculi: quæ ſi vitiata fuerit, aut totum oculi inſtrumentum, denegatur homini videndi actus, etſi in anima perſtet videndi facultas integra. Sic planè *natura nihil producit, niſi per ſpiritus, qui inſunt ac deliteſcunt in rationibus rerum ſeminalibus.* Eiuſmodi ſpiritus ſunt veluti inſtrumenta, ſine quibus ſemina ad propagandum inutilia ſunt. Ex quouis enim ſemine, ſi ſpiritus exhalauerit, ſemen infœcundum eſt prorſus. Ergo cùm Hermetici dicũt, illos ſpiritus ſcientia mechanica eſſe inſtructos fabricandi ſibi corpora: illiſq; omnes actiones tribuunt, nec tamen naturam excludunt: quæ virtus eſt diuina, rebus naturalibus inſita: at per metonymiam inſtrumento tribuunt, quod artifici, nempe naturæ adſcribendum eſſet proprie.

Quid ſit δύναμις ἐσιώδης peripatet.

Natura.

Spiritus rebus actu inſunt.

Ipſos ſpiritus rebus actu ineſſe, ac naturam obtinere à corpore ſuo realiter diſtinctam, patet ex rerum ſeminibus: quibus vt appropriatis matricibus, hi ſpiritus ab origine ſua inhabitant, ac quaſi immerguntur, ac à quibus, citra vllam ſubjecti ſecundum materiam immutationem (vt norunt agricolæ in talium ſeminum dignotione exercitatiſſimi) egreſſi, reliquum, quod ſemen vulgus philoſophantium nominare ſolet, receſſu ſuo ſterile efficiunt. Sunt etiam qui

certa

certa artis industria quibusdam seminibus vim auferre germinatiuam, (id quod in ceparum semine, vnica facta in aqua feruente ebullitione contingit) eandemque deperditam restituere norunt.

Spiritus sunt actionum authores.

Atque hęc sane philosophia popularis, dictorum spirituum admirabiles effectus tanta familiaritate ac perspicuitate aperiens, longe sane clarior, certiusque multò demonstrari potest, alterâ illâ, quæ ad cœlos vsque relegat rerum formas, totamque ipsarum substantiam. Ipsum vero Aristotelem in nostris castris militantem habemus sub finem lib. 3. de generatione & corruptione: dũ inquit, Quod omnis animæ potestas alterius cuiusdam corporis particeps sit, apparet, eiusque diuinioris quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate obscuritateue animę inter se discrepãt, item & natura eius corporis differt. Continet enim in se semen, cuiusque fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem, qui igneus minimè est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur: sed spiritus, qui in semine spumanteque corpore coërcetur, & natura quæ in co inest spiritu, proportione respondet Elemento stellarum.

Sententia Hermeticorum verbis Aristotelis confirmatur.

Ex quo contextu manifestum existit, ipsum Aristotelem vitale rerum omnium principium minimè in elementis, eorumue crasi qualicunque; verùm in substantia quadam collocare spirituali, in rerum seminibus tanquam domicilio habitãte. Hincque paulò post ibidem concludit. *At propria cuiusque ratio & essentia, nequaquam ex Elementis emergit: sicut clarius in sequentibus patebit.*

Vnde nam germana cuiusque rei profluat essentia.

Spiritus porro pro varietate seminum substantiarum & principiorum hypostaticorum, quibus inhærent tanquam matricibus diuersi sunt, non modo volatilitate & fixitate sed & variis effectibus.

Sic alij corporaliore forma præditi sunt, alij spiritualiori: seu alij sunt magis corporei ac fixi, alij magis spirituales ac volatiles, alij vero medium inter vtrosque tenent.

Mercuriales, vaporosi & aerei volatiliores sunt, & qui omnium primi è corpore exhalant.

Salsuginosi ac fuliginosi seu fumosi omnium maximè corporei sunt: quique postremi è corpore diuelluntur: neque id citra ingentem ignis efferuescentiam.

Sulphurei, halituosi & oleaginosi, qui volatilibus & fixis tanquam intermedia copulæ, glutinis instar, intercedunt, vtrorumque naturæ participes sunt.

N. Notandum est hanc spirituum vocem variè vsurpari & in diuersas significationes torqueri, quod cognitu summè necessarium est, vt omnis vitetur homonymia & amphibolia.

Spiritus vox variè sumitur.

Quidam enim habentur spiritus, qui medij sunt inter corpoream naturam & incorpoream: vt qui & spiritus sint corporei, & corpora spiritualia dicantur. Eiusmodi spiri-

tualia corpora aut corporei ſpiritus *prima* vocantur *materia*, quòd radicibus vel ſeminariis rerum principiis proximi adhæreant: à quibus dona, proprietates & officia corporibus finitima emanãt: ita vt ij ſint, qui propriè innata quadam mechanica arte, ſeu artificioſa ſcientia inſtructi & dotati ſunt: quique ſaporum, colorum, odorum, reliquarumque qualitatum virtualium, vt & figurarum, magnitudinum, dimenſionum & proportionum notitiam poſſident. Ij in omnibus ſeminibus conſpicuis tanquam matricibus, incluſi deliteſcũt: vt ſic videre liceat, dum functiones obeunt, ex tantula glande proceram quercum enaſci: & ex grano, aut ſemine nigri vel albi coloris extrinſecus apparentis, varios ac diuerſos colores, juxta proprietatem, quam intrinſecus habet inſitam, nec non varios odores atque ſapores emergere. Quod omnibus ſeminibus, cuiuſcũque ſpeciei ſint, innatum eſt & proprium: ita vt nihil eiuſmodi ab illis produci queat, ſi ſpiritibus ſuis deſtituta fuerint. Et quamuis quantitate & mole corporis extrinſecus nihil imminuta deprehendantur: omni tamen propagationi & generationi, ex priuatione ſuorum ſpirituum, prorſus inutilia ſunt: vtpote qui ſpiritus ſoli authores ſint eiuſmodi impreſſionum, ſignaturarum vitalium, omniumque actionum & facultatũ, quas neque ad craſim & temperaturam, neque ad nudas illas elementales caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis qualitates referre liceat: vt quæ ſint agentia ἰμοεσδῆ, eam ſimul qualitatem extrinſecam, quam habent, in patiens corpus imprimentia. Sic enim ignis calidam rem efficit, glacies & nix frigidam. At ſpirituales illæ rerum ſubſtantiæ καθ' ἐντελέχειαν agere dicuntur, id eſt, intrinſeca ſua vi & facultate, quæ ἐντελέχεια ſeu perfectio dicitur.

Fons & origo omnium qualitatũ.

Ariſtotelici & nonnulli medici, quod ſpiritibus adſcribere debuerunt, id toti ſubſtantiæ, & ſubſtantiali formæ arrogant, illas nimirum facultates, vires, poteſtates, actiones, quarum nullam aliam cauſam eſſe volunt, quàm ſubſtantiam & formam ſubſtantialem, quæ καθ' ἐντελέχειαν afficiunt & mouent aliquid ſeu alterant, Non quòd id præſtent manifeſta ſenſui qualitate, prout elementa: ſed occulta vi & potentia formæ ſubſtantialis: vt, verbi gratia, calor zinziberis non eſt manifeſtus, nec tactu percipitur, vt ignis calor: ſed occulta eſt vis ipſius zinziberis: & ejus actio, niſi calore animalis moueatur, percipi non poteſt. Quod proprium quidam eſſe autumant occultarum potentiarum ſeu facultatum abditarum: & καθ' ἐντελέχειαν fieri dicunt, vt ſuprà.

Tota ſubſtantia peripatet.

Quod autem iſti tribuunt ſubſtantiali formæ, Hermetici aptiùs & tutiùs prædictis ſpiritibus adſcribũt, tribuſque principiis hypoſtaticis, nempe ſali, mercurio, & ſulphuri. Sali quidem & mercurio ſapores & colores vendicant, cum detergendi, aperiendi, mundandi, euacuandi, & inſtar balſami, ab omni putredine

Salis hypoſtatici proprietates.

corpus

corpus conseruandi facultatibus. Sulphuri verò odores, cum consolidandi, agglutinandi, & dolores sedandi viribus & proprietatibus. Ita vt hinc videre liceat, quàm parũ inter se vtraq; secta dissideat, & ad mutuam concordiam, secus quàm creditur, propensa sit. *Sulphuris.*

Sed vt ad spiritus nostros redeamus: abundè docuimus, *illis solis propriè omnes omnium actiones deberi*: clarioremque inde doctrinam ac demonstrationem percipi, si eis tàm illustres & admirandi eiusmodi effectus tribuantur, quàm si formis, aut toti substantiæ adjudicentur. Alioqui perinde esset, ac si procul, & quã remotissimè, è cœlo videlicet, peteremus, quod penès nos & præ manibus habemus: vt multis vitium hoc commune est, quòd internæ corporum anatomiæ, in quibus, vel ipsis oculis, spiritus admirandis virtutibus & actionibus præditos intueri licet, ignari sint.

Spiritus illi reperiuntur non tantum in vegetabilibus & animalibus, sed & in mineralibus, iique virtutum admirandarum ac variarum, adeoque tum boni tum mali.

Spiritus metallorũ. Qui diu multumque in subtili rerum vitalium anatomia sunt exercitati, horum spirituum varietatem & miros effectus ob multiplices quas exerunt actiones, præ cæteris facilè dignoscent, percipientque huiusce generis spiritus (quos idcirco vitales nuncupauimus quia incredibili præstant virtute & actiuitate) non modo per suos effectus in rebus vegetabilibus & animatis delitescere, sed etiam in substantiis metallicis: quæ tamen illis penitus carere videtur, eò quod nullis vitæ polleant facultatibus.

Quod autem malè in vulgari philosophia, metalla reliquaque mineralia omni vitali vigore destituta esse dicantur: vel *aurum ardens fulminans* conuincit, quod plenum est spiritu, tantæ subtilitatis & actiuitatis, vt pauca quædam ejus grana, dum solo motu vel radiorum solarium ejaculatione flammam conceperint, instar explosi sclopeti, maximo naturæ mysterio, perpendiculariter centrum versus sic ferantur, vt mensam ligneam valeant transuerberare. *Metalla viuere.*

Quin imo in auro Spiritus ceu principium auri inest, quod si ritè præparetur, & in terram suam iniiciatur, vt in ea putrescat, digeratur ac fermentetur, in primum ens tandem redibit, hoc est, in spiritũ mercurialem, qui liber à denso illo corpore, reuiuiscit, & quicquid sibi tùm congenitum nanciscitur, illud in sui simile vertit, ac longè purius nobilíusque reddit, quàm esset anteà ipse parens, quemadmodum ex tritico nobis apparet, quod ex simplici grano, radicem, herbam, caulem, spicam, & centum ex vno grana producit.

Eodem modo scias artem noui nihil producere sed naturam iuuare, eamque promouere ac intendere digestionibus ac coctionibus, vt cùm semen auri compedibus suis vinctũ

perabit, si spiritu ferri, quod magnã cum ipso habet affinitatem, animetur: prout ipsa plures docuit experientia.

At Magnes, ais, trahit ferrũ vi formæ seu proprietate substantiæ? Confugis hic ad proprietates occultas, cũ nullam rationem possis reddere virtutis Magneticæ in ferri attractioné. Quomodo potes dici Medicus & Philosophus, si ignoras vnde spiritus nostri in corpore latentes famelico appetitu statim ex cibo & potu nutritiuos spiritus extrahunt, quibus refiŏiantur? An te fugit, spiritus in alieno corpore morantes suæ naturæ corpus validiùs attrahere, quã si in proprio corpore manerent, vbi infixi quiescerent? Sic Magnes, cùm habeat spiritus ferri in se inclusos, quorum non sit proprium corpus, non potest eos ita continere, quin, si proprio corpori, & quod suæ naturæ est, admoueantur, illud ipsum pro omnibus viribus appetant & attrahant. Ita vt spiritus ferri in peregrino corpore positus, longè potentiores vires habeat attrahendi, quod sibi consentaneum est, quàm si suo proprio contineretur, quia in alieno positus proprium desiderat, in suo verò otiosè moratur, in quo ad voluptatem requiescit.

Sic ferrum à ferro non attrahitur, quia spiritus proprio corpore fruitur. At si spiritus in alieno sit corpore (vt in Magnete) & ferro admoueatur, cognationis & vnionis recordatione, statim ad ipsum fertur, aut quia retinetur in corpore peregrino, in quo est, aut corp' suæ naturæ conatur attrahere. Quod allij litu spiritus arceatur, id fit impedimento, quo obtunditur vis eius, nec tantùm allij, sed omnium propè aliarum rerum inductione. Siquidem quo Magnes purior & limatior redditur, eò potentiùs attrahit, quòd nullis obstaculis retineatur.

De spiritibus venenatis Arsenici. *Arsenicales* quoque fœtentes ac venenati spiritus, quos instar nubis spissæ ac nigræ in eius sublimatione ascendere videmus copiosissimos, ad huius nostri instituti confirmationem non parum conferre videntur. Ut enim illi, licet candidissimum ac purissimum metallum, suo contactu vel simplici, vel in forma fumi, nigredine summa obducunt: sic quoque congenitos nobis spiritus etiam temperatissimos, per solum odoratus organum recepti, contaminare mirificeque alterare possunt.

De spiritibus Auripigmenti & sandaracæ identidem venenatis. Hic verò obiter notandum occurrit, quod sub Arsenico eiusque spiritibus malignis, *auripigmentum* quoque, *itemque alia plurima metalla imperfecta*, ac arsenici naturam redolentia, à nobis comprehenduntur.

Ex nonnullis metallis varia aqua vitæ seu spiritus salutares elici possunt. At è contrario variæ aquæ vitæ, tam ad sanitatis conseruationem, quàm grauissimorum sæpe morborum propulsionem appropriatæ, ex nonnullis metallis, perinde, ac ex corallis & perlis, ab experto Chymico elici possunt.

Quod

Quod sales ipsi spiritibus abundent, cum malignis tũ salutarib.

Quod autem ad *spiritus salium metallicorum spectat, vt salis nitri, vitrioli, aluminis, salis armoniaci, & marini* (quod meritò inter reliqua primum sibi locum vendicat) oppositæ ac plane contrariæ, quas mediantibus suis spiritibus edunt operationes, ingenti nobis esse debent admirationi: dum ipsorum quidam corpora etiam solidissima liquefaciunt, & alij contra vel spiritus coagulant subtilissimos.

In quo tamen maximum nauræ mysterium obseruare licet. Hi namque spiritus, qui aurum omniũ metallorum solidissimum dissoluunt, suam tamen in argentum non exerunt potentiam, nec è contra.

Qua ratione spiritus è suis corporibus eliciantur.

Hi verò spiritus omnes & singuli (licet id secundum magis & minus) sola ignis violentia, à dura corporum, quibus à natura alligati sunt, compage liberantur, ac in ipso quidem emigrationis procinctu, variis sub coloribus, in forma nubis spissioris comparentibus, sese insinuant: qui tamen vbi denuo in aqueam & humidam suam matricem recondantur, quiescentes penitus euanescunt.

Cæterum qui minus suam prædicti fidem adhibent, aut spirituum istorum mirabiles virtutes inficiantur: adeant aurifabros & metallorum separatores, quoties aurum ab argẽto moliuntur separare, vt promptissimos aquæ fortis effectus aduertant.

Mira circa aquam fortem obseruatio.

Discant inquam vel duabus vnciis dictæ aquæ, tantum inesse virium ac roboris, vt vnciam vnam metalli solidi dissoluere queat. Aspiciant etiã quanta id fiat spirituum contentione vel ad sensum comparente; ac vt opinor desinent, in rerum naturalium spiritus, tantis viribus ab Omnipotente donatos, spiritus sui virus effundere. Videbunt namque quã primum prædicti aquæ fortis spiritus solidum aliquod metallum (patientis vicem gerens) aggrediuntur, tanta id fieri velitatione, & pugna ad tempus ancipiti, vt non solùm ipsa aqua ex tali motu incalescat, verùm ad rubedinem vsque ipsius vasis exardescat: copia ipsorum maxima per collum, fumi partim rutilantis, ac rufescentis, partim nigricantis specie, euolante, ac instar flammæ ignis calorem in omne latus diffundente. Conflictu verò hoc ad finem perducto, aquam sponte videbis refrigerari, licetque de eius materia seu quantitate vix quicquam decesserit, eundemque fere gustum quo antea prædita fuerat retinuerit: nulli tamen in posterum metallorum inseruiet separationi, eo quod nimirum suis priuata sit spiritibus, ad quos omnis huiusccmodi referri debet operatio.

Ex eo porrò, quod gustum pari fermè qua prius feriat acrimonia, colligere licet, impotentiam hanc non inde pendere, quod omnes omninò ex ea spiritus euolarint: sed quod exorta inter contentos adhuc, & materiam eos continentem seu matricem, ob priorum exhalationẽ disproportione, reliqui quodammodo detineantur ligati. Acrimonia siqui-

siquidem illa, quæ in aqua adhuc residet, spirituum à quibus oritur præsentiæ fidus est nuncius.

Hinc phlegmate seu humore passiuo, hanc dyscrasiam producente, per cohobationem seu redestillationem separato, prioribus viribus quasi recuperatis ad parem molitionem idonea redditur: idque quod repetendum est, quamdiu acrimonia aquæ supererit. Ex quibus colligi facilè potest virtutem illam dissoluendi, non acrimoniæ, sed solis spiritibus tribuendam esse.

Cum idem probat sal petræ & sal vulgare. Quum salpetræ sua terra, qua continetur & generatur, conspurcatus adhuc est, & sulphur sua minera nondum exutum & defœcatum: vtriusque agendi vis vsque adeò languet obtusa, ob substantiarum corporalium & terrestrium, quibus deuinciuntur, mixtionem, vt ne flãmam quidem possint concipere. At cum suis corporum vinculis soluta & expedita sunt, simulque miscentur: palam est, quantis agant viribus, quãtoque potentes eorum virtutes impetu sese exerant.

Vulgarem & marinum salem in quotidiano ciborum vsu sumimus & edimus: edulia eodem condimus, quo, vt balsamo, à putredine vindicentur. Porrò frustra coronatum aureum, vel drachmam vnam auri, sexcentis salis marini libris immergamus & sepeliamus, à quo ne tantillum quidem varietur, aut immutetur: à cuius tamen spiritus è corpore extracti & separati vncia duæ vel tres auri drachmæ, aut etiam plures vno momento in aquam solui possint. Possemus multa alia in medium exempla proferre.

Sed hæc satis sunt. Si igitur corpora mineralia ac metallica, quæ tamen vulgò vt vita, sic actione omni spoliantur, tanta partim noxiorum, partim salutarium spirituum copia turgent: quid de vegetabilibus dicendum fuerit & animantibus? quorum vt vita longè manifestior, spirituum majores diuitias pollicetur & vbertatem, sic ars ipsa, & quæ versatur in eorum extractione experientia, huius nostræ veritatem philosophiæ, ad oculum quasi demonstrat.

Ac vt ab animantum genere incipiamus, spiritus hos tam bonos, salutares, secundumque naturam: quàm malos, perniciosos, ac contra naturam se habentes, ac partibus quidem solidis radicaliter, nobilioribus verò simul originaliter ac emanatiuè (absit artis vocabulis inuidia) insitos, humoribus verò per influentiam seu irradiationem communicatos, dicimus similiter esse tripartitos: *quibusdam* ipsorum naturam aëream, vaporosam, ac subtilissimam adeptis, *aliis* verò naturæ existentibus fuliginosæ, *aliis* denique quodammodo intermediæ, vt essentiæ sic consistentiæ, halituosæ videlicet, sulphureæ, ac oleaginosæ. Hi præterea spiritus, cum in omnibus animantium generibus, tum in homine potissimum, juxta communem Hermeticorum sententiam reperiuntur, à qua non longe nec ipsemet abest Hippocrates, quãdo ait,

do ait, *Corpora nostra constare continentibus & contentis*. Quorum terminorum priori nihil aliud quàm continentes ac in se recipientes matrices: posteriori verò substantias spirituales contentas, ac à prioribus receptas voluit significare. *Contentorum* quoque à Dogmaticis triplex proponi solet partitio. *Quædam* enim sunt *substantiæ quoquo versum impetuosæ*, seu impetum facientes, sive synceræ & æthereæ, sive se habeant secundum naturam, quales naturalis, vitalis & animalis spiritus: sive noxia quadam qualitate, tanquam affusa nebula sint contaminatæ.

Quædam rursus *humectantes*, siue humores tam utiles, quàm inutiles & excrementitij, eò quod spiritus salutares & noxij in ipsis inhabitent. Et *aliæ* denique *effluentes*, communiterque exhalantes, sive humidæ, quas vapores: sive siccæ, quas exhalationes & fumos nominant.

A Dogmaticis his multùm dissident Hermeticorum suffragia, si bene & accuratè intelligantur.

In vegetabilium verò genere nostram hanc, tam proborum quàm perversorum spirituum distributionem *tribus membris* comprehensam haud difficilè fuerit stabilire.

Mercuriales siquidem, vaporosi, aërei magisque subtiles, vt in partibus vegetabilium resident mollioribus, floribus nimirum ac folijs, sic aquarum oleorumve extractione ac destillatione ab ipsis separantur. *Salsuginosi* verò, ut magis fixi, sic in partibus quoque vegetabilium radicantur durioribus, lignis videlicet, corticibus, & radicibus, sale abundantibus: ex quibus postmodum ignis violentiâ separantur. *Sulphurei* denique & oleaginosi spiritus, ut inter æthereos subtiliores, ac terrestres salsuginosos, quodammodo intercedunt medij: sic in vegetabilium seminibus continentur, consistentia & situ quodammodo inter folia & ligna intermediis. Insunt vero seminibus cunctis etiam frigidioribus, (qualia sunt papaveris & lactucæ) quæ quoniam præ reliquis compositi partibus magis sunt contemperata, naturæque familiaria, spiritus quoque omnium defæcatissimos, & magis ad speciei conservationem destinatos complectuntur. De oleorum vero ex seminibus extractione præcepta tradere, vetat rei facilitas publicaque notitia.

Hîc vero minimè prætereundum est in hac *vegetabilium classe*, non minùs quàm mineralium & animalium ordine, omnes jam enarratos spiritus, rursus duorum generum existere: *alios*, bonos, salutares, balsamicos, & conseruatores, tam videlicet Mercuriales, quàm sulphureos, & salsuginosos: *alios* quoque malos ac noxios, tam Mercuriales, quàm sulphureos, & salsuginosos.

Q. *Cum Deus omnia creaverit valde bona unde potentia seu spiritus mali?*

R. Creavit Deus naturam valdè bonam & beneficam, id est, potẽtiis salutaribus instructam, quibus creaturæ oblectarentur. Verum enim-

nimvero, ut liberrimum agens ipse creator existit: ita & hominem ad similitudinem suam liberè, non coactè agentem condidit. Hanc libertatem autem potentiis molestantibus coercuit, quas ordinaverat indecenti rerum tractationi sive abusui. Nimirum benefica ea potentia ita erat constituta, ut pro diversitate tractationis sive culturæ usus sc. genuini vel abusus, oblectantes vel molestãtes fructus proderet. Oblectantes si decenter & ex præscripto ac voluntate Dei res tractaretur, molestantes, sin contra indecenter atque modo voluntati divinæ contrario, idque gravius aut levius pro delictis. Potentiarum enim oblectantium quo major destinata est oblectatio, eo gravior quoque molestantium molestia fuit ordinata, delicto proportionaliter inhærens. Res exemplo erit clarior: sal marinũ, Nitrum, vel id genus aliud quoddam sal reconditam in se continet potentiam beneficam, in centro sopitam. Hæc si debitè suaviter & cum ingenio eruatur, ut internum illud & occultum in lucem prodeat, summam præbet medicinã. Econtra si sal ipsum tincturam bonã producere aptum & pronum, violẽter tradetur, atque ex Retorta igne violento cogatur, spiritum fundit pniciosum, qui loco caloris vivifici ac dulcis, æstu ac acrimonia corrodente, præditus est. Et hac ratione degenerat bonum in malum.

Vel: Creaverat Deus Naturam instructam potentiis tũ bonis tum malis. Illæ in actum erant collocatæ; hæ in potentia delitescebant, emergendi occasionem expectantes. Occasio illa est sententia iudicis Iustissimi, de emergendo ac puniendo. Etenim sic adsunt ac tutum, vires suas exerunt, decretumque Iudicis exequuntur.

Variæ autem sunt nocivæ hæ facultates, excitanturq; pro delictorũ quoq; varietate, ut recta hic locum habeat proverbium, quo quis peccat, eo punitur. Nimirum, quia Deus per naturã, eiusque potentias agit, si facultas illa benefica in vanum usurpetur, prodit malefica in pœnam. Et hoc videtur fundari in dicto illo Ecclesiastici c. 33. v. 15. Bonum contra malum. Vita contra mortem &c.

Vtraque hæc opinio etsi scripturã sacram favorabilem, vel saltem non contrariam habeat, nollem n. quicquam contra eandem statuere: Attamen prior illa ad metam propius cuipam collimare forsan videbitur. Morosos enim commovere posset, quod Deus sub beneficis potentiis maleficas reconderit. Perpendant autem hi ipsi, quod Deus ad sententiam suam exequendã tribulos ac spinas quibus potentiæ molestantes, vel ipsius nominis ratione denotantur, post lapsũ non condiderit, sed ante lapsum cõditas exerere vires iusserit. Idem de serpente Iudicium. Videatur infra in Pathologia.

CAP. VIII.

De Principiis hypostaticis.

PRincipio illi primo materiali subordinantur principia hypostatica & elementalia.

Hypostatica sunt, quæ maiori vi ac efficacia præ reliquis pollent, vnde & in schola Hermetica Cherionia virilia, virtuosa dicuntur. Suntque Sulphur, Mercurius & Sal.

Sal est principium humido siccum, in aqua solubile & concretile.

Sulphur est principium humidum pingue inflammabile.

Mercurius est principium inter sal & sulphur natura media, adeoque in aqua partim in oleo dissolubile?

N. Ioan. Raieus tract. de podag. ita describit. *Sal* est principium hypostaticum cum vi fermentandi & coagulandi. Eius v. signatura est, vt intrinsecus sit fusilis, metallorum instar & fixus: extrinsecus autem combustilis & incinerabilis. *Sulphur* principium est hypostaticum cum vi maturandi, tingendi, homogenia attrahendi, heterogenea repellendi, tendendi à centro ad circumferentiam & viciſſim. Huius signatura est, vt intra sit fixum, oleaginosum siue pingue: extra inflammabile esse & fugitiuum. Flamma quippe est sulphur volatile. *Mercurius* est principium hypostaticum cum vi vegetatiua & instauratiua. Huius signatura interna est fouere ignem potentem: externa vero est, liquidum, glutinosum, incombustibile & frigidum esse.

N. Quercetanus Principia (res simplices) duplicia facit, videlicet inuisibilia (spiritualia, formalia, astralia) quæ in sensus fugiant, omniumque actionum authores existant, & visibilia (materialia) quæ sub visum traduci possint & per quæ actiones administrentur. Vtraque triplicia statuit; Principia (hypostatica) spiritualia, Elementa spiritualia, & semina spiritualia. Per principia (hypost.) spiritualia nihil aliud intelligere videtur, quàm facultates (δυνάμεις spiritus) primis principiis inhærentes, quibus illa apta nata, seu si mauis quæ δυνάμεις ipsæmet scientia, id est, instinctu naturali prȩditȩ sint, vt materialia & visibilia sibi corpora fabricari possint, scilicet Sal, Sulphur & Mercur. Elementa spiritualia sunt similiter facultates principiorum illorum quarum vi Elementa corporalia in mixto fiunt. Semina spiritualia (astralia) sunt rationes seminales, quarum potentia seu operatione semina visibilia existunt, v. g. in Tritico est seminalis potentia seu spiritus qui ex nutrimento visibile semen producit.

Principia visibilia (materialia, corporea) sunt dicta principia, Elementa & semina vi inuisibiliũ illorum producta Quercetani verba satis alias obscura hæc sunt.

Totus inquit hic orbis in duos globos diuisus est, superiorem videlicet, cœlum æthereum (quod ab ardendo, fulgendo vel lucendo, ἀπὸ ἢ αἴθειν sic dictum est, quodque igneũ cœlum, formale, & essentiale elemẽtum est) nec non aerem seu aereum cœlum constituentem: & inferiorẽ globum, qui quidem complectitur aquam & terram.

Quæcumque autem quatuor istis corporibus comprehenduntur, quæ elementa sunt

sunt & receptula rerum omnium, vel res sunt simplices, vel corpora ex illis mixta & composita.

Simplicia sunt, quæ ex aliis prioribus seorsim existentibus non sunt, sed ex quibus omnia fiunt, & in quæ resoluuntur omnia. *Composita* siue *corporea* sunt, quæ tùm ex simplicibus sunt, tùm in simplicia dissoluuntur.

Simplicia porrò distinguuntur *in ea, quæ sunt simplices formæ, & ea quæ materiæ simplices* sunt: aut *in ea quæ simpliciter formalia sunt, & ea quæ sunt simpliciter materialia.* Sic corpora *diuiduntur in corpora materialia & corpora formalia.*

Quæ simpliciter formalia sunt, astralia & spiritualia: elementa sunt formalia: semina formalia, & tria principia formalia: hoc est, quæ ita spiritualia sunt, vt sensibus nostris non occurrant.

Elemēta autem formalia, de quibus nobis est sermo, ea nobis dicuntur, in quorum sinu rerum astralia semina & formalia principia, vt in sua propria receptacula diffusa & reposita sunt: in quibus simplicibus & spiritualibus elementis seminum & principiorum spiritualium fœcundæ & viuificæ scientiæ, proprietates & radices rerum omnium propagandarum delitescunt. Omnis itemque habitus, dispositio, figuræ omnes qualitates, quantitates seu dimensiones, sapores, odores, colores includuntur: quæ suis temporibus opportuna maturitate ex sinu illorũ efflorescunt. Atque hæc simplicia elementa, aut etiam principia tanta sympathia ac amicitia, spiritualia semina amplectuntur, & hæc mutuam reddunt elementis & principiis reciprocationem, vt semel à parentibus in speciem aliquam aut indiuiduum traducta, nunquam finem faciant (suæ vnionis cum simplicibus elementis recordatione) quin tandem denuò, corporum naturalium prædestinatione & lithurgia consummata, ad auos suos & proauos retrogrediantur, ibique conquiescant; quemadmodum flumina ex suo elemento maris progressa, atque huc & illuc diffluentia, relictis vbique tandem & depositis fœtibus (ceu aluo exonerata) ad matrices suas & principium redeũt: vnde nouas vires mutuo amplexu sobolis propagandæ suscipiũt. Quæ quidem sunt (vt iam diximus) Socraticorum in Parmenide, Stoicorum de causa continente, Anaxagoræ de syncrisi atomorum & Hippocratis libris de diæta opiniones.

Atque hæc perpetua circulatio est, qua cœlum terræ maritatur, & inferiora elementa cum superioribus coeunt. Perpetuis enim vaporibus ex centro terræ in aquas expulsis, & ex aquis in aerem euectis, astrorum cœlestium attractione, nec non vi & appetitu elementorum inferiorum, edendæ prolis, ac concipiendæ ex cœlo, seminibus hinc inde concurrentibus tandem elementa redeunt ad suos parentes, grauida & cœlestibus formis impregnata: ibique semina sua fouent, dum tandem opportunè patruriant & fœtus suos excludant. Quæ quidem impragnatio aliunde

non procedit, quàm ex astralibus illis seminibus tribusque formalibus principiis, mercurio, sulphure & sale, omni scientia, proprietatibus virtutibus, & tincturis instructis: sibi ex spirituali suo corpore, materiale sibi accommodent, ac suis proprietatibus animent ac exornent. Siquidem mercurii est partibus vitam elargiri: sulphuris incrementum corporis dare: & salis duo illa compingere, & in vnum corpus firmum coagulare.

Tria igitur hæc formalia principia à nobis ex suis officiis ac proprietatibus descripta, etsi magis spiritualia sunt, quam corporalia, iuncta tamen cum elementis simplicibus materiale corpus mixtumq; ac compositum constituunt, augent, fouent, & in statu suo ad prædestinatum vsque finem conseruant.

Cum autem seminum proprietates, signaturæ & potestates insitæ sint & inclusæ illis principiis, vitalesque suas qualitates saporum, odorum, colorum in ipsis quoque occultas habeant, etsi materialia vtcunque sint illa semina: naturam tamen formæ potiùs æmulantur quàm materiæ: elementa verò contra materiæ magis adhærent, quàm formæ. Idcircò ea vocantur à Philosophis simplicia principia formalia propriè & κατ' ἐξοχὴν, quòd formalia & potiora sint, ornata atque ditata, primis ac præcipuis seminum astralium facultatibus. Elementa verò dicuntur principia materialia simplicia. Illis actiuę qualitates, his passiuæ tribuũtur. Atque sic ex illis vtrisque secundariò quasi, & quàm proximè, ut dictum est, omnia mixta corpora componuntur ac subsistunt.

Hæc ita esse, nec plura tribus illis principiis in rerum natura inueniri, interna corporum naturalium anatomia, diuisione, partitione ac resolutione demonstrari potest. Subijciemus etiam oculis ipsa elementa, quæ cum hypostaticis illis principiis iuncta corpus naturale constituunt. Quin & pariter ostendemus, ac minutim singula ita excutiemus, ut facultates, proprietates & qualitates, tùm activas, tum passivas in tribus verisque principiis videndas exhibeamus. Vnde non exiguus fructus proventurus est: futurumque sit ut appareat, aliò quàm ad solam crasin & mixtionem elementorum referẽdas esse, & morborum causas, & remediorum facultates.

Si igitur propiùs ac minutiùs singulorum indiuiduorum generationem intueri ac texere velimus, cõperiemus verũ esse quod diximus: Simplicium nempè principiorum alia esse formalia & spiritualia, alia materialia, corporea & visibilia. Inuisibilia autem esse elementa simplicia formalia, semina astralia & principia spiritualia. Visibilia verò eadem esse, sed materiali corpore induta. Quę quidem duo corpora, spirituale & materiale, inuisibile & visibile, in omni indiuiduo continentur, etsi spirituale non nisi ratione motus, vitæ & functionum cerni queat: attamen inest.

Princi-

Principia visibilia & materialia corpora sunt trium generum

nempè:
- seminum.
- principiorum.
- elementorum.

Horum alia sunt:
- activa, ut seminum, principiorum.
- passiva, ut elementorum.

Corpora seminũ visibilium activa, seu in quib⁹ est aliqua *δυώαμις*, sunt:
- semina animalium Venere evibrata.
- stirpium in suis thecis inclusa.
- fossiliũ, magna impedimentorum mole obruta.

Quę omnia latentes sub se habent spiritus.

Corpora activa principiorum:
- humida duo:
  - Mercur.
  - Sulphur.
- siccum unum, sal.

Mercurius est liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis: purissimũ & æthereum illud corpus *ὑσιώδες*: Aerea, subtilissima, vivifica, ac spirituosa substantia, pabulum vitæ, & *ὑσία* seu formę proximum instrumentum.

Sulphur est humidum illud, dulce, oleaginosum, viscidum, substantificum primigenium: ignis seu caloris naturalis pabulum, leniendi & agglutinandi vi præditum.

Sal, corpus est illud siccum, salsum, purè terreum, salis naturam repræsentans, mirandis virtutibus pręditũ, dissolvendi, coagulandi, detergendi, evacuandi, & infinitis aliis facultatibus, quas in individuis, & ab individuis suis separatas in aliis corporibus exercet.

Aliter.

Sal principium est firmum fixum & substantificum rerum cunctarum: ideoq; comparatur cum terræ puro ac puto elemento. Quod sal non est sua naturâ frigidum & siccum (ut volunt esse terram) quæ qualitates nihil aliud sunt, quam mors rerum; sed potius calidum, & qualitate activa præditum, quippe ꝙ inservire debeat generationi rerum cunctarum.

Sulphur confertur igni: facillimè namq; ut illud flammam concipit & ardet: queadmodũ & reliqua omnia, q̃ de natura ejus participãt, cujusmodi sũt resinosa pinguia & oleaginosa.

Mercurius analogia respõdet aeri & aquæ: non n. tantum aqua illa sicca mineralis, quam & alio nomine hydrargirum & argentũ vivũ vocant, mercurius dicitur, sed omnis aqua seu liquor activa aliqua virtute dotatus mercurius quoq; dicitur ꝓpter excellentiam. Qui mercurius, ut diximus, utriq; elemento, aeri, inquã, & aquæ adsimilari potest: aeri, ꝙ calori admotus, nihil ferè esse deprehẽdatur, q̃ aer seu vapor, qui statim in auras evanescat. Hunc si placet, non malè humidum activũ dixeris. Aquæ verò comparari potest, quòd sit fluvidus, nec proprio sed alieno termino, dum in sua natura est, contineatur, quæ humidi est, apud Aristotelem desinitio.

Hæc tria, inquam, principia in omnibus corporibus reperiuntur,

tan-

tanquam substantiæ internæ ac necessariæ ad compositionem omnis corporis mixti. Nam humiditas prædicta mercurialis volatilis ac spirualis cum parte terrena corporea atque fixa propter ingentem illam discrepantiam atque contrarietatem utriusque consociari facilè cùm non posset: opus fuit medio ac ceu quodam sequestro, qui utriusque, hoc est, tam spiritualis quàm fixi participatione utrumque coniungeret. Atque hoc est sulphur seu oleum, quod inter fixum atque volatile medium quiddam tenet. Numquam enim tam facilè, nec tam citò, aut tam benè destillatur oleum, ac aqua: accedit quod sulphuris seu oleaginosi corporis substantia sit tenax, ideoque aptissima ad combinationem reliquorum duorum ad efficiendam bonam, perfectam & æquabilem mixtionem. Res exemplo fiet manifestior. Quemadmodum enim nunquam tenax atque laudatum cœmentum confici potest ex sola aqua, atque arena, sed calce insuper opus est, quæ utraque illa tanquam oleum ac gluten quoddam connectit.

Sulphur itaque, seu oleaginosa substantia, & salis & mercurii est mediator, & utrumque copulat; nec copulat tantùm, sed acrimoniam salis atque mercurii aciditatem, quæ ut plurimum in eo reperitur, reprimit atque contemperat. Haud secus sanè ac spiritus, & humidum illud vivificum seu radicale, animam, substantiam incorpoream, cum corpore, toto genere ab illo distāte conjungit.

Apparet itaque, qua ratione tres hæ naturæ possint cōsistere simul, atque corpus mixtum, ac perfectum constituere. Nam quemadmodum sal solum per se istud prestare nequit: ita nec duo isti humores fluxiles & mobiles sua natura corpus fixum, firmum atque solidum componere sine sale possunt. Rursus sulphure opus est tanquam glutine, quo sine alioqui mercurialis liquor absorbetur à siccitate salis terrestris & violentia caloris ignei quem continet. At humor mercurialis reliquorum est tanquam vehiculum ad penetrationem & mixtionem facilitandam serviens.

Hæc tria principia ab Hermete olim antiquissimo Philosopho dicta sunt spiritus, anima, corpus, ut Mercurius sit spiritus, sulphur anima, sal corpus. Corpus autem spiritu jungitur, sulphuris seu animæ vinculo, quod affinitatem habet cum utroq; extremo, tanquam medium extrema copulans. Mercurius enim est liquidus, rarus, permeabilis, Sulphur ceu oleum molle, fluidum. Sal siccus, densus, stabilis. Quæ tamen ut diximus in se invicem ita proportionata sunt, vel proportione contemperata, ut in hac principiorum contrarietate symbolum magnaque analogia reperiatur. Sulphur enim seu humidum illud oleaginosum mediū est, ut diximus, quod sua humiditate, mollitie & fluiditate, duo extrema, nempè salem fixum, & mercurium volatilem, conjungat: siccitatem salis nimirum & liquiditatē mercurii sua

ſua humiditate viſcoſa: denſitatẽ ſalis, & permeabilitatem mercurii, ſummè contraria, ſua fluiditate: quę medium tenet inter ſtabile & permeabile. Adde quod ſumma ſua dulcedine mercurij aciditatem, & ſalis amaritudinem contemperat, & ſua viſciditate mercurij volatilitatẽ cum ſalis fixione conciliat.

Tria illa Chymicorum principia non ſunt ſal, Mercurius ac ſulphur vulgaria: at aliquid natura purius ac ſimplicius; ꝙ tamen analogia quadam ſali, mercurio, ſulphuri vulgaribus reſpondet, vnde etiam principia noſtra eiuſmodi nomẽ ſuum ſortita ſunt. Nec immerito quod vulgaria iſta ſint inter omnia mixta, ſimpliciſſima ac maximè ſpiritualia. Alia enim mixta craſſioribus corporum ſubſtantiis impediuntur, quo minus æquè volatilia ac ſpiritualia ſint, aut dici poſſint, ſiquidem multos heterogeneis etiam partibus cõſtant, quibus vulgares iſti ſpiritus non adeo irretiuntur.

Sunt autem porrò varia atque diuerſa ſalium genera, quæ vt in natura ſeorſim, ſic & in omnibus corporibus mixtis reperiuntur. Nempe ſal commune (quod ipſum mare per ſecretos & intimos canales toti terræ communicat) itemque ſal gemmæ, alumen, cuius plures ſunt ſpecies, vitriolum, ſal armoniacum & ſal nitrũ, quod ſal petræ vocant. Inter hæc ſalia duo ſunt volatilia, atque duobus liquoribus inſenſibili quadam ratione permixta: nitrum nempe ſiue ſal petræ & ſal armoniacum naturæ: nitrum quidem de ſulphure, oleoſoq; rerum liquore participat, armoniacum de mercurio, ſeu humore rerũ mercuriali.

Imò ſi vlterius ad vegetabilia progrediamur infinita occurrunt ſalium genera ab illis deriuata. Datur enim ſal dulcis vt ſaccarinus: amarus vt abſynthium, acidum vt acetum, auſterum & ponticum vt cydoniatum, omphacinum & id genus alia, quorum balſamo nutriuntur fouentur & conſervantur.

Verum vt aliquantulum explicatius agamus, apertè nobis ab Hermeticis in rerum natura ſex ſalium diuerſorum genera explicantur.

Inter eiuſmodi ſales alij ſunt terreni, alii aquei, alij aerei, aut quibus vel elementum terræ, vel aquæ, vel aëris dominatur: ita vt alij eorum fixi ſint, atque naturæ terreſtris: alii inter fixum & volatile mediam quandam proprietatem aqueam obtinẽt: At ſal Armoniacus naturæ (vt & Armoniacus vulgaris) ſpiritualis eſt, ac omnium maximè volatilis & aereus.

Omnis autem ſal, ſiue volatilis, ſiue fixus, non aliter in aquis diſſoluitur, & commiſcetur, quàm aqua aquæ, etſi una ſit aqua ſicca, altera humida & madida.

Tria hęc ſalium genera, quę in abditis rerum partibus inhærent, ſive ſint metallicæ, vegetabiles, ſive animales, quæve ſedem habent in co p̃cipuè elemento, quod ex terra generationes ſuas producit (ut fusè alibi demonſtravimus) de natura trium principiorum participant. Cõmunis

tualia corpora aut corporei ſpiritus *prima* vocantur *materia*, quòd radicibus vel ſeminariis rerum principiis proximi adhæreant: à quibus dona, proprietates & officia corporibus finitima emanãt: ita vt ij ſint, qui propriè innata quadam mechanica arte, ſeu artificioſa ſcientia inſtructi & dotati ſunt: quique ſaporum, colorum, odorum, reliquarumque qualitatum virtualium, vt & figurarum, magnitudinum, dimenſionum & proportionum notitiam poſſident. Ij in omnibus ſeminibus conſpicuis tanquam matricibus, incluſi deliteſcũt: vt ſic videre liceat, dum functiones obeunt, ex tantula glande proceram quercum enaſci: & ex grano, aut ſemine nigri vel albi coloris extrinſecus apparentis, varios ac diuerſos colores, juxta proprietatem, quam intrinſecus habet inſitam, nec non varios odores atque ſapores emergere. Quod omnibus ſeminibus, cuiuſcũque ſpeciei ſint, innatum eſt & proprium: ita vt nihil eiuſmodi ab illis produci queat, ſi ſpiritibus ſuis deſtituta fuerint. Et quamuis quantitate & mole corporis extrinſecus nihil imminuta deprehendantur: omni tamen propagationi & generationi, ex priuatione ſuorum ſpirituum, prorſus inutilia ſunt: vtpote qui ſpiritus ſoli authores ſint eiuſmodi impreſſionum, ſignaturarum vitalium, omniumque actionum & facultatũ, quas neque ad craſim & temperaturam, neque ad nudas illas elementales caliditatis, frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis qualitates referre jure liceat: vt quæ ſint agentia ὁμοειδῆ, eam ſimul qualitatem extrinſecam, quam habent, in patiens corpus imprimentia. Sic enim ignis calidam rem efficit, glacies & nix frigidam. At ſpirituales illæ rerum ſubſtantiæ κατ' ἐντελέχειαν agere dicuntur, id eſt, intrinſeca ſua vi & facultate, quæ ἐντελέχεια ſeu perfectio dicitur.

Fons & origo omnium qualitatũ.

Ariſtotelici & nonnulli medici, quod ſpiritibus adſcribere debuerunt, id toti ſubſtantiæ, & ſubſtantiali formæ arrogant, illas nimirum facultates, vires, poteſtates, actiones, quarum nullam aliam cauſam eſſe volunt, quàm ſubſtantiam & formam ſubſtantialem, quæ κατ' ἐντελέχειαν afficiunt & mouent aliquid ſeu alterant, Non quòd id præſtent manifeſta ſenſui qualitate, prout elementa: ſed occulta vi & potentia formæ ſubſtantialis: vt, verbi gratia, calor zinziberis non eſt manifeſtus, nec tactu percipitur, vt ignis calor: ſed occulta eſt vis ipſius zinziberis: & ejus actio, niſi calore animalis moueatur, percipi non poteſt. Quod proprium quidam eſſe autumant occultarum potentiarum ſeu facultatum abditarum: & κατ' ἐντελέχειαν fieri dicunt, vt ſuprà.

Tota ſubſtantia peripatet.

Quod autem iſti tribuunt ſubſtantiali formæ, Hermetici aptiùs & tutiùs prædictis ſpiritibus adſcribũt, tribuſque principiis hypoſtaticis, nempe ſali, mercurio, & ſulphuri. Sali quidem & mercurio ſapores & colores vendicant, cum detergendi, aperiendi, mundandi, euacuandi, & inſtar balſami, ab omni putredine corpus

Salis hypoſtatici proprietates.

corpus conseruandi facultatibus. Sulphuri verò odores, cum consolidandi, agglutinandi, & dolores sedandi viribus & proprietatibus. Ita vt hinc videre liceat, quàm parū inter se vtraq; secta dissideat, & ad mutuam concordiam, secus quàm creditur, propensa sit.

Sulphuris.

Sed vt ad spiritus nostros redeamus: abundè docuimus, *illis solis propriè omnes omnium actiones deberi*: clarioremque inde doctrinam ac demonstrationem percipi, si eis tàm illustres & admirandi eiusmodi effectus tribuantur, quàm si formis, aut toti substantiæ adjudicentur. Alioqui perinde esset, ac si procul, & quā remotissimè, è cœlo videlicet, peteremus, quod penes nos & præ manibus habemus: vt multis vitium hoc commune est, quòd internæ corporum anatomiæ, in quibus, vel ipsis oculis, spiritus admirandis virtutibus & actionibus præditos intueri licet, ignari sint.

Spiritus illi reperiuntur non tantum in vegetabilibus & animalibus, sed & in mineralibus, iique virtutum admirandarum ac variarum, adeoque tum boni tum mali.

Spiritus metallorū.

Qui diu multumque in subtili rerum vitalium anatomia sunt exercitati, horum spirituum varietatem & miros effectus ob multiplices quas exerunt actiones, præ cæteris facilè dignoscent, percipientque huiusce generis spiritus (quos idcirco vitales nuncupauimus quia incredibili præstant virtute & actiuitate) non modo per suos effectus in rebus vegetabilibus & animatis delitescere, sed etiam in substantiis metallicis; quæ tamen illis penitus carere videntur, eò quod nullis vitæ polleant facultatibus.

Quod autem malè in vulgari philosophia, metalla reliquaque mineralia omni vitali vigore destituta esse dicantur: vel *aurum ardens fulminans* conuincit, quod plenum est spiritu, tantæ subtilitatis & actiuitatis, vt pauca quædam ejus grana, dum solo motu vel radiorum solarium ejaculatione flammam conceperint, instar explosi sclopeti, maximo naturæ mysterio, perpendiculariter centrum versus sic ferantur, vt mensam ligneam valeant transuerberare.

Metalla viuere.

Quin imo in auro Spiritus ceu principium auri inest, quod si ritè præparetur, & in terram suam initiatur, vt in ea putrescat, digeratur ac fermentetur, in primum ens tandem redibit, hoc est, in spiritū mercurialem, qui liber à denso illo corpore, reuiuiscit, & quicquid sibi tùm congenitum nanciscitur, illud in sui simile vertit, ac longè purius nobiliusque reddit, quàm esset anteà ipse parens, quemadmodum ex tritico nobis apparet, quod ex simplici grano, radicem, herbam, caulem, spicam, & centum ex vno grana producit.

Eodem modo scias artem noui nihil producere sed naturam iuuare, eamque promouere ac intendere digestionibus ac coctionibus, vt cùm semen auri compedibus suis vinctū nullas

perabit, si spiritu ferri, quod magnã cum ipso habet affinitatem, animetur: prout ipsa plures docuit experientia.

At Magnes, ais, trahit ferrũ vi formæ seu proprietate substantiæ? Confugis hic ad proprietates occultas, cũ nullam rationem possis reddere virtutis Magneticæ in ferri attractioné. Quomodo potes dici Medicus & Philosophus, si ignoras vnde spiritus nostri in corpore latentes famelico appetitu statim ex cibo & potu nutritiuos spiritus extrahunt, quibus reficiantur? An te fugit, spiritus in alieno corpore morantes suæ naturæ corpus validiùs attrahere, quã si in proprio corpore manerent, vbi infixi quiescerent? Sic Magnes, cùm habeat spiritus ferri in se inclusos, quorum non sit proprium corpus, non potest eos ita continere, quin, si proprio corpori, & quod suæ naturæ est, admoueantur, illud ipsum pro omnibus viribus appetant & attrahant. Ita vt spiritus ferri in peregrino corpore positus, longè potentiores vires habeat attrahendi, quod sibi consentaneum est, quàm si suo proprio contineretur, quia in alieno positus proprium desiderat, in suo verò otiosè moratur, in quo ad voluptatem requiescit.

Sic ferrum à ferro non attrahitur, quia spiritus proprio corpore fruitur. At si spiritus in alieno sit corpore (vt in Magnete) & ferro admoueatur, cognationis & vnionis recordatione, statim ad ipsum fertur, aut quia retinetur in corpore peregrino, in quo est, aut corp⁹ suæ naturæ conatur attrahere. Quod allij litu spiritus arceatur, id fit impedimento, quo obtunditur vis eius, nec tantùm allij, sed omnium propè aliarum rerum inductione. Siquidem quo Magnes purior & limatior redditur, eò potentiùs attrahit, quòd nullis obstaculis retineatur.

De spiritibus venenatis Arsenici.

Arsenicales quoque fœtentes ac venenati spiritus, quos instar nubis spissæ ac nigræ in eius sublimatione ascendere videmus copiosissimos, ad huius nostri instituti confirmationem non parum conferre videntur. Ut enim illi, licet candidissimum ac purissimum metallum, suo contactu vel simplici, vel in forma fumi, nigredine summa obducunt: sic quoque congenitos nobis spiritus etiam temperatissimos, per solum odoratus organum recepti, contaminare mirificeque alterare possunt.

De spiritibus Auripigmenti & sandaraca identidem venenatis.

Hic vero obiter notandum occurrit, quod sub Arsenico eiusque spiritibus malignis, *auripigmentum quoque, itemque alia plurima metalla imperfecta*, ac arsenici naturam redolentia, à nobis comprehenduntur.

Ex nonnullis metallis varia aqua vitæ seu spiritus salutares elici possunt.

At è contrario variæ aquæ vitæ, tam ad sanitatis conseruationem, quàm grauissimorum sæpe morborum propulsionem appropriatæ, ex nonnullis metallis, perinde, ac ex corallis & perlis, ab experto Chymico elici possunt.

Quod

Quod sales ipsi spiritibus abundent, cum malignis tũ salutarib.

Quod autem ad *spiritus salium metallicorum spectat, vt salis nitri, vitrioli, aluminis, salis armoniaci, & marini* (quod meritò inter reliqua primum sibi locum vendicat) oppositæ ac plane contrariæ, quas mediantibus suis spiritibus edunt operationes, ingenti nobis esse debent admirationi: dum ipsorum quidam corpora etiam solidissima liquefaciunt, & alij contra vel spiritus coagulant subtilissimos.

In quo tamen maximum nauræ mysterium obseruare licet. Hi namque spiritus, qui aurum omniũ metallorum solidissimum dissoluunt, suam tamen in argentum non exerunt potentiam, nec è contra.

Qua ratione spiritus è suis corporibus eliciantur.

Hi verò spiritus omnes & singuli (licet id secundum magis & minus) sola ignis violentia, à dura corporum, quibus à natura alligati sunt, compage liberantur, ac in ipso quidem emigrationis procinctu, variis sub coloribus, in forma nubis spissioris comparentibus, sese insinuant: qui tamen vbi denuo in aqueam & humidam suam matricem reconduntur, quiescentes penitus euanescunt.

Cæterum qui minus suam prædicti fidem adhibent, aut spirituum istorum mirabiles virtutes inficiantur: adeant aurifabros & metallorum separatores, quoties aurum ab argẽto moliuntur separare, vt promptissimos aquæ fortis effectus aduertant.

Mira circa aquam fortem obseruatio.

Discant inquam vel duabus vnciis dictæ aquæ, tantum inesse virium ac roboris, vt vnciam vnam metalli solidi dissoluere queat. Aspiciant etiã quanta id fiat spirituum contentione vel ad sensum comparente; ac vt opinor desinent, in rerum naturalium spiritus, tantis viribus ab Omnipotente donatos, spiritus sui virus effundere. Videbunt namque quã primum prædicti aquæ fortis spiritus solidum aliquod metallum (patientis vicem gerens) aggrediuntur, tanta id fieri velitatione, & pugna ad tempus ancipiti, vt non solùm ipsa aqua ex tali motu incalescat, verùm ad rubedinem vsque ipsius vasis exardescat: copia ipsorum maxima per collum, fumi partim rutilantis, ac rufescentis, partim nigricantis specie, euolante, ac instar flammæ ignis calorem in omne latus diffundente. Conflictu verò hoc ad finem perducto, aquam sponte videbis refrigerari, licetque de eius materia, seu quantitate vix quicquam decesserit, eundemque fere gustum quo antea prædita fuerat retinuerit: nulli tamen in posterum metallorum inseruiet separationi, eo quod nimirum suis priuata sit spiritibus, ad quos omnis huiuscemodi referri debet operatio.

Ex eo porrò, quod gustum pari fermè qua prius feriat acrimonia, colligere licet, impotentiam hanc non inde pendere, quod omnes omninò ex ea spiritus euolarint: sed quod exorta inter contentos adhuc, & materiam eos continentem seu matricem, ob priorum exhalationẽ disproportione, reliqui quodammodo detineantur ligati. Acrimonia siqui-

siquidem illa, quæ in aqua adhuc residet, spirituum à quibus oritur præsentiæ fidus est nuncius.

Hinc phlegmate seu humore passiuo, hanc dyscrasiam producente, per cohobationem seu redestillationem separato, prioribus viribus quasi recuperatis ad parem molitionem idonea redditur: idque quod repetendum est, quamdiu acrimonia aquæ supererit. Ex quibus colligi facilè potest virtutem illam dissoluendi, non acrimoniæ, sed solis spiritibus tribuendam esse.

Cum idem probat sal petræ & sal vulgare. Quum salpetræ sua terra, qua continetur & generatur, conspurcatus adhuc est, & sulphur sua minera nondum exutum & defæcatum: vtriusque agendi vis vsque adeò languet obtusa, ob substantiarum corporalium & terrestrium, quibus deuinciuntur, mixtionem, vt ne flãmam quidem possint concipere. At cum suis corporum vinculis soluta & expedita sunt, simulque miscentur: palam est, quantis agant viribus, quãtoque potentes eorum virtutes impetu sese exerant.

Vulgarem & marinum salem in quotidiano ciborum vsu sumimus & edimus: edulia eodem condimus, quo, vt balsamo, à putredine vindicentur. Porrò frustra coronatum aureum, vel drachmam vnam auri, sexcentis salis marini libris immergamus & sepeliamus, à quo ne tantillum quidem varietur, aut immutetur: à cuius tamen spiritus è corpore extracti & separati vncia duæ vel tres auri drachmæ, aut etiam plures vno momento in aquam solui possint. Possemus multa alia in medium exempla proferre.

Sed hæc satis sunt. Si igitur corpora mineralia ac metallica, quæ tamen vulgò vt vita, sic actione omni spoliantur, tanta partim noxiorum, partim salutarium spirituum copia turgent: quid de vegetabilibus dicendum fuerit & animantibus? quorum vt vita longè manifestior, spirituum majores diuitias pollicetur & vbertatem, sic ars ipsa, & quæ versatur in eorum extractione experientia, huius nostræ veritatem philosophiæ, ad oculum quasi demonstrat.

Ac vt ab animantum genere incipiamus, spiritus hos tam bonos, salutares, secundumque naturam: quàm malos, perniciosos, ac contra naturam se habentes, ac partibus quidem solidis radicaliter, nobilioribus verò simul originaliter ac emanatiuè (absit artis vocabulis inuidia) insitos, humoribus verò per influentiam seu irradiationem communicatos, dicimus similiter esse tripartitos: *quibusdam* ipsorum naturam aëream, vaporosam, ac subtilissimam adeptis, *aliis* verò naturæ existentibus fuliginosæ, *aliis* denique quodammodo intermediæ, vt essentiæ sic consistentiæ, halituosæ videlicet, sulphureæ, ac oleaginosæ. Hi præterea spiritus, cum in omnibus animantium generibus, tum in homine potissimum, juxta communem Hermeticorum sententiam reperiuntur, à qua non longe nec ipsemet abest Hippocrates, quãdo ait,

do ait, *Corpora nostra constare continentibus & contentis.* Quorum terminorum priori nihil aliud quàm continentes ac in se recipientes matrices: posteriori verò substantias spirituales contentas, ac à prioribus receptas voluit significare. *Contentorum* quoque à Dogmaticis triplex proponi solet partitio. *Quædam* enim sunt *substantiæ quoquo versum impetuosæ*, seu impetum facientes, sive synceræ & ætheræ, sive se habeant secundum naturam, quales naturalis, vitalis & animalis spiritus: sive noxia quadam qualitate, tanquam affusa nebula sint contaminatæ.

Quædam rursus *humectantes*, siue humores tam utiles, quàm inutiles & excrementitij, eò quod spiritus salutares & noxij in ipsis inhabitent. Et *aliæ* denique *effluentes*, communiterque exhalantes, sive humidæ, quas vapores: sive siccæ, quas exhalationes & fumos nominant.

A Dogmaticis his multùm dissident Hermeticorum suffragia, si bene & accuratè intelligantur.

In vegetabilium verò genere nostram hanc, tam proborum quàm perversorum spirituum distributionem *tribus membris* comprehensam haud difficilè fuerit stabilire.

Mercuriales siquidem, vaporosi, aërei magisque subtiles, vt in partibus vegetabilium resident mollioribus, floribus nimirum ac folijs, sic aquarum oleorumve extractione ac destillatione ab ipsis separantur. *Salsuginosi* verò, ut magis fixi, sic in partibus quoque vegetabilium radicantur durioribus, lignis videlicet, corticibus, & radicibus, sale abundantibus: ex quibus postmodum ignis violentiâ separantur. *Sulphurei* denique & oleaginosi spiritus, ut inter æthereos subtiliores, ac terrestres salsuginosos, quodammodo intercedunt medij: sic in vegetabilium seminibus continentur, consistentia & situ quodammodo inter folia & ligna intermediis. Insunt vero seminibus cunctis etiam frigidioribus, (qualia sunt papaveris & lactucæ) quæ quoniam prę reliquis compositi partibus magis sunt contemperata, naturæque familiaria, spiritus quoque omnium defæcatissimos, & magis ad speciei conservationem destinatos complectuntur. De oleorum vero ex seminibus extractione præcepta tradere, vetat rei facilitas publicaque notitia.

Hîc vero minimè prætereundum est in hac *vegetabilium classe*, non minùs quàm mineralium & animalium ordine, omnes jam enarratos spiritus, rursus duorum generum existere: *alios*, bonos, salutares, balsamicos, & conseruatores, tam videlicet Mercuriales, quàm sulphureos, & salsuginosos: *alios* quoque malos ac noxios, tam Mercuriales, quàm sulphureos, & salsuginosos.

Q. *Cum Deus omnia creaverit valde bona unde potentia seu spiritus mali?*

R. Creavit Deus naturam valde bonam & beneficam, id est, potẽtiis salutaribus instructam, quibus creaturæ oblectarentur. Verum e-

nim-

nimvero, ut liberrimum agens ipse creator existit: ita & hominem ad similitudinem suam liberè, non coactè agentem condidit. Hanc libertatem autem potentiis molestantibus coercuit, quas ordinaverat indecenti rerum tractationi sive abusui. Nimirum benefica ea potentia ita erat constituta, ut pro diversitate tractationis sive culturæ usus sc. genuini vel abusus, oblectantes vel molestãtes fructus proderet. Oblectantes si decenter & ex præscripto ac voluntate Dei res tractaretur, molestantes, sin contra indecenter atque modo voluntati divinæ contrario, idque gravius aut levius pro delictis. Potentiarum enim oblectantium quo major destinata est oblectatio, eo gravior quoque molestantium molestia fuit ordinata, delicto proportionaliter inhærens. Res exemplo erit clarior: sal marinũ, Nitrum, vel id genus aliud quoddam sal reconditam in se continet potentiam beneficam, in centro sopitam. Hæc si debitè suaviter & cum ingenio eruatur, ut internum illud & occultum in lucem prodeat, summam præbet medicinã. Econtra si sal ipsum tincturam bonã producere aptum & pronum, violẽter tradetur, atque ex Retorta igne violento cogatur, spiritum fundit pniciosum, qui loco caloris vivifici ac dulcis, æstu ac acrimonia corrodente, præditus est. Et hac ratione degenerat bonum in malum.

Vel: Creaverat Deus Naturam instructa in potentiis tũ bonis tum malis. Illæ in actum erant collocatæ; hæ in potentia delitescebant, emergendi occasionem expectantes. Occasio illa est sententia iudicis Iustissimi, dè emergendo ac puniendo. Etenim sic adsunt actutum, vires suas exerunt, decretumque Iudicis exequuntur.

Variæ autem sunt nocivæ hæ facultates, excitanturq; pro delictorũ quoq; varietate, ut recta hic locum habeat proverbium, quo quis peccat, eo punitur. Nimirum, quia Deus per naturã, eiusque potentias agit, si facultas illa benefica in vanum usurpetur, prodit malefica in pœnam. Et hoc videtur fundari in dicto illo Ecclesiastici c. 33. v. 15. Bonum contra malum. Vita contra mortem &c.

Vtraque hæc opinio etsi scripturã sacram favorabilem, vel saltem non contrariam habeat, nollem n. quicquam contra eandem statuere: Attamen prior illa ad metam propius culpam collimare forsan videbitur. Morosos enim commovere posset, quod Deus sub beneficis potentiis maleficas reconderit. Perpendant autem hi ipsi, quod Deus ad sententiam suam exequendã tribulos ac spinas quibus potentiæ molestantes, vel ipsius nominis ratione denotantur, post lapsũ non condiderit, sed ante lapsum cõditas exerere vires iusserit. Idem de serpente Iudicium. Videatur infra in Pathologia.

CAP. VIII.

De Principiis hypostaticis.

PRincipio illi primo materiali subordinantur principia hypostatica & elementalia.

Hypostatica sunt, quæ maiori vi ac efficacia præ reliquis pollent, vnde & in schola Hermetica Cherionia virilia, virtuosa dicuntur. Suntque Sulphur, Mercurius & Sal.

Sal est principium humido siccum, in aqua solubile & concretile.

Sulphur est principium humidum pingue inflammabile.

Mercurius est principium inter sal & sulphur natura media, adeoque in aqua partim in oleo dissolubile?

N. Ioan. Raicus tract. de podag. ita describit. *Sal* est principium hypostaticum cum vi fermentandi & coagulandi. Eius v. signatura est, vt intrinsecus sit fusilis, metallorum instar & fixus: extrinsecus autem combustilis & incinerabilis. *Sulphur* principium est hypostaticum cum vi maturandi, tingendi, homogenia attrahendi, heterogenea repellendi, tendendi à centro ad circumferentiam & vicissim. Huius signatura est, vt intra sit fixum, oleaginosum siue pingue: extra inflammabile esse & fugitiuum. Flamma quippe est sulphur volatile. *Mercurius* est principium hypostaticum cum vi vegetatiua & instauratiua. Huius signatura interna est fouere ignem potentem: externa vero est, liquidum, glutinosum, incombustibile & frigidum esse.

N. Quercetanus Principia (res simplices) duplicia facit, videlicet inuisibilia (spiritualia, formalia, astralia) quæ in sensus fugiant, omniumque actionum authores existant, & visibilia (materialia) quæ sub visum traduci possint & per quæ actiones administrentur. Vtraque triplicia statuit; Principia (hypostatica) spiritualia, Elementa spiritualia, & semina spiritualia. Per principia (hypost.) spiritualia nihil aliud intelligere videtur, quàm facultates (δυνάμεις spiritus) primis principiis inhærentes, quibus illa apta nata, seu si mauis quæ δυνάμεις ipsæmet scientia, id est, instinctu naturali prędite sint, vt materialia & visibilia sibi corpora fabricari possint, scilicet Sal, Sulphur & Mercur. Elementa spiritualia sunt similiter facultates principiorum illorum quarum vi Elementa corporalia in mixto fiunt. Semina spiritualia (astralia) sunt rationes seminales, quarum potentia seu operatione semina visibilia existunt, v. g. in Tritico est seminalis potentia seu spiritus qui ex nutrimento visibile semen producit.

Principia visibilia (materialia, corporea) sunt dicta principia, Elementa & semina vi inuisibiliũ illorum producta Quercetani verba satis alias obscura hæc sunt.

Totus inquit hic orbis in duos globos diuisus est, superiorem videlicet, cœlum æthereum (quod ab ardendo, fulgendo vel lucendo, ἀπὸ τοῦ αἴθειν sic dictum est, quodque igneũ cœlum, formale, & essentiale elemẽtum est) nec non aerem seu aereum cœlum constituentem: & inferiorẽ globum, qui quidem complectitur aquam & terram.

Quæcumque autem quatuor istis corporibus comprehenduntur, quæ elementa sunt

sunt & receptula rerum omnium, vel res sunt simplices, vel corpora ex illis mixta & composita.

Simplicia sunt, quæ ex aliis prioribus seorsim existentibus non sunt, sed ex quibus omnia fiunt, & in quæ resoluuntur omnia. *Composita* siue *corporea* sunt, quæ tùm ex simplicibus sunt, tùm in simplicia dissoluuntur.

Simplicia porrò distinguuntur *in ea, quæ sunt simplices formæ, & ea quæ materiæ simplices* sunt: aut *in ea quæ simpliciter formalia sunt, & ea quæ sunt simpliciter materialia.* Sic corpora *diuiduntur in corpora materialia & corpora formalia.*

Quæ simpliciter formalia sunt, astralia & spiritualia: elementa sunt formalia: semina formalia, & tria principia formalia: hoc est, quæ ita spiritualia sunt, vt sensibus nostris non occurrant.

Elemẽta autem formalia, de quibus nobis est sermo, ea nobis dicuntur, in quorum sinu rerum astralia semina & formalia principia, vt in sua propria receptacula diffusa & reposita sunt: in quibus simplicibus & spiritualibus elementis seminum & principiorum spiritualium fœcundæ & viuificæ scientiæ, proprietates & radices rerum omnium propagandarum delitescunt. Omnis itemque habitus, dispositio, figuræ omnes qualitates, quantitates seu dimensiones, sapores, odores, colores includuntur: quæ suis temporibus opportuna maturitate ex sinu illorũ efflorescunt. Atque hæc simplicia elementa, aut etiam principia tanta sympathia ac amicitia, spiritualia semina amplectuntur, & hæc mutuam reddunt elementis & principiis reciprocationem, vt semel à parentibus in speciem aliquam aut indiuiduum traducta, nunquam finem faciant (suæ vnionis cum simplicibus elementis recordatione) quin tandem denuò, corporum naturalium prædestinatione & lithurgia consummata, ad auos suos & proauos retrogrediantur, ibique conquiescant; quemadmodum flumina ex suo elemento maris progressa, atque huc & illuc diffluentia, relictis vbique tandem & depositis fœtibus (ceu aluo exonerata) ad matrices suas & principium redeũt: vnde nouas vires mutuo amplexu sobolis propagandæ suscipiũt. Quæ quidem sunt (vt iam diximus) Socraticorum in Parmenide, Stoicorum de causa continente, Anaxagoræ de syncrisi atomorum & Hippocratis libris de diæta opiniones.

Atque hæc perpetua circulatio est, qua cœlum terræ maritatur, & inferiora elementa cum superioribus coeunt. Perpetuis enim vaporibus ex centro terræ in aquas expulsis, & ex aquis in aerem euectis, astrorum cœlestium attractione, nec non vi & appetitu elementorum inferiorum, edendæ prolis, ac concipiendæ ex cœlo, seminibus hinc inde concurrentibus tandem elementa redeunt ad suos parentes, grauida & cœlestibus formis imprægnata: ibique semina sua fouent, dum tandem opportunè parturiant & fœtus suos excludant. Quæ quidem imprægnatio aliunde

non procedit, quàm ex astralibus illis seminibus tribusque formalibus principiis, mercurio, sulphure & sale, omni scientia, proprietatibus virtutibus, & tincturis instructis: sibi ex spirituali suo corpore, materiale sibi accommodent, ac suis proprietatibus animent ac exornent. Siquidem mercurii est partibus vitam elargiri: sulphuris incrementum corporis dare: & salis duo illa compingere, & in vnum corpus firmum coagulare.

Tria igitur hæc formalia principia à nobis ex suis officiis ac proprietatibus descripta, etsi magis spiritualia sunt, quam corporalia, iuncta tamen cum elementis simplicibus materiale corpus mixtumq; ac compositum constituunt, augent, fouent, & in statu suo ad prædestinatum vsque finem conservant.

Cum autem seminum proprietates, signaturæ & potestates insitæ sint & inclusæ illis principiis, vitalesque suas qualitates saporum, odorum, colorum in ipsis quoque occultas habeant, etsi materialia vtcunque sint illa semina: naturam tamen formæ potiùs æmulantur quàm materiæ: elementa verò contra materiæ magis adhærent, quàm formæ. Idcircò ea vocantur à Philosophis simplicia principia formalia propriè & κατ' ἐξοχὴν, quòd formalia & potiora sint, ornata atque ditata, primis ac præcipuis seminum astralium facultatibus. Elementa verò dicuntur principia materialia simplicia. Illis actiuę qualitates, his passiuæ tribuũtur. Atque sic ex illis vtrisque secundariò quasi, & quàm proximè, ut dictum est, omnia mixta corpora componuntur ac subsistunt.

Hæc ita esse, nec plura tribus illis principiis in rerum natura inueniri, interna corporum naturalium anatomia, diuisione, partitione ac resolutione demonstrari potest. Subijciemus etiam oculis ipsa elementa, quæ cum hypostaticis illis principiis iuncta corpus naturale constituunt. Quin & pariter ostendemus, ac minutim singula ita excutiemus, ut facultates, proprietates & qualitates, tum activas, tum passivas in tribus verisque principiis videndas exhibeamus. Vnde non exiguus fructus proventurus est: futurumque sit ut appareat, aliò quàm ad solam crasin & mixtionem elementorum referẽdas esse, & morborum causas, & remediorum facultates.

Si igitur propiùs ac minutiùs singulorum indiuiduorum generationem intueri ac texere velimus, cõperiemus verũ esse quod diximus: Simplicium nempè principiorum alia esse formalia & spiritualia, alia materialia, corporea & visibilia. Invisibilia autem esse elementa simplicia formalia, semina astralia & principia spiritualia. Visibilia verò eadem esse, sed materiali corpore induta. Quę quidem duo corpora, spirituale & materiale, invisibile & visibile, in omni indiuiduo continentur, etsi spirituale non nisi ratione motus, vitæ & functionum cerni queat: attamen inest.

Princi-

Principia visibilia & materialia corpora sunt trium generum

nempè
- seminum.
- principiorum.
- elementorum.

Horum alia sunt
- activa, ut seminum, principiorum.
- passiva, ut elementorum.

Corpora seminũ visibilium activa, seu in quib⁹ est aliqua *δυνάμεις*, sunt
- semina animalium Venere evibrata.
- stirpium in suis thecis inclusa.
- fossiliũ, magna impedimentorum mole obruta.

Quę omnia latentes sub se habent spiritus.

Corpora activa principiorum
- humida duo
  - Mercur.
  - Sulphur.
- siccum unum, sal.

Mercurius est liquor ille acidus, permeabilis, penetrabilis: purissimũ & æthereum illud corpus οὐσιώδες: Aerea, subtilissima, vivifica, ac spirituosa substantia, pabulum vitæ, & οὐσίας seu formę proximum instrumentum.

Sulphur est humidum illud, dulce, oleaginosum, viscidum, substantificum primigenium: ignis seu caloris naturalis pabulum, leniendi & agglutinandi vi præditum.

Sal, corpus est illud siccum, salsum, purè terreum, salis naturam repræsentans, mirandis virtutibus pręditũ, dissolvendi, coagulandi, detergendi, evacuandi, & infinitis aliis facultatibus, quas in individuis, & ab individuis suis separatas in aliis corporibus exercet.

Aliter.

Sal principium est firmum fixum & substantificum rerum cunctarum: ideoq; comparatur cum terræ puro ac puto elemento. Quod sal non est sua naturâ frigidum & siccum (ut volunt esse terram) quæ qualitates nihil aliud sunt, quam mors rerum; sed potius calidum, & qualitate activa præditum, quippe ꝗ inservire debeat generationi rerum cunctarum.

Sulphur confertur igni: facillimè namq; ut illud flammam concipit & ardet: quēadmodũ & reliqua omnia, q̃ de natura ejus participāt, cujusmodi sūt resinosa pinguia & oleaginosa.

Mercurius analogia respōdet aeri & aquæ: non n. tantum aqua illa sicca mineralis, quam & alio nomine hydrargirum & argentũ vivũ vocant, mercurius dicitur, sed omnis aqua seu liquor activa aliqua virtute dotatus mercurius quoq; dicitur ꝓpter excellentiam. Qui mercurius, ut diximus, utriq; elemento, aeri, inquã, & aquæ adsimilari potest: aeri, ꝗ calori admotus, nihil ferè esse deprehēdatur, q̃ aer seu vapor, qui statim in auras evanescat. Hunc si placet, non malè humidum activũ dixeris. Aquæ verò comparari potest, quòd sit fluvidus, nec proprio sed alieno termino, dum in sua natura est, contineatur, quæ humidi est, apud Aristotelem definitio.

Hæc tria, inquam, principia in omnibus corporibus reperiuntur, tan-

ſua humiditate viſcoſa: denſitatẽ ſalis, & permeabilitatem mercurii, ſummè contraria, ſua fluiditate: quę medium tenet inter ſtabile & permeabile. Adde quod ſumma ſua dulcedine mercurij aciditatem, & ſalis amaritudinem contemperat, & ſua viſciditate mercurij volatilitatẽ cum ſalis fixione conciliat.

Tria illa Chymicorum principia non ſunt ſal, Mercurius ac ſulphur vulgaria: at aliquid natura purius ac ſimplicius; ꝙ tamen analogia quadam ſali, mercurio, ſulphuri vulgaribus reſpondet, vnde etiam principia noſtra eiuſmodi nomẽ ſuum ſortita ſunt. Nec immerito quod vulgaria iſta ſint inter omnia mixta, ſimpliciſſima ac maximè ſpiritualia. Alia enim mixta craſſioribus corporum ſubſtantiis impediuntur, quo minus æquè volatilia ac ſpiritualia ſint, aut dici poſſint, ſiquidem multos heterogeneis etiam partibus cõſtant, quibus vulgares iſti ſpiritus non adeo irretiuntur.

Sunt autem porrò varia atque diuerſa ſalium genera, quæ vt in natura ſeorſim, ſic & in omnibus corporibus mixtis reperiuntur. Nempe ſal commune (quod ipſum mare per ſecretos & intimos canales toti terræ communicat) itemque ſal gemmæ, alumen, cuius plures ſunt ſpecies, vitriolum, ſal armoniacum & ſal nitrũ, quod ſal petræ vocant. Inter hæc ſalia duo ſunt volatilia, atque duobus liquoribus inſenſibili quadam ratione permixta: nitrum nempe ſiue ſal petræ & ſal armoniacum naturæ: nitrum quidem de ſulphure, oleoſoq; rerum liquore participat, armoniacum de mercurio, ſeu humore rerũ mercuriali.

Imò ſi vlterius ad vegetabilia progrediamur infinita occurrunt ſalium genera ab illis deriuata. Datur enim ſal dulcis vt ſaccarinus; amarus vt abſynthium, acidum vt acetum, auſterum & ponticum vt cydoniatum, omphacinum & id genus alia, quorum balſamo nutriuntur fouentur & conſervantur.

Verum vt aliquantulum explicatius agamus, apertè nobis ab Hermeticis in rerum natura ſex ſalium diuerſorum genera explicantur.

Inter eiuſmodi ſales alij ſunt terreni, alii aquei, alij aerei, aut quibus vel elementum terræ, vel aquæ, vel aëris dominatur: ita vt alij eorum fixi ſint, atque naturæ terreſtris: alii inter fixum & volatile mediam quandam proprietatem aqueam obtinẽt: At ſal Armoniacus naturæ (vt & Armoniacus vulgaris) ſpiritualis eſt, ac omnium maximè volatilis & aereus.

Omnis autem ſal, ſiue volatilis, ſiue fixus, non aliter in aquis diſſoluitur, & commiſcetur, quàm aqua aquæ, etſi una ſit aqua ſicca, altera humida & madida.

Tria hęc ſalium genera, quę in abditis rerum partibus inhærent, ſive ſint metallicæ, vegetabiles, ſive animales, quæve ſedem habent in eo ꝓcipuè elemento, quod ex terra generationes ſuas producit (ut fuse alibi demonſtravimus) de natura trium principiorum participant. Cõmunis

enim sal & marinus, filtro terræ trãsfusus, decoctus ac digestus in ejusdẽ terræ viscerum calorib. de natura salis fixi ac firmi participat, pater ac origo aliorum omnium. Nitrũm verò partim fixũ, partim volatile, de principio rerũ sulphureo, ut armoniacus sal de mercuriali principio spirituali ac æthereo participat: quorum extremi duo, fixus videlicet & volatilis, sulphurei salis aut nitrosi, partim naturæ volatilis, partim fixæ participis, intercessione copulantur.

Hoc arcto admirandoq; triũ principiorum vinculo, diversę tres salium proprietatib. distinctę substantię apertè elucent, essentia quidẽ similes, at non qualitatum naturis. Præter n. opinionem, ex pingui ac feraci terra, ablutionibus aut aquis nequaq̃ diluta, ingeniosus nitrotecton (etsi omnium, quę hic latent, mysteriorum prorsus ignarus, at solius nitrosi salis extractionis peritus, & ej⁹ soli⁹ extrahendi studiosus) apertè enucleat tria hæc saliũ genera, marinũ nempè & fixum, qui in lixivio solvitur, nitrosum secus, qui ibidẽ coagulatur: & armoniacum volatilem ac aereum, ex lixivio partim avolantem, partim in utroq; sale contentum, ac proinde sensibus obscurum. Quæ tres salium distinctæ differẽtiæ, ut in quavis terra pingui reperiuntur, sic ex utroque sale, marino nempè seu fixo & nitroso volatili, separari deinceps possunt. Salibus n. illis vel coniunctim vel separatim in retortam impositis, cum suo recipiente, primum vi ignis extillat volatilis sal acidus, acris & mercurialis: sulphureus ac nitrosus vi maiore educitur, ac dulcis extillatur: fixo sale salsuginoso ac firmo, nulla vi ignis fugace: at in fundo vasis constanter subsistente.

1. Q. *An sal possit statui principium rerum?*

Sunt qui negant salem esse principium rerum naturalium, probantq; id esse non posse, quòd plus damni sales inferant, quàm utilitatis, idque authoritate Medicorum, qui salsa ab ivis ægrotantibus detrahunt, & dulcia tantum illis præscribunt.

℞. Primùm hoc falsò imponitur in sale uno rerum principium agnosci à nobis, qui tria constituimus, salem, sulphur & Mercurium, quæ quidem cùm sint principia corporũ prima, ab alia tamen & uno pẽdent magis spirituali, q̃ anima est universalis: ab anima igitur universali rerum omnium naturalium principia oriũtur, hæc tria corporum principia, q rursum in quatuor elementa distribuuntur, ut ex omnibus simul compositis unum quid rursum cõsurgat, quod denuò resolvitur in tria ista, dum & hæc quoque in suum principium primum redeant, unde omnium rerum generatio deinceps renovatur, ut pluribus verbis de his jam diximus in priore hujusce libri parte.

In salium quoque scientia multi hallucinantur, qui loco horũ essentiæ, illorum fæces tantum ponũt, ac balsamus in eo latitans illis est incognitus.

2. Q. *An ignis seu combustio sit causa salis efficiens.*

Ignis neutiquam est author aut causa

causa salis, vis enim ignis aut caloris potestas, non habet ex se producendi aut efficiendi salis facultatem, imò ne granum quidem generat: qualitas siquidem substantiam producere nequit. At si ignis producit, vel ut substantia producit, vel ut qualitas: Prius nemo dicere ausus est: sed nec posterius verum. Sal enim substantia est, & substantificum quid, quod à qualitate nequaquam effici potest. Ergo neque à calore, licet igni exponas in cacabo, aut aliquo alio vase, quantum velis dulcis aquæ fontanæ & ad flammam coquas & recoquas, ne micam quidem salis efficies, etsi vel omnis aqua evaporet vi ignis.

Obiicitur ad salis confectionem opus esse incineratione, & per consequens calore, cum id lixivium artificiale ex sale elicitur. Necessario quoque calore fit opus. Calcinationem enim præcedere oportere. Quapropter negari non posse causam generationis salis esse calorem. Ideoque & rerum salsarum.

℞. Consequentiam esse falsam. Non enim procreat ignis quæcunq; per ignem manifesta fiunt, ut liquidè apparet in destillationibus aquarum stillatitiarum, atque oleorum, quæ ex lignis, herbis floribus, seminibus, alijsque rebus plantarum eliciuntur vi ignis: non tamen ab eo generantur: sed à natura generata, ignis interventu, ceu medio atque sequestro, in apertum magis dantur oculis nostris.

Quod verò attinet ad calcinationes, aut incinerationes, quæ fiunt à calore vehementi, vel vi ignis: quis, quæso, per eam alicuius rei generationem fieri, nisi fortè cinerum velit, quamvis impropriè, dicere ausit?

Cur non corrumpere potiùs eadem ajunt ignem, quem corruptorem clamitant rerum omnium? Manifestantur per ignem liquor, oleum atque sal, quæ priùs in corpore, ceu principia hypostatica demersa latebant: Manifestantur, inquam, separatis partibus impuris, fæculentis, atque terrestribus, aut aliis quoque humidioribus, atque heterogeneis quibusdam dissipatis, ut promptior, atque facilior fieri queat segregatio ejus, quod intus continetur: nempe id quod est substantificum, homogeneum, & ut uno verbo dicam, intimum, vivificum, atque constituens rei principium, qui sal est, usque adeo terrestri, vel etjam humidiori parti inhærens, ut non nisi vi ignis separari atque erui queat: Necessarius itaque est ignis: ac ignis interdum etiam satis violentus ad extractionem salis è rebus faciliorem: non item ad generationem ejusdem.

Nam si sola calcinatio, etiam vehementissima, procrearet salem: ejusque esset causa efficiens: sequeretur res omnes calcinatas, esse salem, aut salsas, vel certè in salem converti posse.

At contrarium docet experientia. Quid enim caloris, aut ignis vim persentit aut magis magisque adustum,

ustum, aut calcinatum est quàm lateres, quos constat mera calcinatione esse factos? At puluerisentur licet, affusaque aqua ponatur in locum calidum, qui modus est eliciẽdi salis: lixivium tamen nequicquam acredinis acquiret, aut nihil, aut certè quàm minimum proliciet salis. Aut si aliquid etiam eliciat, illud fixum esse existimandum est, quodq; jam inerat in ea terra, ex qua co-cti sunt lateres: neutiquam verò ab igne progenitum.

Idem censendum est de ipsa calce viva, quam scimus ex omnibus lapidibus aut calculis neutiquam fieri posse: sed ex certis quibusdam, qui & sulphuris glutinosi, & salis fixi aliquid in se continent.

Adde quod non semper opus sit calcinatione forti, ac ne quidem exigua, ad salis extractionem: quem in multis absque ulla adustione elici posse comperimus, ut patet in nitro, seu salepetræ, qui separatur beneficio aquæ calidæ sæpius transfusæ per terras pingues, cœmeteriorum, stabulorum, columbariorum, aliorumque locorum, quæ sua natura multum continent illius salis nitrosulphurei.

Aliud exemplum manifestum, ad demonstrandum calcinationem vel calorem ignis non esse salis procreatorem, tale est: Redige in cineres stipites cucurbitarum, melonum, cucumerum, lactucæ, aut aliud quid simile, quod non multum salis in se contineat: Deinde ex æquali portione sarmentorum vitium aut fabarum itidem cineres fac: Quod utique fiet adustione: ac ad cucurbitarum quidem stipites, multa & vehementi adustione opus erit: ad sarmentorum non item, quia promptè comburuntur, & in cineres abeunt.

Calcina separatim, si lubet, ampliùs, & quantum voles cineres cucurbitarum, nec tamen vel grano salem augebis. Nam perpetuò ex cinere vitium, plurimum: ex cinere cucurbitarum, vel similium, minimum elicies salis: Quod tamen & id quantulum sit, acrimonia & vigore, neutiquam respondebit. Cur ergo dicimus à calcinatione, vel vi ignis salem produci: aut ignem seu calorem esse salis genitorem.

Concludendum itaque, ignem, neque adustionem ullum genus salis, aut humoris falsi posse producere. Nam uti jam diximus, nulla qualitas efficere potest substantiam: nec res quæpiam dare potest id, quod non habet.

Cap. IX.

De principiis Elementalibus.

P*Rincipia Elementalia sunt, quæ naturam ac indolem Elementorum vulgo ita dictorum referunt.*

N. Elementa vulgo ita dicta sunt Elementa ab oculos posita, quæ non sunt Elementa seu principia Elemẽtaria simplicia, constant enim ex principiis tam hypostaticis, quam elementarib⁹ ac primis illis principiis simul,

simul, adeoque sunt loca & matrices, in & ex quibus rerum fit productio & conservatio. Suntque Terra, Aqua, Aer.

Terra seu Principium terreum est principium illud siccum, crassum, indissolubile, grave, adeoque mixtionis sustentaculum, chymicis terra mortua dicitur.

Aqua est principium liquidum ac humidum insipidum, chymicis phlegma vocatum.

Aer principium invisibile est, reliquisque duobus ac pracipue aqueo immixtum, vnde vel nulla vel parva considerationis.

Quere. Restat ut de visibilibus elementorum corporibus loquamur, quæ in omnium rerum, tam mineralium, quam vegetabilium, & animalium, duo semper sese offerunt, siccum unum, humidum alterum.

Corpora visibilia elementorum duorum sunt generum

1. Siccũ, quod terra arenosa siue cinis est, omni sale per aquarum lixiuia destitutum. Vocaturque à Chymicis terra damnata, quod nullam vim quàm exiccãtem & emplasticam habet.

2. Humidum, quod insipidum phlegma vocatur, omni sulphure & mercurio obrutum, nullo odore, sapore, vitalive alia virtute præditum, quodque tantum humectare potest citra vllam energiam.

Atque vt hæc sunt invalida, sic qualitates tantùm passiuas, ut diximus, possident, atque inutiles, quæ idcircò relollaceæ à nonnullis dicuntur, quòd nullis viribus valeant.

Aër verò, tertium rerum elementum, seorsim capi aut separari nequit, sed vel in auras evanescit, vel sulphure & mercurio permixtus manet, ac imprimis mercurio adhæret, qui usque adeò spiritualis est, vt vel exercitatissimus artifex non possit ipsum à seipso solũ separare: sed semper in auras cum aëre eius rei, cuius fit separatio, avolet, cui aëri usque adeò arctè conjungitur mercurius, ut divelli ab eo nunquam possit, nisi solerti artificis peritissimi industria id fiat: qui novit, mercurium, seu salem armoniacum volatilem, cum aëre seu aërea parte ita coniunctum esse, vt simul cum aëre etiam expiret, & cum eo in aquam spiritualem reducatur, quæ agnoscitur mercurialis esse aqua ex sapore admodum acuto, acri & vehementi, qui ex mercurio aut sale armoniaco naturæ spirituali, (vt vocant Philosophi) promanat.

Hunc ut separet artifex, liquorem hunc spiritualem coniungit cum sale Chrystallino naturaliter fixo, à quo aereum illum liquorem destillatione separat, qui ea separatione prorsus vi omni spoliatur, & insipid⁹ manet aereus liquor, eò quod Spiritus ille mercurialis, naturam salis volatilis possidens, cum proprio suo sale fixo, fixus remanserit, cum quo summam habet analogiam. Sic naturam natura delectari testãtur Philosophi. Atque hoc modo agnoscit Philosophus aerem elementarem esse separandum à spiritu illo mercu-

 riali,

riali, reducto videlicet aeris elemento in aquam insipidã, & spiritu mercuriali salem propriæ suæ naturæ ingresso. Præterea hinc innotescit, Mercurium aereum quidem quid esse, seu aerem; attamen aliquid amplius quam aerem elementarem, qui carẽs mercurij spiritu simplex liquor est aereus, nullius virtutis aut potestatis, quàm simpliciter humectandi & penetrandi. *Sic actiuæ qualitates meritò principiis vindicantur, vt passiua elementis.* Hoc dilucidè alibi demonstratum est exemplo ex vini operatione.

Quæcunque vis & acumen in aqua vitæ percipitur, aut Spiritu vini, aliunde non quàm ab huiusmodi mercurio & sale armoniaco philosophico, aerea vini parte permixto, proficiscitur. Quam quidem vitæ aquam acutissimam ac perpungentem proprio sali ex fæcibus extracto si affundamus, & distillatione ab eo separemus, virtutem omnem, saporemque suum aqua vitæ deperdet, potabilis futura instar aquæ vulgaris, eò quòd Mercurium suum, aut Armoniacum volatilem salem, à quo vim omnem ac acumen mutuabatur, in sale suo fixo deposuerit. Quod si rursum spiritus vini, qui armoniacum salem continet, ut supra, per cohobationem & distillationem sæpe repetitam, toties prædicto sali fixo reaffundatur & educatur, ut pars salis volatilis salis fixi partem superet, tunc sublimationis arte ver⁹ Philosophorum Mercurius proliciatur. Hac enim ratione sal fixus ascendit & sublimatur, fixumque fit volatile, & volatile fit fixum, si proprium sulphur purificatum his, ut artis est, addatur. Atque sic ab omnibus heterogeneis partibus secretum quodvis mixtum homogeneam puritatem adeptum est, actiuamque & efficacissimam naturam.

Atque hæc dicta sint, ut pateat omnibus rerum anatomia ac resolutione, elementum aeris seorsim non posse excipi, nec conspici, præterquã à veris Philosophis & in hac arte versatissimis.

In hunc modum corporum visibilium rerum, tùm ex seminibus & principiis, tùm ex elementis procreatarum, demonstratio certa elucescit, etsi in resolutione corporum visibilia seminum corpora non deprehendas seorsim posita. At principiorum trium illorum, nec nõ elementorum partes facilè est secretas intueri, in quibus trium principiorum partibus virtutes & potestates actionum, quibus pollent semina, inclusa sunt & immixta. Quo fit, ut eorum corpora pariter vitalibus viribus, facultatib. ac energiis astralium & spiritualium seminum referta sint, tanquam illarum virtutum receptacula. Elementalia verò corpora non nisi passiuas qualitates obtinent. Quæ quidem elementalia corpora artifex nõ solum separare seorsim potest, sed & in nihilum redigere, ita ut separatis passiuis & materialibus elementis, tria tãtùm illa hypostatica formalia & actiua principia remaneant, quæ in vnũ corpus contracta corpus mixtum efficiunt.

ficiunt, quam quintam aut quartam essentiam vocant Philosophi, quæ omni corruptione caret, perfectione & vivificis spiritibus abundans, cùm contrà sola elementa, à tribus principiis separata, nihil nisi impuritates, corruptiones & mortificationem minantur.

Hac utique certissima demonstratione perspicuum est, in quovis mixto tria illa elementa reperiri, ut in quavis substantia naturali tres rerum naturalium species miscentur: verbi gratia, lac substantia est, cui non tantùm δυνάμει, sed re ipsa etiam insunt tres species ὀυσίᾳ differentes inter se, serum nempè, butyrum & Caseus, quæ mercurio, sulphuri & sali comparantur: quæque tria ut ὁμόφυλα cōtinentur una lactis specie, sed lacte corrupto ἀλλόφυλα fiunt, non tantū crasi, sed etiam ὀυσίᾳ inter se differentia, cùm sint effectus naturales: ut paulò post ostendemus apertiùs in ipso lacte: nec non omnibus aliis rebus naturalibus, qualescunque illæ sint.

Vni autem & soli Chymiæ, naturam imitanti, omnia eiusmodi separationum elementorum ac principiorum artificia debemus: quibus omnes compositi corporis partes enucleantur ac patefiunt. Neque eiusmodi secretionibus substantiæ illæ naturales dicuntur generari, quasi priùs non fuerint: neque ut priùs existentes hac separationis arte corrūpuntur, sed & erant in composito, & post secretionem per se esse ac subsistere non desinunt.

Quemadmodum autem tria principia inter se eo modo, quem diximus, copulata sunt, beneficio nempè oleosi liquoris ista coniungentis; sic tria elementa, aër videlicet, aqua & terra, inter se, medii, hoc est aquæ intercessione vniuntur. De utraque enim natura aeris nempè & terræ aqua analogia sua participat: quo fit ut modò in aerem, modò in terram facilè convertatur, ac sic utrumque extremum connectat. In habentibus enim symbolum, facilis est transitus, ut scribitur à Philosopho. Sic vicissim ob symbolum & consensum aër frigiditate condensatus transit in aquam, & aqua rarefacta fit aer, quemadmodum (ut dictum est) & eadem incrassata ac condensata in terrā vertitur, ut terra attenuata vicissim in aquam transit & mutatur. Ipsa enim aqua constat, aere & terra simul in liquoris aquei formam effigiatis ac redactis: quod omnibus notissimū est.

Quamobrem cùm aer & terra duo extrema per tertium utriusque medium, aquam videlicet, aptè coniungantur, supervacaneum fuit Aristoteli quaternarium elementorum numerum constituere, ex quaternario primarum qualitatum numero quāvis certè eleganti via hæc investigaverit, ut videre licet l.2. de generat. animal. ubi probare nititur multis rationibus per necessariū esse ad rerum productionem quartum Elementum, nempe ignem calidum & siccum constituere.

CAP.

CAP. X.

De Principiis compositis.

PRincipia composita sunt, quæ è principiis illis simplicioribus certa proportione invicem mixtis resultant, remq; naturalem ceu membra partesve integrantes constituunt.

N. Membra ratione principiorũ illorum simpliciorum principiata quidem sunt: Veruntamen quia res naturalis ex iis componitur & construitur huius constructionis respectu ea principia vocamus. Suntque pro diversitate rerum creatarum quoque varia: aliter enim occurrunt in metallicis quibusdam & vegetabilibus, aliter in animantibus, ut patebit alibi suis locis.

CAP. XI.

De Actionibus.

ACtiones rerum naturalium sunt, interna, interno-externæ, atq; externæ.

Internæ sunt inter ipsa invicem principia prima, atque ad ipsiusmet rei curriculum directa, veluti sunt, Vivificatio, Nutritio, Sensus, Imaginatio & motus. Interno-externa actio est, quæ sobolem concernit, ut Generatio.

N. Actiones hæ primariæ dici possunt, quod natura cujusque rei primario iis incumbat, iisque tum semet, tum suam speciem conservare intendat.

Vivificatio est actio, qua vita essentiali primo Spiritus, hinc & corpus adeoque totum suppositum actuatur, id est, in vitalẽ statum collocatur, inq; eodem conservatur.

N. Huius præcipuum requisitum est aer, qui flãmæ vitalis tum pabulũ unà cum aqua vitæ seu spiritu vitali existit. Tum ventilationem flammæ vitali præbet: ideoq; omnia hæc inferiora Viventia sursum appetunt tã appetitu aeris liberioris captãdi gratiã, q̃ fontis vitalis desiderio, qui in sole residet. Appetitum illum perficit ipsa vitalis flamma, utpote quæ non modo solari illi flammæ sympathica est unde mutua invicem attractio oritur, sed & suppositum levius ac cõsequenter sursum tẽdere aptius reddit. Exemplo sit frustulum candelæ, quod accensum levius statim deprehenditur. Quin & animal vivum, cadavere levius est.

Hic perpende quæso naturæ mysteria, quibus edocemur ad fontem vitæ supernaturalis, qui Christus est, assurgere. Ioh. 1.

Nutritio est actio qua res suffectione elaborati nutrimenti curriculum destinatum peragit. Membra eius sunt tum materia nutritivæ elaboratio, tum suffectio seu assimilatio.

N. Nutritio est rerum progressio: Nimirum rei cuiq; naturali curriculum certũ naturaliter destinatũ est, ꝙ ab ortu ad ἀκμὴν augescẽdo & inde ad interitum descendendo peragere destinatur. Peractio hæc fit beneficio materiæ nutritivæ, unde surrogatur, ꝙ actu vitali deperit, simul atque accedit, quo ad ἀκμὴν res augescat. Materia illa, quia respectu rei nutricandæ universalior est, atq; insuper superflua & ad nutritionem inidonea obtinuit, elaboratur subinde vi seu spiritu nutritivo, i. e. digestivo &c. Separaturq; ab inidoneis induitq; paulatim indolem rei nutricãdæ.

Nutrimentũ inferiorũ ex macrocosmo est, cuj⁹ radii astrales vi spirit⁹

universi

universi in globo inferiori, assumpta hujus particulâ elaboratiori incorporantur. Et hac ratione fit rerum inferiorum universale tum semen tum nutrimētum; videlicet mineralium, vegetabilium & hinc animalium. En fundamentum consortii, quo res naturales invicem sunt affectæ.

Sensus in genere est, quo res naturalis aliquid cognoscit.

Imaginatio, qua aliquid concipit & imaginatur.

Motus, quo res movetur, sive id fiat augescendo, vel loco movendo &c.

N. Sensum suo modo non minus macrocosmo quam animalibus cōvenire doctissimus Campanella peculiari quodam tractatu pluribus demonstrat, quo lectorem remittimus.

Probat quoque Helmontius sensus, ac imaginationem rebus particularibus inesse, *In tractatu de peste.* Agrippa in Philosophia catalogum refert Philosophorum, qui etiam astra animata probent.

Actio interno-externa.

Generatio est ortus rerum naturalium ex semine, i. e. quo principia rerum (quæ proximè in semine existunt) ex præexistente materia parantur, ac subinde fotu matricis in actum secundum speciem suam emergunt.

Membra igitur generationis sunt, tum seminis præparatio, tum ejusdem emersio. Vide Pharm. meam. Med. Chym.

Actiones rerum naturalium externæ sunt, quæ extra essentiam dicta rei naturalis sunt constitutæ, prioribusq; superveniunt, adeoq; & secundariæ dici poterunt. v. g. Actio oriendi, qua ex abysso emergunt spiritus ab essentia alieni, iiq; tum boni tum mali: seu si mavis: qua pullulāt seminales rationes destinatæ rerum dispositioni tum bonæ ac oblectanti, tum malæ ac tristanti.

N. I. In natura ita constitutū est, ut res naturalis cōstituatur è suis essentialib. principiis, destinata progressione in suo curriculo sese explicaturis: progrediendo aliundè sumunt, quo naturam suam explicent ac extendant. Hinc subditur materia omnigenis rebus seminalibus seu spiritibus omnigenis provisa ac instructa. Hæ seminales rationes Chao à Deo inditæ, inibi q. in abysso delitescunt, nec prodeunt, (exemplar primi ortus imitantes, nisi verbo: producat terra: hoc est ordinatione divina quę illis ex primo illo ortu creationis aut maledictionis impressa est, fundata in cultura seu administratione rerum, sub præmii vel pœnæ cōditione, homini injuncta. Hæc administratio si debitè ad exemplar ortus primævi, & præceptum divinum peragitur, emergūt fructus oblectantes, & ad conservationem rei facientes: sin contra fiat transgressio, pullulant fructus tristantes & ad destructionem vergentes, idq; ex sapientissimo illo Dei decreto: quo die comederis, morte morieris, & subsequente executione: Terra producet tribulos & spinas: item ponam antipathiam inter semen serpētis ac mulieris. Etenim sub esu pomi vetiti deno-

denotantur pro re nata quælibet transgressiones, similiter & sub mortis voce, morbi mortis prodromi. En actio externa ac secundaria.

N. 2. Huc refer si libet actiones, quibus producuntur facultates, v. g. medicinales. Nimirũ res omnes, non solùm sibimet, sed & aliorum servitio, ac inprimis hominis usui destinatæ sunt.

CAP. XII.

De Existentia.

Existentia naturalis est modus, quo res naturalis exponitur certæ dispositioni, principiorum invicem mixtioni inhærenti.

Dispositio ea est tum in facultatibus, (δυναμικὴ facultativa) tum in schemate (schematica.)

Dispositio in facultatibus est quæ sequitur, mixtionem principiorum quatenus facultatibus sunt instructa.

Facultates puta 1. elementales, calfacientem, refrigerantem, adde si libet humectantem & exiccantem: unde temperamentum. 2. hypostaticas: unde inprimis sapor, odor & secundum Quercetanum color. 3. Specificas seu spirituales, unde proprietates peculiares.

Dispositio illa dicitur Temperamentum quod pro triplici facultatum seu qualitatum classe triplex statui potest: Elementare, hypostaticum ac specificum.

N. Specificum vocatur proprietas. Hypostaticum præcipuè denominatur à sapore.

Dispositio in schemate est, quæ oritur ex principiorũ mixtione, quatenus corporea ac materialia sunt, estque quantitas, numerus, consistentia, conformatio locus & connexio.

Q. Vnde facultates promanent. Vtrum à crasi Elemẽtorum an à forma seu spiritibus formalibus?

Ut & facilius & melius, intelligantur omnia, altius nobis res repetenda est, variæque Philosophorum ac Medicorum opiniones seu sententiæ excutiendæ: meliores probandæ ac confirmandæ, deteriores vero & magis veritati adversantes repudiandæ.

Galenus tuetur sententiam, qua omnes prope facultates & proprietates crasi Elementarium qualitatum adscribit, in qua re errorem Empedoclis secutus est, qui dicere solitus; Naturam nihil aliud esse, quam mixtionem & mixtorum alterationem. Quem quidem errorem diluit Aristoteles, utque falsam opinionem evertit, probans ejusmodi crases, tẽperamenta & mixtiones qualitatum elementarium nullo modo efficientes esse causas, nec formales: at organicas seu instrumentales, quas Plato causas vocat, sine quibus non: quæ cum sint sua natura indefinitæ, forma substantiali definiuntur, tanquã fine. Atque hinc Arist. Physic. 1. causam formalem, appellat φύσιν seu λόγον & principem naturalium causam. Quæ forma ut scribit idemmet Aristot. 3.

ftot.3. metaph & in fine lib.1. neque est Elementum, neque concretum quid ex Elementis, quæque forma seu natura est principium & quoddam divinam, quod non constituitur ex crasi elementorum, nec ab ijs generatur. Quum enim forma dicitur, id substantiæ naturalis ratione dicitur, quæ materiæ causa dicitur esse generationi obnoxia.

Galeni sententiam sectantur utplurimum Dogmatici reliqui, ac citra discrimen omnes omnium rerum virtutes ad qualitates primas sic revocant, ut si quid noceat, nimia vel caliditate vel frigiditate lædere dicatur, seque scopum attigisse rationum credunt, si in medicandis morbis, quos vel calidos vel frigidos autumant, calidis & frigidis, ut volunt, remediis utantur & curent. Sed ex effectu & rei exitu satis patet, quanta isthæc sit hallucinatio.

Tenendum igitur nobis est, omnes qualitates, quæ substantiæ accidunt, quæq; sensus afficiunt, sensibus ipsis apprehendi dividiq; in primas & secundas. Primæ dicuntur illę, quæ ex elementis simplicib prodeũt: secundæ verò quæ ex eorum mixtione oriuntur. Complures dogmaticorum Medicorum primis illis qualitatibus majores, quàm par est, vires adscribunt in domandis & profligãdis morbis. Alii ne minimam quidem vim illis tribuunt, sed rerũ quisquilias esse volunt. Tertii ordinis sunt, qui aliquid virium quidem illis arrogant, præcipuam tamen facultatem rei substantiæ adjudicant, qui mihi magis probantur.

Quod ad secundas qualitates attinet, nõnullæ sunt hujus generis, quæ dogmaticis tanquam inutiles & medicationi prorsus ineptę sunt, quales *sunt odores & colores:* quos nos cõtra, ut magnæ virtutis in medendo esse, & maximè utiles ac necessarios affirmamus, utpotè qui ex mercuriis & sulphuribus magnarum virium principiis emergunt. Quæ verò qualitates secunda sapores inducunt, cùm à variis salibus nimirum, amaris & abstergentibus, acribus, incidentibus, attenuantibus, acerbis vel austeris, salsis, exsiccantibus, & id genus aliis, ut dulcibus ii proficiscantur, ab omnibus Medicis agnoscuntur, & in morborum curationem, ut magni momenti, ac virtutis, admittuntur.

Primę qualitates vario nec eodem modo à *Philosophis & Medicis* definiũtur. Siquidem *Philosophi*, qui eas, ut in elementis existẽtes, citra mixtionem considerant, duplicis generis illas constituunt, activas sc. ut calidum & frigidum, & passivas, humidum & siccum. Primæ in rebus naturalibus dicuntur agere, ut caloris proprium est dissolvere, & frigidi congelare, & cõtrà. Secundæ pari dicuntur, ut humidum, quod alieno termino coërcetur.

Medici contrà, qui hujusmodi qualitates in mixto corpore ad medicamenta apto considerant, ex virtutibus & efficacia, qua pollent, eas definiunt, omnesq; activas pronuntiãt, calidum illud vocantes, quod calo-

rem potest inducere, frigidum quod refrigerat, humidũ quod humectat, & siccum quod exsiccat, facultate & potentia, non sensu & actu, in quo fallitur *Galenus*, ac reprehensione dignus ipsemet est, *cùm libr. 1. de natur. facult.* Aristotelem ausus est arguere, definientem humidum & siccum, perpessiones esse, non actiones. Nescivit enim, vel noluit Galenus, ut decebat, quod homonymum erat, distinguere.

Harum autem efficientium aut activarum qualitatum Medici tres cõstituunt gradus: quorum primus est apertarum qualitatum, ut cùm calida medicamenta dicuntur calefacere re ipsa, & actu perceptibili: frigida verò manifestè frigefacere, sensuq; ipso: hoc est, quando hæc medicamenta manifestis qualitatibus patientia corpora, calore nempè, frigore, humiditate & siccitate afficiunt.

Secundus est qualitatum gradus eorum, quæ non actu sed potentia agere considerantur in corporibus, ut cum medicamẽta facultate, quam habent, variè nos afficiunt, movent, alterant aut immutant, utpotè *attenuando, incidendo, incrassando, detergendo*, &c. In quorum numerum referri ea possunt, quæ fæces excrementosas & supervacanea quæq; ex corpore per propria emunctoria deturbãt, idq; *vel* sudores provocando, *vel* ad vomitum & secessum irritando, *aut* etiam menstrua proïiciendo. Quæ quidem medicamenta non abstrusa proprietate operantur, sed insita potestate. Unde *Galenus* ea ab illorum numero exclusit, quæ occulta agunt proprietate, aut quorum causæ occultæ sunt, *lib. 6. de simp. medic. facult.*

Tertio ordine & extremo in agmine locantur, quæ *occulta proprietate* aut formæ substantialis specifica vi agunt: sub quibus comprehenduntur, quæ *certas corporis partes* respiciunt, & eis propriè inserviunt, qualia sunt *cephalica* capiti destinata, *stomachica, hepatica, splenica, hysterica, cardiaca, & alia* id genus. Eodem etiam continentur ordine, tàm *venenosa* medicamenta, quàm *bezoardica* & *alexipharmaca*: & quæcunq; *specifica* proprium aliquem morbum intuentur, cui speciatim medetur: qualia sunt pæonia, viscus quercinus, flores lilii conval. & tiliæ arboris, cranium humanum, & ungula Alcis, quæ epilepsiæ curandæ proprietate sua à natura destinata sunt; aut quæ certum humorem expurgãt: sic rhabarbarum dicitur cholagogum specificũ: agaricus phlegmagogus, &c. Neq; hic omnia ejusmodi recensere expedit, quorum catalogus longiore lectione futurus sit tædiosus. Satis sunt igitur, quæ hic à nobis proposita sunt exempla specificæ quorundam virtutis & proprietatis.

Atque hi sunt omnes medicamentorum ordines ac distinctiones, quæ in corpus humanum functiones suas exerunt, & quæ qualitatibus agentibus discerni solent.

Cæterùm quæcunque insunt rebus naturalibus, sive sint propria *natu-*

ia, sive propria accidentia, cum aut formæ aut materiæ gratia insint ex Aristotele: hinc nata est opinionum inter Philosophos & Medicos diversitas.

Facultas potentialis triplex. At illorum omnium medicamentorum potentiæ, id est, quæ vim aliquam habent agendi in nostra corpora, in triplici sunt differentia.

1. Quædam enim nos afficiunt secundum naturam, hoc est, juxta certam analogiam & consensum, quem cum nostra natura habent, quorum concordia & conjunctis in unum copijs morbi citra detrimentum corporis depelluntur, ut sunt varia alterantium & corroborantium genera, quæ familiaria sunt & amica naturæ nostræ.

2. Quædam contra naturam nos afficiunt, & causa possunt esse morborum & mortis, ut deleteria suis venenis.

3. Quædam partim secundum naturam nos afficiunt, partim contra naturam, atque servant quoddam medium inter ea quæ juvant & quæ nocent: qualia sunt alexipharmaca & purgantia medicamenta.

Mithridatium enim, ut & ipsa theriaca, & multa alia antidota alexipharmaca, salubria sunt per accidens: quia excitando nostros spiritus, sive calorem nostrum symphytum & naturalem, & irritando vim expultricem, corruptos ac pestiferos humores, malignos vapores, halitusque perniciosos in nobis latentes, ac vitæ nostræ insidiantes, tanquam domesticos hostes, qui interitum nostrum perpetuò moliuntur, à corpore nostro detrudunt, ac prorsus manibus nostris excludunt: idque vel sudoribus vel diaphoreticis halitibus, aut perspiratione insensili, ut vocant. Idem, sed suo modo, de purgantibus medicamentis dicere possumus, quæ juxta vim insitam, qua pollent, domesticum hostem nostrum vel vomitu vel dejectione expellunt.

Origo proprietatum potentialium.

Ejusmodi autem rerum naturalium proprietates ac virtutes, juxta Philosophorum sententiam, promanant, vel à forma, vel à materia, aut etiam crasi & mixtione qualitatum elementarium. Hinc rursum magna inter Philosophos & Medicos, tùm antiquiores, tùm recentiores sententiarum discordia nata est. Siquidem alij totam vim & proprietatem, qua pollent medicamenta ad morbos oppugnandos, formæ aut toti substantiæ agendi proprietatem tribuunt: alij altiùs originem earum facultatum, à cœlo nimirum ipso, repetunt; quas potiùs occultas proprietates, quàm manifestas volunt. Alij non cœlo, sed formæ substantiali arrogant: neque crasis ullam habent rationem, aut etiam qualitatum, quas nullius esse momenti judicant: vimque illam abditam in medicamentis positã, mixtionem elementorum esse negant, sed à quibusdam spiritibus in abys-

sis naturæ reconditis proficisci pronuntiant, in quibus quiescant aliquandiu, ac nullo rerum naturalium interitu extingui possint: Quorum sententia consentit cum opinione

Socraticorum *lib. de ideis in Parmenide.*

Stoicorum, *de causa continente.*

Anaxagoræ *de syncrisi Atomorum.*

Et *Hippocratis lib. de Diæta.*

Object.1.

Sunt qui hanc sententiam nequaquam probaturi sunt. Siquidem Galenus ad crasin rerum facultates referat, quã nos cum doctis Philosophis ac Medicis formæ substantiali adscribimus.

℞. Non obstat, quòd multos ista Galeni opinio sui assertores longo tempore sibi cõciliaverit: satis enim notum est, veritatem temporis esse filiam.

Object.2.

Antagonistæ. *Omnia natura individua, quib. in medelam corporum nostrorum utimur, sivè sint illa animalia, sive vegetabilia, jugulata, eradicata, atq. hinc emortua, hac ratione forma substantiali esse spoliata: quòd quæ animata sunt, hoc est animam habentia, ea sola vivant & vegetent, ut quæ vera forma substantialis sit ea anima, essentiam & substantiam rei constituens.*

Quòd cùm sit, frustra & absurdè medicamentorum inanimatorum facultatem formæ attribui, cùm ea careant, utpotè anima destituta & mortua.

Object.3.

Galeni, ejusque sectatorum opinio ac sententia longè magis veritati consentanea, & ratione potentior est, cùm dicunt inanimatorum substantias certis temperamentis constitui: quæ ut varia & diversa sunt, ita & diversas esse inanimatorum substantias, quæ inter se differant, non formis, substantiam constituentibus, sed duntaxat temperamentis: Atque inde essentiam rei exanimis nihil præter crasim illius esse, quæ quidem per accidens forma dici potest, quatenus ex elementorum permixtione constat, & cõposita est.

℞. Atq; hi fatebuntur quidẽ, etiam in illa crasi latere occultas quasdam proprietates: singulariter etiam inter se differre, quas prorsus extinctas credũt, ubi crasis dissuta est & perit. Atq; hæ sunt rationes, quibus ii nituntur, qui rerum facultates ac proprietates in crasi tueri volunt.

Quib. porrò in suæ sententiæ cõfirmationem rationib. utantur, præcipua nunc nobis explicanda sunt, & excutienda argumenta, ut quàm absurdè hallucinentur liqueat. Quibus discussis transibimus in eorum ratiocinationum expositionem, qui proprietates illas medicamẽtorũ, ac facultates formis affingunt: quod concisè expendemus, ut lite inter utramque partem pertinaciter disceptata, æquus lector ac sincerus de causæ æquitate ac veritate judicet.

Syllog.1.

Exanimatæ stirpes, inquient, *formis substantiali privantur.*

Exanimatæ stirpes proprietates suas retinent; quàm diu perstat crasis. Ergo.

Quædam, quæ proprietates suas retinent, perstãte crasi incorrupta, forma substantiali privantur.

Maior

Maior patet cùm certissimum sit, quæ ex terra radicitùs evulsæ sunt plantæ, quæve siccitate contabuerunt, eas anima sua vegetativa esse exutas, atque inde forma substantiali destitutas.

Minor etiam nullum parit dubium, quum nihilominus vim ac virtutem, tùm nutriendi, tùm medicandi retineant efficacem, ut docet experientia: siquidem aliæ nobis usui sunt in alimentum, aliæ in medicamentum, quamvis vegetativa virtute careant.

Ergo, *inferent, verissima est nostra Conclusio.*

℞. Maiorem primò Syllogismi ut falsissimam respuimus, quæ docet exanimatas stirpes forma substantiali privari. Perinde enim est ac si quis dicat, fructus aut semina privari forma sua substantiali, si non ampliùs vegetentur. Deus enim aut natura nihil non creavit in hominis utilitatem & usum: ex quo fit, ut ultimus plantarum finis non sit ipsa vegetatio, & vitæ earum propagatio aut animatio: sed ut ex sua anima exutæ, & ut ita loquar mortificatæ, idoneæ ac aptæ humano generi reficiendo ac recreando reddantur.

Quòd autem formas ἀ(ιώδεις) non admittant, alio argumento sic inferunt, eoque dupliciter sic formato.

Syllog. 2.

Quod abolitum est, illud remanere non potest in substantia.

At in stirpibus, anima sua privatis, abolita est forma substantialis, à qua dicunt occultas potentias promanare.

Ergo in stirpibus succisis forma substantialis permanere non potest.

Vel

Perempta forma substátiali, quod remanet, non potest esse forma substantialis.

In stirpibus perempta anima vegetativa, perimitur substantialis forma.

Ergo in stirpibus quod remanet, non est forma substantialis.

Solutio.

Utriusque formæ Syllogismi minor negatur, utpote quæ falsa est. Perinde enim est, ac si quis dicat pyrum, pomum, frumentum, & reliqua semina privari sua anima substantiali aut forma, si non ampliùs vegetentur.

Cùm autem Deus aut ministra eius natura mandato illius producat nobis in usum omnia: cui usui esse possint, si mortua manent post amissam vegetationem? Dixit terræ Dominus, producat terra fructus, deinde paulò post: comedat homo de omni fructu herbarum & arborum horti, &c. Nunquid illa debuit homo eruere ex terra, aut fructum ex arbore decerpere, ut sic illa iugularet suaque vita privaret, qua sibi vivebant, ut in vitam suam & usum ea ille converteret? Quæ si destituta fuerunt vita, quæ forma est substantialis, quomodo alere potuerint, & in naturam hominis converti? At ne sic quidem constet forma, quam ex crasi volunt constitui. Si enim vita rerum ex temperie & crasi illarum oritur, ea extincta, temperies & crasis simul recess-

recesserunt. Ergo nec eiusmodi fructus alere possint ratione temperamenti & crasis, quæ in illis extincta sunt, post deperditam vegetationis virtutem. Atqui jam diximus non in *eum finem creata esse terræ individua, ut vegetarentur, sed ut vegetata, aut vegetatione maturata, fierent proprium hominis alimentum aut medicamentum.* Vnde constat totam illorum formã & substantialem (& accidentalem, si vis) transire in hominem, ut illis reformetur: hoc est, formam suam instauret & sustineat in essentia sua.

Deperdita igitur vita, qua sibi vivunt plantæ, & alia naturæ individua, non deperit eâ vitæ forma (Spiritus) qua vivunt nobis, quæ sola verè forma dici potest, eaque substantialis: quòd hominis substantiam, formam, essentiam, foveat, augeat & sustentet. Nec inficias eo, quin ea φύσις aut forma naturalis rebus indita sit etiam κράσεως aut συμφύσεως mixtionis elementorum, seminum, & trium principiorum causa: nam non tantùm spiritualem formam, aut spirituale corpus rebus insculpit: sed corporalem etiam ex crassiori materia compingit, quæ ritè componi non potest, quin certo rerum mixtarum temperamento constituatur. At præcipua illa est forma, quæ ipsam rei crasin sustinet, & quæ individuum perducit, ad quod destinatum est. Quod ut apertiùs exponatur, intueamur semen à planta excisum, cuius separatione vegetationem propriam deponit, & mortuum prorsus jacet, ni ad quod destinatum est revocetur. Si igitur in agrum seratur, nunquid docet experientia quotidiana, similem parentibus suis speciem ab ipso procreari? Hoc ne amabo fieret, si forma sua substantiali esset nudatum? Atqui tunc forma in illo perfecta est, quæ vim habet simile sui progignendi, ad quod à natura constitutum est.

Hinc liquet, virtutes omnium rerum, quæ à forma substantiali prodeunt, non perire cum vi vegetativa, qua sibi ad tempus opus fuit: sed manere, dum id, ad quod vocatæ sunt, compleverint. Sic pecudes lanienæ dicatæ nihil homini prosint, ni priùs mobili illa sensibili anima atque vegetabili spolientur, cui tamen homini eæ in alimentum dicatæ sunt. Ergo jugulari illa priùs oportet, & vita aut anima sua vegetativa & sensitiva exui, ut hominis usui esse queant, in quem usum tanquam in suum ultimum finem, natura illas cum omnibus aliis destinavit. Unde igitur alitur homo ex ipsarum morte, si in illis pereat forma substantialis, qua ad alendum hominem aptæ sunt & ad id unum destinatæ?

Si individua alia excutiamus medicamentis dicata, unde virtutem habeant, quàm à forma illa spirituali & substantiali? Eia, rhabarbarum nunquid tunc in usum venit, quum jam pridem ex solo suo exutum est, & vim vegetandi deposuit, ut nullam neque vitam, neque incrementum ampliùs ex matre sua hauriat: attamen cur & unde bilem attrahit & vacuat, (in quem usum destinatum est) si for-

si forma sua specifica & substantiali cum vita sua propria, qua in solo suo vivebat, spoliata est? Nunquid apparet ἀχωρίστως illam formam substantialem, ἀδιαλύτως rebus omnibus inhærere, donec usus, ad quem destinatæ sunt, prorsus sustulerit, & aliò traduxerit? Sic ex forma sua substantiali rhabarbarum rectè definietur medicamentum purgandæ bili idoneum: sic triticum definietur semen nutriendo homini aptissimũ. In hos enim usus cum reliquis omnibus aliis illa per formas substantiales, natura perducit, dum eas formas homo ab illis detraxerit, & in suum usum transtulerit.

Prætereà quàm inepta sit & falsa illorum minor in hoc medio, quo asserunt periisse animam vegetabilem eradicata è solo suo & exsiccata planta, hinc elucescit. Si periit anima vegetabilis, nõ permanet in fructu vel semine. At contrà videmus permanere. Ergo non periit. Permanere apparet, quòd ex semine sicco, etiam in terram projecto, novum germen emergat, specie parentes referens. At novum illud germen unde prodit & vegetatur, crescitq; ad perfectionem, quàm ex vi illa & facultate, aut spiritu vitali in semine latente, qui ex potentia tandem prorumpit in actũ? Neq; enim fas est dicere, ex sole & terra hoc effici, cùm illa ut efficientes causæ moveant, tantùm facultatem vitalẽ in semine inclusã, quæ si prorsus esset extincta, frustra semina in terrã seruntur, ut renovatio speciei illorum à sole & terra expectetur.

CAP. XIII.

De Sapore, odore, ac colore.

DEmonstratum est secundũ Hermeticos omnium rerum facultates ac proprietates tribus illis hypostaticis rerum omnium principiis potiùs, quam qualitatib. primis, aut earũ mixtioni ac crasi à Medicis Hermeticis adscribi & acceptas ferri; sali nempè, sulphuri & mercurio: quorum singulorum natura abundè etiam excussa est, ut repetitione non sit opus.

Præterea differentiæ evolutæ sunt singulorum illorum principiorũ: saliumq; varietatibus *saporum* varietates attributæ. Sic *odorum* discrimina sulphurum differentiis adscripta, & mercurialibus spiritib. *colorum* infinita diversitas. Quæ omniũ tres sunt primariæ ac præcipuæ qualitates omnium facultatum ac proprietatum parentes ac radices, ut ex Dogmaticorum etiam sententia demonstratum est.

Verum cùm Dogmatici, ut alias qualitates, ita & sapores, odores & colores ab Elementis derivent, hoc dissidium nunc restat enucleandum.

De Saporibus.

Constat è superiorib. 6. præcipua salium dari genera, quę in 3. rediguntur; fixum, mediocre, & volatile. Ex tribus istis variis salium generibus, triplici illi rerum principio communibus sapores omnes deducuntur, ut ad calidum, frigidum, humidum &

siccum non sit opus confugere. Mox enim ex solis principiis eos apto & reipsa demonstrabimus.

Sal fixus ut simplex & citra commixtionem consideratus, saporem salsum simpliciter efficit. *Sulphureus sal* simpliciter etiã intellectus, ut sulphureus, tantum saporem ex se oleaginosum dulcem exhibet. At *sal mercurialis* sic seorsim & simpliciter conceptus, acidum saporem repræsentat. Qui tamen simul sapores æquis proportionibus ac viribus permixti gratum saporem in universum exhibeant, qui nullius particularis verè sensum aut gustum præ se ferat.

Cùm autem alibi jã docuerimus, tria isthæc principia in mixto corpore simplicia non posse deprehendi usque adeò, quin compositionis aliquid habeant, & secum inter se qualitates suas promiscuè communicẽt: ut supra ex sale marino & sale petræ ostendimus, in quibus præter salsum saporem acidum etiam, & dulcẽ contineri ac separari exposuimus; in sulphureis rebus & oleosis, nec non in liquorib. mercurialibus ejusmodi etiam saporum conjunctionem inesse certũ est. Idcircò asserimus, omnem salem fixum corporis mixti salsuginosum maximè esse & amarum: sulphureum sapore oleaginoso & dulci stipari: & mercurialem acido, acri & igneo: ita ut ex tribus illis simpliciter sic dictis qualitatibus salsa, dulci, & acida, quæ in omni corpore mineralium, vegetabilium ac animalium comperiuntur, alii sapores omnes pendeant. Nec ad hanc rem parùm conducunt, tanquam organicæ ac instrumentales causæ, elementares illæ qualitates passivæ, terrestris nimirum ac sicca passiva qualitas atque passiva frigiditas: & aereus humidus vapor, quæ hujusmodi sapores, aut qualitates potentes, ex tribus illis principiis prognatę, ad hanc vel illam naturam promovent aut contrà infringunt, ac enervant. Quod ut apertis rationibus confirmemus, atque ut oculis ipsis subiiciamus, rem totam à corporibus mixtis, quæ tamen secundum elementa simplicissima sunt, ordiemur.

Diximus sapores privato quodam jure salibus aut eorum spiritib. adscribi: quod apertè hinc elucet, q saporum discrimina non nisi ex salium differẽtiis, aut vice versa salium differentiæ ex saporum discriminibus producuntur.

In sinu naturæ tot propemodum saliũ genera diversa cõparent, quot saporum varietates. Sal *fossilis*, ac *marinus*, *salsa* ditata sunt qualitate, *nitrum amara*, *alumen acerba*, *vitriolum austera*, *armoniacum acida & acri*. *Dulces* verò *sales* nõ tantùm in *manna & saccaro* manifesti, sed & in sale marino, vitriolato, delitescere diximus, nec nõ monuimus in singulis horum salium tria ista simul prima principia conjuncta, contineri, æthereum nẽpè seu aereum, mercuriale aut spirituale, quod acidum est & acre, terrestre, quod austerum est & amarum, & oleaginosum seu dulce, quod intermedium est.

In solo vitriolo apertè conspicitur,

tur, (quod omnium salium maximè corporale est, ut alibi diximus) acre, acidum, acerbum & adstringens.

Qui verò permixti sunt sapores aut qualitates, cum passivis & elementarib. qualitatibus singulorum illorum integram vim non habent, at debiliores ex mixtione redduntur. Acre siquidem (quod nō nisi vi ignis cum parte aerea extrahitur, ac separatur) mercuriali liquori immixtum est, acidum phlegmati aut aqueo humori, & acerbum seu austerum terrestri siccitati, quæ quantò plus qualitatibus elementaribus, iisq; passivis abundant, tantò magis enervantur ac languēt. At si activæ qualitates à passivis secernātur, ut arte fit, tùm acre, acidum, integram vim suam obtinet, ignesq; suos apertè ac plenè linguæ inurunt, acre quidem igneæ & adurentis qualitatis magis particeps, acidum verò aqueæ proprietatis. Acre enim, ut jam ex dogmaticorum sententia explanavimus, de natura ignis participans, virtutem admodū attenuantem obtinet, ac dissipātem, atque etiam erodentem. Acidum, utpote aereum, aqueum atq; tenuiū admodum partium, incidentem & aperientem, refrigerantem, nec non putredines arcentem. Acerbum & austerum, quæ in colchotare restant (post aeris oleosi, & acidi aquei extractionem, cum aereis partibus elementarium qualitatum) naturam possident, & vim quā incrassent & adstringant, ex substantiæ terrenæ ac crassæ proprietate.

Si autem ex terrestri illa parte, ab impuro, purum, quod sal est, extrahatur, salsum saporem habebit, cujus virtute & dejectivum & vomitivum reddetur. At in sulphure dulci vitrioli conspicua est dulcedo, quę planè narcotica est.

Denique in omnibus propemodum salibus congrua anatomia dissectis tria hæc animadvertuntur, acidum, dulce salsum seu amarum, quæ agentium qualitatum vim habent, non tamen humido passivo, terrestri & crasso destituta, sed iis vario modo sic perfusa, ut saporum varietatem salibus inducant.

Atque hæc sit demonstratio, qua constet, varias illas saporum differētias apertè in salibus & conjunctim & separatim, præsertim in eorum spiritibus contineri. Quas ex Hermeticorum sententia, facultates, virtutes ac proprietates innatas, negamus frigido, calido, humido, & sicco esse arrogandas: at essentiis naturæ salsæ, amaræ, austeræ, acerbæ, acidæ, acris, dulcis & oleosæ.

Sexcentæ enim frigiditates, sexcenti calores, humiditates & siccitates, nihil quàm magis refrigerāt, calefaciunt, humectant & siccant. At nunquam aquæ puræ aut simplici aliisúe succis, salibus destitutis, saporis ullum sensum conciliaverunt.

Quicquid sale caret, aut spiritū salino, nulli exhibere sui gustū unquam potest, at insipidum planè est. Attamen si simplex aqua cineribus infundatur & permisceatur, minimo etiam calore salsedinem, amaritu-

dinem majoremq; vel minorem acrimoniam aqua illa tandem cõtrahet, secundum naturã salis magis aut minus salsi aut amari, qui in cineribus cõtinetur. Quod si dicat adversarius, mel & saccarum de coctione seu vi ignis acria aut etiã amara reddi posse, respõdemus id quidem fieri, dum aereæ & sulphureæ & aqueæ partes, quę dulcedinem inducunt ac tuẽtur, decoctione illa pereunt & separãtur. Terrestres verò sales quos intrinsecus possident hujus sint proprietatis, ut hunc vel illum acrem vel amarum saporẽ à temperie digressa ex sua natura possideant. Sic ex cæpis & alliis, si volatilem & aereum aeremq; salem mercurialẽ detraxeris, qui in superficie corporum eorum exultat, dulcia illa & mitiora reddas, ut acrimoniam suam, qua linguam vellicant, deponant: calidam tamen suam qualitatem, qua ratione salium fixorũ abundant, retineant ac repræsentent.

De odoribus.

Ut de salibus loquuti sumus, possumus etiam ad dogmaticorum imitationem ex odorib. facultates quasdam elicere, citra calidarum qualitatum opem.

Etenim quùm ad sulphuris proprietatem variam referantur, varii etiam inde non ex qualitatibus odores emergunt. Qui si grati ac suaves fuerint, cum voluptate ac deliciis à cerebro, ut diximus, excipiuntur. At ingrati odores tùm à naribus, tùm à cerebro reiiciuntur, quòd utriq; parti molesti sint. Ejusmodi est narcoticus papaverũ & jusquiami ac cicutæ odor, atq; id genus aliorũ, quæ narcotica sũt ac fętidi odoris. Qui quoniam cerebrũ stupefacit ac cõsopit, solet à Medicis qualitati frigidæ tribui: ubi legem suorum axiomatũ infringunt, quib. odores calidis qualitatibus adscribunt, ut verissimũ est. Quod enim in papaveribus narcoticum est atque opio, id nihil aliud est quàm pars quędam oleosa ac sulphurea flammam concipiens: (quale olei genus ex jusquiami & papaverum seminibus extrahitur) quæ tamen etsi promptè ardet, effectus tamen quàm frigidissimos, ut vulgus opinatur, exerit. Quam quidem frigiditatem, opio attributam, ut corrigant vulgares Medici, videre licet in eorũ remediis opiaticis aut antidotis, in quib. opium ingreditur. Hujusmodi compositionum Mirepsus plures quàm octoginta describit: ubi euphorbio igneæ & adurentis facultatis non minus parcitur, quàm utriq; piperi, aut id genus aliis causticis & summæ caliditatis: cùm tamẽ verum & genuinum opii correctorium (ut ita loquar) ab Hermeticis probè cognitum acetum sit, quòd vapores aut halitus narcoticos arcet, ne ad cerebrum evehantur, sic illos sua aciditate comprimẽdo, ut eos retineat: correctoria verò illorũ calida illos magis suscitent ac multiplicent. Unde sinistra protsus ac exitialia symptomata invadant, ut hac ratione adversus ejusmodi medicamẽtorum usum & perniciem necesse fuerit ad empiricorum laudanum, quamvis imperfectum, refugere.

De Coloribus.

Nunc de coloribus aliquid dicendum. Quorum, ne quid detrahant dogmatici de qualitatibus suis, varietatem quandam colorum ad ipsas referre solēt, ac observationes quasdam admodum leves ac futiles notarunt: ut cùm dicunt in cæpa alba & vino albo ex colore frigiditatem maiorem judicari, quàm in cæpa rubra aut vino rubro. At sublimatum & Arsenicum album, etsi candidissima sint instar crystalli: sub ista tamen albedine ardentissimum ac exitialissimum ignem fovent ac velant. Quin & ipsum saccarum, usq; adeò album, suave ac dulce, in penitioribus suis partibus miram tegit nigredinem, ac acrimoniam, ex qua possint aceta fortissima & regiæ veluti aquæ erui, quæ metalla quævis durissima solvant ac comminuant. Absurdum ergo fuerit dicere, à calido & frigido colores effigiari, qui ex solis spiritibus, vel tenuissimis vaporibus ac aereis, in sale latentibus, proficiscuntur: præsertim in eo sale, qui natura sulphureus est, quale est nitrum aut salpetræ, ut vocant.

Nimirum tractatu de med. unic. quum de sale nitro agerem (qui optimè depuratus nivis instar candidissimus est) apertè docui ex hac albedine infinitos varij generis colores prodire ac elucere, qui varietate omnes omnium colorum opalas superent. Qui colores ex solis salis petræ spiritibus prodeunt, compactissimum vitrum etiam penetrantibus, ac in volatilis farinæ (omnibus coloribus insignitæ) speciem vi ignis extrusis, & in superficie alembici vitrei adhærentibus. Ex quibus coloribus totum etiam alembici corpus infectum ac tinctum videre liceat, tàm in intrinseca, quàm extrinseca ipsius superficie: Quique tàm varij appareant, ut verno etiam tempore, omnibus suis vestita coloribus, tellus multitudine & varietate his cedat. Hinc liquet, istam colorum omnium diversitatem ex spiritibus non secus esse petendam, quàm alias omnes rerum omnium proprietates ac virtutes, ad eos esse referendas.

Si igitur istorum fundamentum super tria principia, eorumque spiritus ponatur, firmum utique ac stabile futurum est, ubi etiam non fuerit opus, in alicuius causæ ignoratione ad occultas proprietates confugere.

Hæc omninò doctrina, ut certissima & verissima, si excolatur, addiscatur, & omni studio excutiatur, Hippocratis etiam illius magni nixa autoritatibus, omnes mentis nostræ tenebras facilè discutiet, lucem clarissimam afferet, difficultates omnes submovendo. Ex ea enim schola certissima theoremata ac axiomata, citra tot distinctiones depromantur, quibus ut apertissimis & firmissimis nihil opponi possit. Quin usque adeò constanti muniuntur veritate, ut citra omnem controversiam ab æquis judicibus uno consensu facilè admittantur ac recipiantur. Exemplum de aceto sumi poterit, de quo quid certi asserant, nihil

habent multi etiam magni nominis medici, sed si interna ejus anatomia trutinetur & partes ab invicem separentur, unde refrigeratio, incisio, dissolutio, ebullitio oriantur facile patescit, vide si libet in aceto.

Cap. XIV.

De Existentiæ differentiis.

E*Xistentia rerum naturalium contracta est in semine seu seminali cujuscunque constitutione, ubi omnium proprietatum ac facultatum fontes simplicissimè quasi in abysso uniti sunt.*

Existentia explicita est, qua fontes dicti emergunt, curriculumq́; destinatum sub prædestinata existentia, membrorum diductione absolvunt.

Existentia regressus est, in quam res naturalis qualibet post curriculum absolutum regreditur.

De semine.

Semen est subjectum humido spirituosum (aqua & spiritus, seu aqua & ignis) in speciem certam proximè ac natura sua emergere determinata.

N. Hic agitur de semine ex certa specie producto.

Q. An semina tantum potentia, vel actu sint animata? Aff. posterius Herm.

Nunquid videre est, complures plantas è terra radicitus erutas, atq; alimento terræ spirituoso, quo vigebant, orbatas, egerminare, crescere & revirescere? An eorum scilicet aspernanda & rejicienda jure opinio est, tanquam absurda & erronea, quæ tantorū tamq; antiquorum Philosophorum authoritate, necnon neotericorū, Franc. nempè Patritij, ac imprimis magni illius & reconditæ literaturæ viri, Julij Scaligeri suffragijs suffulta nititur & propugnatur: quorū alter semen actu vivere scribit, sed actu seminali: at à Scaligero quā strenuè oppugnetur dogma illud cōtrarium Fernelij, ex libro ejus de abditis rerum causis petitum, videre est. Luculentis n. testimonijs, ac firmissimis rationibus, ac inprimis ipsius Aristotelis authoritate probat ac demonstrat, animā seu formā leonis vel equi esse actu ipso, non tantùm δυνάμει in leonino vel equino semine: & semen leoninum & equinum, esse leonem & equum imperfectū: q́ successu temporis à sola leonis aut equi forma pficitur. Quę quidem forma pręcipua essentiæ pars est utriusq; animantis, simulq; causa efficiens, forma inquā, quæ neq; oculis videtur, neq; tactu aut sensu ullo percipitur, at sola mentis & intellectus ratiocinatione comprehēditur. Ubi statuendū est discrimen inter generationē & perfectionem: ut hæc quidem prorsus careat corruptione: illa verò eam admittat & patiatur: eò q́ perfectio secretionem, aut substantiarū separationem, atq; in[illegible]timā materiam resolutionē respuat: quibus tamen generatio indigeat. Hæc n. tantùm coagulationi & mixtioni rerū resolutarum incumbit: at perfectio omnia potiùs in integrum restituit & conservat, quàm quicquam imminui aut elabi sinit. Quod ex granis & seminibus indies *Diff. generat. & perfectionis.*

satis

ſatis quotidiana demonſtrat experiẽtia, nec nõ ex ovo licet perſpicere, in quo (pullo excluſo) nihil reliqui in cortice cernitur, omnibus videlicet integrãtibus partibus, h. e. tribus illis ſubſtantijs hypoſtaticis, pellicula videlicet, albumine & vitello (quę utiq; aptè mercurio, ſulphuri & ſali reſpõdent) diligenter aſſervatis & collectis, citra ullam imminutionem, aut ſegregationem, ut pulli inde forma animata perficiatur & reſultet.

Nec Hermeticos uſq; adeò ignaros & peripateticæ Philoſophiæ, apud omnes receptę, imperitos eſſe putandũ eſt, quin in confirmationem ſuæ ſententiæ aptè diſtinguant, & diſcrimen notent inter primum actum, ſeu potentiam eſſentialẽ, quæ non eſt ipſamet ſubſtãtia corporea & integra rei, ſed aliquid eſſentiale & potentia vigens ac efficax ad actũ in ipſa ſubſtãtia exiſtẽs, quæ nunq̃ ab ipſa ſeparari poteſt, propriũq; πάθος idcircò appellatur: & ſecundum actũ δυνάμεως, qui dicitur energia ſeu actio, potẽtia nempe naturalis, quæq; dependet à temperamento, ſive craſi, cùm operatur. Ut autem equino pullo, per juventutem, equi forma & eſſentia denegari non poteſt, quin perinde re & actu ſit, ac qui perfectus ætate equus eſt: etſi æquales vires cũ grandiore equo, aut maturũ ſemen ad procreandum nondũ habeat: quo tamen, quũ ad perfectam ætatem pervenerit, ad ſibi ſimile gignendum non ſit cariturus. Haud ſecus Hermetici docet, in quovis quidẽ ſemine, actu illo priore, ineſſe rem ipſam, h. e. animam ſeu formam eſſentialem: at poſteriore actu nequaquam, qui tantùm ratione temporis priore actu in compoſito ſuperior eſt, non re ipſa: quũ res ipſa, h. e. forma ſubſtantialis in utroq; ſemine, & maturo & immaturo, æquè integra & perfecta actu conſiſtat: & pullus & grandior equus actu & re ipſa æquè & pariter ſint equi. Neq; enim forma in utroq; deſinit eſſe integra, etſi compoſita (quibus perficiendis aſſiduè incumbit) inchoata tantùm & adhuc imperfecta ſint: ad perfectionem enim illorum, ut diximus, perpetuò tendit & laborat.

Objectio.

Quum equus ex ſemine parentum procreatur, aut quercus ex glande enaſcitur, ea utiq; eſt generatio, cũ antea nec equus nec quercus eſſet, hacq; ratione & ſemen animalis & glans arboris deſierunt eſſe id, quod prius erant. Huic objectioni reſpondebunt Hermetici, primi actus ſubſtantiã, quæ forma eſſentialis eſt ἀχώριστος, ut loquitur Ariſtoteles, in equi ſemine, vel in glande, nequaquã generatã eſſe in equo aut quercu: ſed equum ipſum & quercũ, ab ipſa forma ἀχωρίστῳ, actu ſecũdo & poſteriore fuiſſe perfecta, quę antea in cõpoſito inchoata tantùm & imperfecta erant. Actus n. poſterior, qui à temperamento & craſi dependet, accidẽs quodammodo eſt, cui generatio accidit, ratione corporeę ſubſtantię, ex mixtione à forma productæ: non autem actui priori, h. e. formæ, quæ ſimpliciſſima, & citra ullam craſim aut mixtionem ſubſiſtit. Quum igitur aut pullum, aut aliquid aliud

tale, naturaliter crescere videmus, nequaquam id, quod crescit, forma substantialis putanda est, quum nec magis nec minùs recipiat. At equus est, qui crescit, hoc est, totum equi compositum: in quo forma tum conspicua redditur, quæ prius destituta organis & corpore, licet integra, occultà delitescebat.

Quod ad animam hominis rationalem (Spiritualem puta hominem) attinet, nemo est, præter perditum aliquem Protagoram, aut Epicurum, qui in dubium revocet, à Protoplasta Deo creatam fuisse: qui ex spiritu oris sui eam primo homini insufflavit: quamque eadem sua virtute in eo infusam permanere immortalem voluit: ita ut alijs facultatibus, vegetabili scilicet & sensitiva, in homine mortuo extinctis, unica illa rationalis anima in æternum superstet ac vivat.

Ut tandem concludamus, & huic argumento finem imponamus, concedamus, animam potentiâ tantùm, non actu rerum seminibus inesse. Neutrius enim opinionis defensionem armis suscipere decrevimus; id tamen nobis denegari non poterit, quin certissimum sit, *ejusmodi semina spiritibus esse referta*, ut suprà à nobis demonstratum est, *& omnes omnium rerum actiones, virtutes & facultates formis rerum, etiam inanimatarum, & ex multorum judicio emortuarum essentialibus, potiùs quàm crasi, juxta rationes, quas abundè attulimus, adscribi debere*: proindeque Hermeticos, qui ejusmodi energias & facultates substantijs spiritualibus aut d.vinis, (ut loquitur Aristoteles,) adjudicant, propiùs ad Aristotelis doctrinam accedere, quàm alios, qui Empedoclem quendam secuti, ab ea procul evagantur, ut alibi quoque monuimus.

Hinc elucescit, quantum utilitatis percipiatur, ex ejusmodi rerum exacta pervestigatione: quam morbis privatim, quos excutimus, accommodabimus, ut ex earum causis, apertè enucleatis, verum genuinumque remedium eruamus, ac adaptemus.

Existentia mundi in digressu suo qualis futura sit, obscurissimum est.

Transibit dubio procul in simplicissimam suam existentiam, idque vel sepositis crassioribus suis elementalibus principijs vel his vi ignis in claritatem vitri instar transmutatis, sed qualis illa revera sit, futura expectare, potiùs quam determinare nostri est.

Quercetanus his verbis Rielanum perstringit.

Vis naturam interire, inquit quũ interiturus est mundus. Atqui mundus nunquam est periturus. Ergo neque natura, quæ si anima est, nec sic quidem perire potest. Docent sacræ literæ, transiturum quidem esse mundum, sed non periturum: Nobiscum Apostolus consentit, dum dicit, instauratum nõ corruptum iri mundum, siquidem singula quæque tendunt ad suam perfectionem, ad quàm perpetuo anhelant.

CAP. XV.

De Macrocosmi Essentia ac Principiis.

QUæ hactenus attulimus, generalia fuerunt & tam ad res universales, quam ad particulares, nec non ad hominem applicari possunt. Iam in enodandis speciebus, ea applicare operæ precium erit. Initio facto à macrocosmo, cuius contemplatio Medico summoperè necessaria est Nimirum, cum Medici sit naturæ commentarios & lucem intueri & sectari, iuxtaque eius leges ac methodum medicinam facere, frustra se medicum iactitet, quicunque solis libris inhærens, ab illius semita aberraverit. Etenim quorsum tot illa nobis produxit astra, sydera, planetas, mediocres, minoresque stellas, cùm tot motibus, aspectibus, mutationibus, variisque influxibus, corpori humano tam salutaribus, quam ad morbos gignendos efficacissimis? quorsum cœli cõversiones & aversiones serenitates, procellarum turbæ, si earum rerum cognitio à Medico, solis chartis vel Hyppocratis, vel Galeni, seu aliorum affixo, laborem tam præclarum rerum detrectante, contemnatur? Nunquid ubique ac passim, vel à medicastris vulgaribus, morbi subinde varij, in humanum genus grassantes non observantur, & experientia comprobantur?

Omninò harum rerum cognitionem callere, nec immorari vanis humanarum opinionum bullis, apprimè medico & utile & necessariũ est. Quin & meteororum idem, ex frigidis & humidis vaporibus procreatorum, qualia sunt nubes, pluviæ, nimbi, nives, gelu, & id genus alia, rationem adjunget, ne in eis hæsitet: nec non & eorum, quæ ex siccis & calidis progignuntur, exhalationibus: quales sunt coruscationes, tonitrua, fulgura, fulmina. Ex horum enim exacta cognitione humani quoque corporis frigida humida, calida sicca, meteora notabit, & facilè deprehẽdet eorum veram originem, formationem, & differentias.

Meteororũ cognitio medico necessaria. Differentia eorum.

Inde cognoscet rheumata seu fluxiones, tinnitus aurium, paralyses, apoplexias, in aerea microcosmi regione: quæ vera sunt illius pluviæ, venti, nubes, nives & gelu, vastis illis macrocosmi meteoris analogia omninò respondere. Quæque fiunt in maiore mundo meteora calida, ut tonitrua, fulgura, varij cometæ, & id genus alia, quæ nihil quàm phrenitides, Epilepsiæ, vertigines, maniæ variæ minoris mundi censenda sunt.

Meteororũ macrocosmi, cũ homine microcosmo magnam esse similitudinem.

Quod si aeris, & quæ ex eo aut in eo, cognitione imbutum esse medicum oportet: non segnius, quæ ex elemento aquæ producuntur, investigabit, & eorum effecta attentè perscrutabitur, ex quo tot ac tam varij fructus exoriuntur, ut eorum necessariò virtutes ac proprietates, diligentem medicum, nequaquam latere possint. Sic tota terra illi intus, & in imo quàm maximè pervia & notis-

ſima eſſe debet: in qua tot ornamenta, tot flores, tot herbarum ſucci, tot radices, tot arborum diverſa genera, tot ſemina, tot animalia, tot mineræ, tot metallicæ fodinæ, quas ſinu ſuo fovet, ex elemento aquæ exceptas, & id genus innumera, crescunt, quæ cũ in uſum hominis creata ſint, ſive ad vitam ſuſtentandam, ſive ad morbos propulſandos: quomodo quis medicum ſe profitebitur, quem tanta rerum ſeges & ſeries ſubterfugiet?

Peregrinatio medici, ratione officii ſui, imprimis neceſſaria.

Porrò præter hanc generalem totius orbis cognitionem, ſingulas etiam mundi partes, ſi fieri poſſit, aut ſaltem varia illius climata perveſtigabit: ac in ſingulis, quæ rara ſunt & notatu digna obſervabit, memoriæque mandabit, quæ maximè neceſſaria, præſertim in vegetabilibus, mineralibus, ac metallicis: prout in ſingulis ſingulares fructus ex proprietate regionis naſcuntur: nec non quæ morborum genera in ſingulis ſingularia graſſentur: quibuſve remediis iis occurrendum. Quæ omnia non ſolis voluminibus, ſed longis peregrinationibus: nec tam privatis collegiis, quàm in caſtris & Noſocomiis potius diſcuntur.

Quid medicus de loci conditione obſervare debeat.

Ad medicum etiam pertinet, obſervare ſitum loci; num planus, num montoſus, num paluſtris, num ſiccus: quibus ventis perflctur, quibus fluminibus, aut maritimis auris, quibus cœli influxibus obnoxius: an arenoſus, an lutoſus: & id genus alia, quotidiana obſervatione, ab eius loci medico diſcentur.

Perinde ut & aquarum, vinorum, aliorumque fructuũm natura: ratio victus incolarum, cum moribus, ſtudiis, & id genus aliis.

Denique nihil non prætereundũ, quod accuratiſſimè non notet, niſi vanus & bullatus, bulla inanior & jejunior medicus haberi velit, quorum magna ubique turba. Hi falsò ſeſe Hippocraticos & Galenicos eſſe jactitant, qui μαμμότρεπτοι vix limen domeſticum egreſſi, ut aliquid ex naturæ luce diſcerent, laborum impatientes, loquentiæ librorum ſeſe totos ultrò addixerunt, & garrulitate potius, quàm medicinæ veritate praxin ſuam abſolvunt, & modò loculos ſuos impleant, mortuorum ægrorum loculos non horrent.

Galeni variæ peregrinationes.

Galeni certè variæ peregrinationes terra marique diſcendi cauſa ſuſceptæ, eos prorſus futilitatis arguet. Celebris ſatis eius in inveſtigando ſolertia, memorabile ab omnibus etiam ruſticis & aniculis diſcendi ſtudium, quod tamen eius purpurati hoc ſeculo ſua maieſtate indignum judicarent. At ne erremus,

Ipſe etiam eſt olitor ſæpe opportuna locutus.

Sæpe & in attrita latuit ſapientia veſte.

Et ruſticus quondam inglorius in curanda vertigine contumaciſſima cuiuſdam ampliſſimi & magni nominis viri, ſolo ſtercore pavonis plus præſtitit, quàm variæ conſultationes.

Et peregrinando ſanè multa nobis obſervari, de quibus domi ocio-

si ne somniassemus quidem, tantum abest, ut in aliorum voluminibus ea reperirentur, nemo est, qui eat inficias: in morbis præsertim, quorum hac ætate novi subinde, Galeno & Hippocrati nunquam auditi. Exemplo sit Sudor ille Anglicus, Scorbutus familiaris maritimis locis: Scrophulæ Hispanicæ: Plica Polonica, &c.

Occurrunt in Macrocosmo res tum universales, tum particulares.

N. Res naturales sunt partim primariæ partim secundariæ. Primariæ sunt, quæ membrorum diductione curriculum suum absolvere destinatæ sunt, veluti macrocosmus, crescētia & Animalia. Secundariæ sunt quę ex primariarum nutritione secundario fiunt, dum videlicet ea quę in nutritione excernuntur in peculiare quoddam genus concrescunt, ut sūt v.g. calculus, manna, &c. Per crescētia intelligo quoq; è mineralib. metalla, metallisque finitima ut & corallia. Nimirum hæc vegetabilium more vim suam germinandi vel spōte produnt, vel arte prodere apta nata sunt.

Res naturalis universalis est ipse Macrocosmus in 4. Elementa ceu ventres suos extensus rebusque particularibus ceu basis substratus.

Res naturalis particularis est, quæ ex universali illa deducta procedit.

Huius generis sunt metallica, vegetabilia & animalia: quorum anatomiam vide in Pharmac. Spagyrica.

De Essentia.

Essentiam macrocosmi constituunt, 1. Vita Universalis, 2. Spiritus universi & 3. materia universalis.

Vita macrocosmica seu universalis est flamma vitalis, qua tota natura macrocosmica actuatur.

Spiritus macrocosmicus seu spiritus universi est spiritus, id est, subtilissima quædam substātia, omnimodis potentiis sive spiritibus instructa, quibus actiones peragat, & per has curriculum destinatum absolvat.

N. Plerumque coniunctim, vel animæ vel spiritus nomine exprimuntur. Hinc anima mundi Platonis: Spiritus vivificans Trismegisti; Paracelsi Mysterium magnum. Interdum tamen ab invicem separantur. Notum enim est quid Plato senserit de Macrocosmi constructione, cuius partes vniri non potuerint quā vinculi alicuius beneficio, quòd cùm utriusque natura communicaret. Etenim quomodo divisibile cum indivisibili iungatur, hoc est spiritus cū corpore, nisi medij alicuius intervētu: quod utriusque particeps sit? Leue enim & grave, densum & rarum in eodem corpore subsistere nequeunt, nisi aliquo medio, ea in unum colligante, id fiat, quæ anima est, aut aliquid animæ simile, tam in macrocosmo, quam in microcosmo.

Notum quoque quid de eo reliquerit Hyppocr. lib. de flatib. text. 10. & 11. Quod cœlum, inquit & terram interjacet, id omne spiritu plenū

est, idq; hyemis & æstatis causa existit, per hyemem quidem condensatum & frigidum, per æstatem vero læve & tranquillum.

Quin etiam solis, lunæ & astrorum viam spiritus dirigit. Igni (vitæ) enim spiritus nutrimentum præbet, eoque privatus ignis vivere non potest. Atque adeo perennem solis cursum, aer perennis & tenuis esse facit. Quin & in mari quandam esse spiritus communionem cuivis est manifestum. Neque enim natantia animantia sine spiritu vivere possent. Quonam autem alio pacto cum illo commercium habeant, si non per aquam & ex aqua spiritum attraherent? Et lunæ in eo sedes est ac fundamentum, hicque terræ vehiculũ, neque quicquam spiritu est vacuum. De eodem spiritu, vitã videlicet animato divinus ille Trismegistus, præ omnibus aliis Philosophis in sacris Mosis scriptis versatissimus & exercitatissimus, divina hæc eloquia protulit lib. 2. qui Asclepias vocatur: *Spiritu (inquit) agitur & gubernatur omnis in orbe spiritus. Spiritus implet omnia: mundus nutrit corpora, spiritus animat. Spiritu ministrantur omnia & vegetantur in mundo.* Postea addit: *Item nunc quæ restant in hac ratione, audito, hoc spiritu ut antè sæpè diximus, omnia indigent. Omnia enim portat, pro cuiusque dignitate omnia vivificat & alit. A fonte sancto producitur vita & spiritu fecundissimus.* Ex quibus verbis utique divinis apertè liquet, æthereum hunc & vivificum spiritum ubique in omnes res infusum ac insitum esse: unde non sit absurdum, omnium rerum naturalium actiones, vires ac potestates à spiritibus tanquam causis deducere ac derivare.

Materia seu Corpus macrocosmicum est chaos seu chaotica constitutio principiorum subordinatorum adhuc in suas corporeas existentias nondum diductorum. Et hæc est materia illa prima à Philosophis toties decantata, spiritum illum universalem adeoque [illegible] in sinu suo fovens.

De Principiis formalibus & spiritibus.

Principia subordinata simpliciora vitæ macrocosmicæ accepta ferenda sunt Lux & Calor macrocosmicus, quibus anima Mundi efficax ac vivificativus est.

Spiritui illi subordinantur Spiritus seu *δυνάμεις* variæ à primo illo spiritu procedentes actionum omnium macrocosmicarum authores.

N. Sunt veluti radij à spiritu illo progressi de quo Quercetanus, si benè, inquit, notasses modum generationis rerum, non dubitasses spiritus esse dicere ab anima (spiritu animato) mundi profectos, tanquam solis radios, qui ubi irradiant, proprietates suas generationis, auctionis, nutritionis, conservationis, in subiectum suum explicant, atque inde eoque modo omnia rerum individua concrescere ac conservari.

De

De principiis hypostaticis & Elementaribus.

Principia subordinata corporea seu materiali principio, sunt 1. Sal sulphur & Mercurius. 2. terra, aqua, & aer, simpliciter considerata, verb. grat. terra è qua sal elixiviatum est, quaque ustione sulphur suum exhalavit.

N. Principia hæc in macrocosmica constitutione pro diversitate regionum, in quas macrocosmus à Deo diductus est, quin imò pro varietate membrorum macrocosmicorum astrorum puta, diversa quoq; existunt. Nimirum subtilissima (quatenus natura patitur) existunt in cœlo, subtilia in aere, crassiora in aqua, crassissima in terra: *de quibus paulò post.* Hinc secundùm Hermeticos cœlum constat è subtilissimis mercurio, sulphure & sale; aere, aqua & terra. *Videat qui velit Petr. Severin. in Idea c.3.* In eundem sensum carpit quoq; Quercetanus Riolanum: Tu te nimium maceras Riolane, inquit, cum totis animi viribus contendis probare cœlum nec ab elementis extrahi, nec ad ipsum ea assurgere posse.

Quid si ex nobis audias, quod verum est & sine mendacio verissimum, cœlum in terra esse, & terram in cœlo? metus est, ne ad insaniam adigaris.

Attamen hoc verissimum est quod dico, & si modesto ac docili præditus esses ingenio, hoc re ipsa oculis tibi subiiceremus. Videres nos ex terra cœlum educere, & ex cœlo ipso terram.

Vt autem in principiis hypostaticis magna varietas deprehenditur, quâ diversa salium sulphurum ac mercuriorum dantur genera. Videlicet datur sal commune ac marinum sal gemmæ, sal petræ, vitriolū, alumen, sal armoniacum &c. Datur sulphur commune, quod & in cespitibus flagrantibus manifestè conspicere licet, succinū, ambra, naphtha, petroleum, oleum terræ, Gagates, sperma ceti &c.

Datur Mercurius, id est, volatilitas vitrioli, salis petræ, ☿ii, salis armoniaci &c. Ita etiam diversa occurrunt genera principiorum elementarium, v.gr. occurrit terra siccior; sabulosa vel arenosa, calculosa, tartarea, cretacea, ochracea, tripolis, boloris, argillacea, lutum: humidior uliginosa, paludosa &c.

Aqua occurrit linguam feriens duriuscula seu mitiuscula, hart oder weich Wasser/ fontana, pluvialis, nivea, tonitrualis (quæ tribus illis principiis sunt imprægnatæ) aquæ minerales, &c.

Aer itidem varius deprehenditur siccior, humidior, calidior, frigidior, molliusculus, duriusculus, (harte oder weiche Lufft.

Quinimo dantur & ex his principiis mixta meteora: Ros, nix, grando, nebula, nubes, vapores, halitus, stella cadens. Ignis fatuus. Iris, virgæ, aurora, coruscationes, cometæ. Halo. rubedo solem obscurans. Solis maculæ ac fuligines, halitus circa solem cōsistentes, qui sub Eclipsi solari à sole illustrati lumen aliquod præ-

bent. Aurora, quæ etiam teste Keplero, materia circa solem illustrata.

De principiis compositis.

Principia macrocosmi composita, sunt Terra, Aqua, Luna, Sol, Mercurius, Venus, Iupiter, Mars, Saturnus, & stellæ reliquæ fixæ.

Terra est macrocosmi, nutritorium ac generatorium, adeoque correspondet, ventriculo ac utero. De quo paulo post.

Aqua seu mare correspondet Lieni ac Venis gastricis.

Luna epar macrocosmi refert.

Sol cor repræsentat.

Mercurius pulmones.

Venus mammas cum utero consanguineas & connexas.

Hinc respondet accuratè tempus quo Venus circa solem movetur, tépori, quod gestationi in utero convenit.

Iupiter cerebrum.

Mars cerebellum.

Saturnus spinalem medullam ex cerebro & cerebello procedentem. Nimirum & Saturni corpus duabus ansis inhæret.

Stellæ fixæ respondent spiritibus, seu seminalibus rationibus, quæ in spiritu hominis naturali delitescunt. De quibus infra cap. 27.

Adducere possem rationes, quibus hæc mea opinio à veterum diversa nititur; Verum ob brevitatem iis hoc loco supersedeo; lectorem ad Pharmacopœam meam medicochymicam remittens, ubi eà brevibus exhibentur. libro primo, capite nono.

Cap. XVI.

De actionibus internis Macrocosmi.

V*Ivificatio Macrocosmi fit vita macrocosmi, non secus ac, microcosmus vita microcosmica vivificatur.*

Huius fons in sole situs est, unde in totum macrocosmum influit, non secus ac è corde microcosmi influentiæ seu spiritus vitales (vivificativi) in totum microcosmum vibrant.

Object.

Quia anima seu spiritus universalis diffunditur per omnes mundi partes cur omnia non animantur?

Respon. Miror hominum inconstantiam, cum enim agnoscant animarum, hominum pecudum & vegetabilium inter se collatorum varietatem & discrimen, cur prætermittunt ejusdem matricis progeniem inanimatorum ut vocant, quasi anima, vita & spiritu prorsus destituta sint? cum & quo subsistant, scilicet anima & vita in statu suo subsistere satis supra testentur.

Numquid vident, quemadmodum & quot gradibus tenuitatis aqua differt à terra, aer ab aqua, & cœlum æthereum ab aere? Sic inter se illorum prognata individua differunt, ut quot gradibus pecudes à vege-

è vegetabilibus, sic & hominum animæ à brutorum anima discrepent & excellant.

Nutritio Macrocosmi itidem ut in microcosmo diversis in officinis perficitur.

Ut res particulares ab universali alimentantur: nimirum Macrocosmus ceu mater provida magnam cõfluentiarum suarum partem in terram ceu uterum suum transmittit, unde creaturæ particulares ceu fœtus macrocosmi sustentantur; mineralia scilic. hinc vegetabilia & animalia: ita vice versa, ubi creaturæ particulares curriculum absolverint denatæque fuerint: ad macrocosmum ceu fontem ac parentes unde ortum traxerunt, revertuntur. Insinuantur autem eidem certis præparationibus, quibus partes impuriores, crassiores, feculentiores, inutiliores sequestrantur, utiliores subinde exaltantur, atque ita in indolem macrocosmicam transferuntur.

In terra ceu macrocosmi ventriculo resolvuntur ac putrescunt res denatæ, vi spiritus illius universi copiose illam inhabitantis auxiliante humiditate penetrabili.

Hinc separatur pars utilior, ab inutiliori. Hæc excernitur, illa digeritur, defecatur, attenuatur, spiritualisatur, in aerem elevatur ceu mesaraicas macrocosmi, ubi ulterius elaborata ad Lunam veluti Epar Macrocosmi transfertur. Secundamque concoctionem, quæ Chymosi respondet inibi subit.

Hinc ad Solem ducitur ceu cor macrocosmi, ubi vitali actuatur flamma, & sub forma macularum in solis corpore conspicuarum excreta in universitatem evibratur, sursum, deorsum.

Sursum pro nutrimento ac vivificatione stellarum superiorum; deorsum; pro stellarum inferiorum, ac rerum sublunarium.

Nutritioni huic subserviunt secretiones quibus impuritates subinde sequestrata secernuntur.

In terra remanent feces crassiores, in aere separantur liquidiores: unde pluvia, nix, grando, ros, nebula, &c.

In reliquis officinis cum longius à nobis distent, secretiones non adeo deprehendi possunt; nihilominus verisimile videtur, & in Luna secretionem quandam fieri, respondentem fellis secretioni, quæ in Epate fit: unde amaritudo dubio procul illa globi inferioris, maris sc. ac terræ.

In sole non minus sequestratio quædam videtur verisimilis, unde vapores illi soli proximi, *De quibus infra cap. 17. n. 2.*

Quin & singulæ stellæ sua dubio procul excrementa exhalant, respõdentibus insensibili transpirationi microcosmicæ, &c. Verum cum hæc in microcosmo proximè ob oculos posito insensibilia sint, quis in parte macrocosmi à nobis remotissimâ sensibilia ea esse miraretur?

Motus

Motus quo res naturales moventur varius est, circularis, revolutionis, locomotivus, auctio, &c.

Ad sensum macrocosmi demonstrandum sufficiat probatum esse infra: Sensum in terra deprehendi. Sensus autem inest terrae ob spiritum universi, quo abundantissimè terra dotata est. Spiritus itaq; quia totum macrocosmum replet, & macrocosmus sensu erit praeditus.

Imaginatio macrocosmi conspicitur ex mirabilibus naturae operibus, qualia sunt lapides, certis figuris, imaginibusvè mirabiliter insigniti: Gamahaea vocant.

N. Actiones has analogas esse scias actionibus quae in vegetabilib' ac animalibus conspiciuntur, & quia in primo gradu existunt, cognituque difficillimae sunt, fit ut vulgo negentur. Sit ut sit, non sunt de articulis fidei, credi, ac rejici possunt citra salutis jacturam.

Actio interno-externa est, qua Macrocosmus seu si mavis natura illa universalis loco foetus macrocosmici immediatè particulares creaturas ex sua abysso sine manifesto semine producit, Dicitur generatio aequivoca.

N. Mundus, cum in individuo perennet, loco generationis specificae particulares creaturas progignit. Neque enim omnes res naturales in specie sua propagari compertum est, sed & immediatè quam plurimas ex sinu macrocosmi, seu si mavis ex spiritu universi produci, Demonstrationem petis? E terra foecunda salsedinem omnem eluendo multoties elice, sic terram habes mortuam omni semine destitutā. Hanc aeri expone, ut irroretur, sic adeo foecundatur ut diversas producat plantulas, Unde id, nisi à spiritu universi, quo pluvia gravida est. Intactam hic relinquo opinionem, qua vis seminaria rerum, prima seu πανσπερμία spiritui mundi adscribitur, in quem sensum author noster Quercetanus Riolanum perstringit, Quod πανσπερμίαν Anaxagorę in sinu materiae positam, inquit, ex Aristotele respuis & in Sole ex eodem Peripateticorum sententia ponis: quia, in illo formarum physicarum seminarium inclusum sit, male philosopharis, quod scilicet in uno individuo solo colloces vim rerum seminariam, solique uni tribuas, quod spiritibus omnibus coeli, terrae, aliorumque Elementorum adscribere debuisti.

Anima enim illa mundi universalis cum coelum terramque, hoc est omnia tam superiora quā inferiora penetret, subeat, atque etiam impleat, sicque omnia constituat, ut nihil sit superius, quod non sit inferius, in illa potius rerum semina aut seminariam virtutem includere debuisti, ut quae & Solis & aliorum omnium astrorum, tum coelestium, tum elementarium origo sit & ipsa πανσπερμία Ita ut non absurdè prorsus ab Anaxagora in materiae sinu, hoc est, illius abyssis & spiritibus collocata sit.

Materiam autem vocat agrum illum

illum ſive cœleſtem ſive terreſtrem, ſpiritibus iſtis ſeminalibus refertum, ut ex utroque agro cœleſti & terreſtri, vel ſpirituali & corporeo concurrentes ſpiritus ſeminibus gravidi, tandem congruos fructus efforment ac producant. Valeat igitur futilis iſte calor, quem vis ab igne deduci tanquam præcipuum organum, & vim omnium ſublunarium, adde etiam ſuperlunarium fœtuum formatricem ac generatricem. Hactenus Querect.

Quin imò, Semen univerſale macrocoſmicum Philoſophi norunt capere, quod ad maturitatem exaltatum vires univerſales obtinet.

De quo Riplæus in ſua Medulla; Conſideretur, inquit, avis nobilis, quæ ſole exiſtente in ariete volare cœpit, & per hominem Martis de minera ſana non corrupta acquiratur.

Hic lapis noſter eſt, qui quidem lapis in itinerib' humi natus, in quatuor partes dividendus eſt.

Actio externa macrocoſmi eſt, qua agit in ſublunaria è propagatis ſuæ ſpeciei ſeminibus ſeu univocè generabilia. Eorum generationem, nutritionem aliaſque actiones juvando.

Sed audiamus quid de actionibus macrocoſmi ſeu ſpiritus univerſi animâ mundi animati author habeat: Quod ad effectus & operationes naturæ attinet, inquit, dicimus illam ea poteſtate pollere, ut generet & eſſentiam rebus omnibus largiatur, materiam formis induat & exornet, ut nihil patiatur corrumpi, quod nova forma ſtatim non inſtauret ac renovet, in ſuoque ſtatu omnia conſervet. Quæ quidem ſuas virtutes ac poteſtates ſatis apertè indicat, cum ex elementis, rerumque ſeminibus ac principiis noſtris hypoſtaticis, entia omnia effingit, ac magna impreſſionum vitalium ſpirituũ varietate, colorum, ſaporum, atque id genus δυνάμεων proprietatibus informat, ut quantum cuique rei ad uſum dignitatemq; officii tribuendũ eſt, tantum tribuat. Quam quidem rerum conſtructionem ita aptè, congruè, ordine, numero & menſura efformatam, divinam licet dicere, non terreſtrem aut corpoream, quamvis ſit ea naturalis iuxta potentiam, quam Deus naturæ impertitus eſt.

Neque tamen ceſſantem & otioſum eſſe Deum credendum, ut tàm potentes & admirandi effectus naturæ ſoli concedantur, ut ſenſit *Anaxagoras, Protagoras & alii* complures ἄθεοι Philoſophi, qui nullum Deum præterquam naturam agnorũt, quales etiam *Epicurei* extiterunt. Qui quidem ſi accuſandi ex tam perverſa opinione, damnandique ſunt, non minimam etiam reprehenſionem illi merentur, qui naturæ in agendo ſuas partes denegant, ita & primæ & ſecundæ cauſæ ſua cuique tribuenda ſint, ex Dei prædeſtinatione, officia. Nec contra faciunt hæc quæ de Deo

I dicun-

dicuntur: *Deus operatur omnia in omnibus.* Item *in ipso vivimus, movemur & sumus.* Etsi enim hæc vera sunt, constituit tamen naturam intermediam, per quam virtutibus agendi ab illo locupletatam omnia inchoat, fovet, ac perficit. Idcircò causa secunda Natura dicitur, quòd per eam tamquam instrumentum vitale Deus, prima causa, omnia efficiat. Sic enim Deus alit homines pane, in quo vim nutriendi naturalem posuit, ut natura panis dicatur etiam alere, eò quòd forma naturalis panis eum ad alendum prædestinarit.

Sic igitur ista concilianda sunt, ut Deum causam in omnibus aliis causis operandi primam agnoscamus, quia & causas fecit, & vim operandi dedit, ac simul cum ipsis progrediendi naturam verò per vim sibi à Deo prima causa inditam, omnes operationum motus sua agendi potestate, excitare, dirigere, ac moderari credamus.

In natura igitur secundum Deum, spiritualibus virtutibus potente, per quas agit in materiam, quærenda est nobis omnium actionum, naturalium causa & forma: Cum materia per se mortua, ut jam diximus, nihil vitale, aut agendi facultatibus præditum proficisci queat.

Quomodo anima mundi seu spiritus universi animatus agat in hæc inferiora?

℞. Qua ratione, quibusve modis, Anima ista mūdi omnia hæc inferiora moderetur, generationesq; rerū excitet, inter Philosophos satis non constat. Hæc tamen sententia eorum est, qui inter alios acutiùs & doctius philosophati sunt, quique dixerunt, hunc mundum, qui sub toto suo ambitu complectitur continetq; quatuor elementa, ac prima naturæ principia, magnum esse quoddam corpus, cuius partes inter se ita connexæ sunt & colligatæ, (quemadmodum in uno animalis corpore membra omnia cohærent) ut nulla non vel minima partium tanti corporis, beneficio universalis illius Animæ, quam mundi animam vocarunt, animetur ac sustentetur: afferuntque porrò, si animalium corpora ubique sui vitam & subsistentiam à sua anima, qua fruuntur, hauriunt, multò magis in longè nobiliore ac præstantiore totius mundi corpore illud ipsum fieri: idque à potentiore ac longè illustriore anima, qua præditum est ac subsistit mundanum istud corpus. Si enim mundi partes singulæ vita potiuntur, ut constat, sequitur & totum vivere: siquidem à toto partes vitam suam hauriunt, à quo separatæ intereunt. Atque inde inferunt, cælum omnia ambiens Animam eam esse, quæ cuncta fovet ac sustinet. Quin & addunt, ab anima illa mundi formas rerum, virtutes, potestatesque omnes proficisci, quibus res omnes foventur, sustentātur ac subsistunt. Ac quemadmodum anima & corpus in unum colligantur, spiritus tan-

tanquam vinculi utrimque conjungentis beneficio, quòd utriusque natura sit particeps: sic anima & corpus mundi vincta sunt ac cohærent, mediantibus ac intercedentibus spiritibus æthereis, utramq; totius partem in unum ὑφιστάμενον copulantibus.

Neq; tamen inde inferendum, quod nonnulli Platonici senserunt, (Aphrodisæus inquam, & Philoponus) mundum scilicet animal quoddam ingens esse sensu ac intellectu præditum, sapiens ac felix: quæ absurdissima utique & falsissima opinio est.

At per mundi animam Platonici potiùs spiritum quendam nobis significarunt, omnia foventem, animantem, conservantem ac sustentãtem, quasi quoddam spiritus illius Elohim, qui ferebatur aut incubabat super aquas, vestigium. Cuius etiam Plato, utpote historiæ Genesis non ignarus, meminisse potuit, & animã inde suam mundi construere. Vnde fit etiam, ut inferiora hæc omnia, alioqui caduca & infirma, essent brevi corruitura, nisi divina illa vi, animam mundanam perpetuò fovente ac sustinente, cõservarentur, ac subsisterent: quibus alioqui diffutis, magna totius mundi confusio ac perturbatio nasceretur. Quam Deus ruinam summa sua bonitate avertere voluit, naturam illam universalem creando, quæ totum hoc opificium virtute sua ac moderatione in integritate sua tueretur: idque perenni ac continua cœli rotatione, astrorum, planetarum, aliorumque igniũ cœlestium influxibus & virtutibus, cuncta ritè gubernarentur, ac in statu suo, ad prædestinatum usque suæ dissolutionis tempus firma constanter remanerent.

Huius ætherei spiritus, aut potius divinæ illius virtutis ubique potentis ac efficacis fidem facit Plato in Timæo, cum sic loquitur: *Quùm igitur Deus sempiternus hoc universum condidisset, rationum quadam semina ipsi indidit, & vitæ exordium divinitatis indixit, ut cum mundo vim quoq; procreatricem gigneret.* Et hoc consentit cum eo, scripsit Propheta Moses, nec non cecinit Psalmista David his verbis: Verbo Domini cœli firmati sunt, cum spiritu ejus oris omnis virtus eorum.

CAP. XVII.

De Existentia Macrocosmi.

Existentia est qua Macrocosmus dispositus est, in quantitate, figura, connexione, &c. Est itidẽ contracta, explicita vel retracta.

Existentia macrocosmi contracta, est conspicua in Chaotica dispositione, qua non modo, creationis initio exstitit, sed & in quam rerum circulatione subinde indies reducitur. Quod creatum est à Deo, unum fuit, non binum, ex quo illo uno omnia separata sunt, quæ suæ originis & unionis recordatione perpetuò gestiunt ad illam unitatem regredi. Hinc perpetua illa elementorum circulatio in sese, vt ad unitatem pristinam redeant. Dum n. terra in aquam transit, aqua in aerem & aer in cœlũ, cœlum v. in terrã, hoc appetitu & studio feruntur redintegran-

grandæ suæ unitatis, in qua omnia simul & unum fuere, qua aqua fuit primò, seu chaos aqueum, in q̃ tandem unionem post completas circulationes, ad perfectionem quandam crystallinam, longè primæ unitatis creatione nobiliorem perventura sunt, q̃ Apostolus cœlorum & terræ renovationem vocat. Ut igitur quid generatio sit rerũ, & ex quibus Principiis forma & materia in generationem corporis ex uno semine procreêtur, paucis ex nostra schola, Physicam sacram Mosis sequente, addiscito.

Dicitur Deus apud Mosem creasse unum chaos, quod aqueum colligitur fuisse; ꝙ Spiritus Dei aquis incubuisse dicitur à Mose. Materia istius chaos nulla alia antè fuit, quam Verbum ipsum Dei, (Fiat) quod quidem verbum non fuit inane in Deo, nihil enim ab eo proficiscitur, quod non sit immensæ virtûtis. Quemadmodum igitur cùm dixisset, Fiat lux, statim facta est; sic de chaos hujus origine pronunciandum est. Chaos igitur istud ex verbo Dei ortum, aut per verbum creatum, statim in corpus immensè animatum prorupit, ac Deus loquutus est. Immensè animatum dico, ex infinitis virtutibus quas in dies exerit, ex semine rerum omnium universali, ei à verbo indito omnia producens. ***Semen autem illud aliud nihil est, quam anima universalis mundi ex spiritu Dei profecta***, quæ juxta verbum Domini, Fiat, statim creata est, cum suo corpore uno & eodem momento ad rerum futurarum generationem. Hoc autem semen, seu anima illa universalis, licet prima creatione statim cum corpore exorta sit, aliam tamen habuit à Deo institutionem, gradusque præscriptos, ut sensim & paulatim species & individua progigneret, dum ad perfectionem suam perducta sint.

Semen igitur & principium omnium rerum fuit hoc verbum, (Fiat) quod cùm sub sensus non cadat ex nihilo idcircò dicuntur omnia esse creata.

Vt ergo ex nihilo creata sunt à Principio omnia, ita & nunc creata nascuntur, tanquam ex nihilo, Exempli gratia, Triticum nunquam revirescit ni prius satũ in terra corrumpatur, & ita obteratur, ut in nihilum redigatur.

Nihilum voco, (ut dixi antea) quod non potest sub aspectum aut alios sensus cadere, siquidem semen, in quo conclusæ sunt proprietates omnes radicis, caulis, aristæ, grani, & virtutis in illis specificæ, in meram spiritualem, hoc est in primum ens suum spirituale, aut in spiritum id est animam, redigendum, ut omnibus compedibus & impedimentis corporis liber spiritus novum sibi corpus, virtute sibi ingenita, effingat, atque induat, juxta scientiam ac proprietatem omnium tincturarum, quas in se semper retinet, & corpori inchoato & supercrescenti ad perfectionem usque individui communicat.

Itaque ex digestione corporis & spiritus tritici in terra facta spirituale quid oritur, in corpus excrescens, longè nobilius ac feracius parente suo.

Hinc liquet non esse triplicem formam, nec aliunde materiam, aut temperiem, & conformationem, quàm à *solo spiritu*, vi fermentationis extracto & separato, tincturas omnes, virtutes ac proprietates possidente, perfici, quas quidem virtutes in corpus, quod sibi fabricatur, diffundit ac exerit, temperiem, conformationem, perfectionem usque individui efformans.

Existentia Macrocosmi explicita est, quæ in regiones diductus curriculum suum peragit, adolescendo q. ante diluvium & senescendo à diluvio.

N. Macrocosmo uti rebus alijs omnibus, curriculum quoque suũ destinatum est per ætates, crescentem, consistentem ac senescentem perficiendum. Ante diluvium q. in adolescentia subinde viribus suis ad ἀκμὴν ascendebat, atq; curricula rerũ particularium, hominisque indies prolõgabat. Exemplo sit curriculum vitæ humanæ, quod in Adamo fuit annorum 912. in Iared. 960. In Methusalê 969. Verum per diluvium saltatim ad decrescentiam, imò in decrepitam senectutem fuit transpositus, adeoq; rerum curricula maximè fuerunt decurtata, id quod sine difficultate cognoscet, qui curricula Noæ, Semi, Arphascad, Seluh, Mosis, Iosuæ & denique nostra curricula invicem contulerit.

Regiones macrocosmi sunt tres: Infima media & suprema: has ambit cœlum extimum.

Regio infima est spacium illud, quod circuitu lunæ circa globum terrenum describitur.

Dicitur à Copernico Orbis magnus, continetque terram, mare & lunam, ac insuper aerem: correspondet infimo ventri microcosmico cum genere venoso.

Regio media est orbis seu spacium macrocosmi, in quo Venus ac Mercurius circa solem rotantur.

Correspondet medio ventri cum genere arterioso.

Regio suprema est spacium, in quo Iupiter Saturnus ac Mars cursus suos absolvunt.

Correspondet supremo ventri cum genere nervoso.

Ambitus est cœlum stellarum fixarum.

Correspondet spiritibus seu seminalibus rationibus, in spiritu vitæ delitescentibus.

N. Ut totam huius mundi machinæ constructionem oculis subijciã, generationem, aut extractionem, aut separationem singularum mundi partium contexemus, ut inde pateat, quàm antiqua sit Chymia, aut ars Spagyrica, cùm à Deo ipso, aut si mavis à prima natura rerum profecta sit & hominibus patefacta. Dicimus à verbo illo, Fiat (quod principium omnium rerum fuit) creatum fuisse chaos, quod incubante spiritu domini animatum est, ut simul anima mundi universalis, cum corpore uno & eodem momento, procreata sint.

Imò ex verbo illo (Fiat) ſpiritus proceſſerit, qui chaos efformarit, cuius virtute & impulſu, ut generationes rerum ſequerentur, primo ſeparavit ſubtiliſſima quæq;,hoc e. lucẽ,cœlũ, aerẽ; deinde paulò craſſiora,craſſiorem aerem & aquas, poſtea terrã, quæ in omni diſtillatione & arte ſpagyrica ſubſiſtit in fundo, ita tamen, ut, cùm ex uno proceſſerint, iſta tria, cœlum, aqua & terra, unitatis ſuæ memores unionem adhuc iſtam cõſervent, ut non tota totis permiſceantur, nec etiam contigua ſint, ſed continua perſtent virtute animæ illius univerſalis, tanquam vinculo omnes illas partes colligante ac vniente, ut ſpiritus ſuos perpetua circulatione ſibi mutuò impertiantur & communicent: ut etiam id quod eſt inferius, ſit idem atque id quod eſt ſuperius, & ſuperius idem atque id quod eſt inferius ad perpetranda rei unius miracula, ut ſapientiſſimè aſſeruit magnus ille Philoſophus Hermes. Quod exemplum in ovo & in homine eluceſcit, quorum partes nõ contiguæ, ſed continuæ, quòd continuò animæ aut vitæ ubique in omnes partes diffuſæ motu & circulatione, partes omnes ſemper implente, ut nihil ſit vacuum quod contiguationem (ut ita loquar) non continuationem notet. Hanc primam ſpiritus aut animæ operationem in chaos factam, ut partes ſic extraherentur ac ſepararentur, imitatur adhuc indies natura, quæ nihil generat: quin priùs corrumpat, hoc eſt, ſemen in tria ſua principia ac elementa dividat, ſeparet, & rurſum in generationem colligat, ex cibo carnem noſtram non augeat, quin ipſum cibum prius attenuare velit, & collectis partibus omnibus, homogeneis ac heterogeneis in excremẽta relictis, ex eo chylum ſanguinem, ac ſpiritus poſtremo generet. Dubitas adhuc de quinta eſſentia, quam vides indies à natura elaborari, nec quieſcere, donec ad finem pervenerit. Sed pergamus aliò.

Cap. XVIII.

De 4. Elementis ac 1. de cœlo.

Dividitur eodem modo macrocoſmus in 4. Elementa ſed alio ſenſu ſecundum Dogmaticos, alio ſecundum Hermeticos.

Dogmatici Elementa vocant corpora ſimplicia, ex quibus res naturales compoſitæ naturali mixtione commiſcentur.

Eaque quatuor numerant, Ignem, Aerem, Aquam, Terram.

Sic Ariſtoteles quatuor Elementa arguit ex quaternario primarum qualitatum numero multis rationibus probare nititur, per neceſſarium eſſe ad rerum productionem quartum Elementum, nempe ignem calidum & ſiccum.

Hæc Dogmaticorum Elementa Hermeticis principia elementalia dicuntur, eaque ut ſupra tria conſtituunt, igne ſc. ſecluſo.

Itaque Hermetici pro diverſitate fructuum Elementa ſua diſtinguunt, quatenus matrices ea ſint in quibus fructuum productio peragatur.

Quatuor ibidem illa faciunt, Cœlum, Aerem, Aquam & Terram.

N. In schola nostra, inquit Quercetanus, scias Elementum nullum dari, quod fructus non producat. Hinc dicuntur matrices fœtuum & fructuum, quos in finibus suo tempore parturiendos fovent & conservant. Nonne vides elemẽtum terræ, quos maturo tempore excludat? Quid de aqua tot piscibus, mineralibus metallis, splendidis ac pretiosis gemmis, lapidibus, corallis, & id genus sexcẽtis fructibus referta dicam? Num & aer, roribus, mannis, mellibus aëriis, thereniabin & nostoch variis generibus fœcundat? At quid ignis fructuum utilium progignit? Imò quid non utile corrumpit, & ad extremũ interitum perducit? An dici potest id elementum, quod non mater, sed noverca fructuum est, quodque nõ fovet, sed destruit? Nõne ergo præstat cœlum in destructoris ignis locum sufficere? Etenim cùm infinitis virtutibus præditum sit, quibus tot nobis fructus procreat opportunis suis temporibus: pluvias nimirum, nives, grandines, gelu, fulmina, calores, frigora, Zephyros, Euros, & id genus alia: nunquid jure in album elementorum, utpote tàm fertile & fœcundum accenseatur? Facessat igitur iste ig[n]is ab elementorum cõsortio: etsi fateor quàm utilissimum esse, cùm ejus moderata administratio possit externi & topici remedij, quibusdam in rebus usum, eumque maximè necessarium præbere. Hoc enim frigus corporis obrigens extrinsecus, temperatur, aut etiam propulsatur: carnes, pisces, & mille alia coquuntur & præparantur in saluloriorem usum. At ab ipso aliquid produci, elementorum more, quis nisi insanus ausit asserere? Quas igitur laudes formandi, generandi, augendi, igni adscribas? Si cœlesti calori & sydereo aut æthereo tribuis, philosophicè magis, veriusque sentis: Siquidem astra sunt quædam calida, quædam verò frigida, alia quinetiam temperata, ita ut propriè loquendo cœlestes ignes alii sint calidi, alii frigidi, qui in inferiora agunt, quod postremum agnovit etiam Poëta, cùm sic cecinit: *penetrabile frigus adurit.* Proprium enim est ignis tàm frigidi quàm calidi urere.

Ergo nullus alius inter elementa agnoscendus est ignis à vero philosopho quàm cœlum. quod etsi *quarta essentia* à Philosophis Hermeticis dicatur, quod subtilissima sit totius chaos separata substantia, non excluditur tamen ab elementorum albo, & verè quartum est elementum, dicique debet.

De Cœlo.

Itaque cœlum quartum formale & essentiale elementum, aut quarta potiùs essentia, ex reliquis elementis extracta (quintum enim esse, seu quintam essentiam iam respuunt Hermetici, quòd quatuor non sint Elementa, unde quinta educatur essentia, sed tria tantùm, ex quib⁹ quar-

quarta elicitur essentia) dici debet: quòd longè nobilioribus virtutibus, quàm elemēta vel simplicissima pollcat. Huius enim tanta est potestas, ut principiorum trium, & crassiorum elementorum corpora, in mixtionem perfectam alicuius indiuidui moveat, exacuat atque potenter animet, unde omnes vires, facultates ac proprietates, quas exerunt individua, ex cœlo nōn aliundè mutuentur. Hinc fit etiam, ut propria eius qualitas non sit, nec siccum nec humidum: item, nec frigidum, nec calidum. Longe enim quid simplicius est, utpote simplicissima ac purissima essentia, ex simplicioribus & subtilioribus tum principiis, tum elementis extracta, quæ constituit simplicissimum, purissimum, tenuissimum, ac velocissimum corpus, summa vi generandi, fovendi, augēdi ac perficiendi, præditum: quod naturam ignis usque adeò æmulatur, ut revera cœlum nihil aliud sit, quàm purus & æthereus ignis: nec purus ignis aliud quā cœlum. Quod quò magis subtilitate & puritate principia ac elementa vincit, è potentiores etiam, perfectiores, puriores ac simpliciores vires obtinet, quibus omnia penetret, & singula quæque suis formis ac virtutibus exornet.

Constat igitur ex Mose, nullum aliud elementum igneum existere, præter cœlum, quod quarti elementi locum obtinet, aut quod potiùs quarta essentia est, ex trium elementorum subtiliore materia & forma extracta.

Cap. XIX.

De Cælo.

Cœlum Hermeticis suprema aeris regio dicitur stellis decorata, quæ aliàs æther audit. Estque nihil aliud quàm portio aeris tenuior, subtilior spiritualior, constans ex principiis elementaribus ac hypostaticis tenuissimis, subtilissimisq́, quoad potentias efficacissimis.

Continet nimirum astra unde nō modo calor vitalis, sed & omnigenæ effluentiæ effluunt, quibus totius universitatis œconomia administratur.

Substantia adeo tenuis ac subtilis est ut respectu reliquorum elementorum merus ignis audiat. Etenim, quum subtilissima, tenuissima ac purissima aeris portio sit, ideo & efficacissima, nitidissima, purissimaque vitali flamma actuatur; quin imo & astra ac præcipuè solem, utpote vitalis flammæ focum perennem obtinet, ex cuius propinquitate spiritib⁹, seu influentiis vitalibus propinquè ac iugiter fruitur: non minus ac medius venter microcosmi cordis præsentia lætatur.

Quær. Cœlum nihil aliud est quàm purus, æthereus & simplicissimus ignis, à tribus elementis tanquam imperfectis longè diversissimus ac perfectissimus: ut qui omnium formarum, potestatum ac actionū in omnibus naturæ rebus inferioribus autor sit, tanquam primaria causa, & instar parentis erga fœtū se habens, ut qui semina sua in ventrem terræ suo vento

impor-

importet, unde fœtus nutriatur, foveatur, crescat, & tandem ex elementorum gremio excludatur.

In cœlo sunt astra veluti viscera macrocosmi.

Hoc cœlum, licet nullius sit per se complexionis, hoc est, nec calidum, nec frigidum, nec humidum, nec siccum sit, aut dici possit: omnibus tamen rebus ex sua scientia & prædestinatione calorem impertit, frigiditatem, humiditatem & siccitatem: siquidem sunt stellæ & planetæ, qui spiritus frigidissimos humidissimosque, ut saturnales & lunares, habeant: alij calidissimos & siccissimos, ut solares, martiales, &c. alij humidos & calidos, ut joviales, qui virtutibus suis ac complexione, qua unumquodque sydus & planeta dotatus est, omnia hæc inferiora informant ac imprægnant, ut alia individua sint hujus conditionis & complexionis, quam à suo informante planeta aut stella mutuata sunt, alia qualem ab alijs syderibus aut stellis obtinuerunt. Cœlum enim obtinuit à Deo semina simplicissima ac perfectissima, quales sunt stellæ, planetæ, atque infinita alia astra, quæ vitalibus facultatibus & complexionibus, ut jam diximus, perfusa, eas in gremium elementorũ inferiorum profundunt, eaque animant, ac informant. Nec cessat ab operatione sua cœlũ, nec ejus astralia semina, quod nunquam virtutibus suis exhauriantur, nec alterationem aut imminutionem facultatum patiantur, unde à procreando & formando desistant, etsi aliquando uberiùs, aliquando parciùs fœcundent.

Hinc perpetua illa Circulatio, cujus beneficio semina elementorum, aut materia eorum cum seminibus astrorum copulantur, conceptum suum in gremium maternũ referens, ut perficiat & producat fœtum. Ut enim cęlum agere in terram dicitur, sic elementa inferiora conferunt etiam suos actus & motus: sed diversa ratione, siquidem cęlum agendo nihil patitur, utpote adæquatum, homogeneæ ac perfectissimæ naturæ existens: adq; idcircò incorruptibile ac immutabile, ad prædestinatum usque finem rerum creatarum. At inferiora hæc agendo simul patiuntur: quòd formalia sua principia cum materialibus mutationi & interitui obnoxijs admixta habeant: unde fit etiam, ut quæ ex illis producuntur, successu temporis corruant.

Quæ cùm satis perspecta habeat Medicus verus, ac Philosophus, ad sanitatis conservationem, aut ejusdem deperditæ restitutionem, sedulò incumbit extractioni cœlestium essentiarum ac formarum, ac separationi elementarium principiorum ac materialium, à tribus illis formalibus & spiritualibus principijs: quibus solis ac ab alijs, quæ heterogenea sunt, secretis utitur, ut admirandos effectus citra ullum impedimentum exerat. Atque ea est universalis Medicina balsamica, in qua omnes partes homoge-

neæ sunt, purissimæ, simplicissimæ ac maximè spirituales. Quæ cùm sit simplicissima, defæcatissima & incorrupta, quinta essentia dicitur (quam nos malumus quartam essentiam vocare) & lapis cœlestis Philosophorum. Hujus qui nullam cognitionem habent, malè putant, cùm de lapide Philosophorum loquela est, hoc est, de universali illa Medicina, de transmutatione metallorum agi, quasi ejusmodi transmutatio summa esset corporis humani Medicina. At nesciunt perinde in homine microcosmico latere imperfectorum metallorũ fodinas, unde tot morbi enascuntur, ut necesse sit à bono & fideli Medico non ignaro, in aurum & argentum reducere, nempe in perfectam purificationem virtute tàm insignis & preciosæ Medicinæ, si sanitatem ac prosperam valetudinem consequi velimus.

Essentia ac principia cœli.

Querc. Satis fusè, meo judicio, caput de trib. principijs Hermeticis exposuimus, de sale inquam, sulphure & mercurio, ac quicquid ad hanc tractationem scitu dignum ac necessarium erat, enucleavimus: si quidẽ ex illis naturalia omnia corpora constituta sunt ac composita, & non tantùm ex crasi aut mixtione qualitatum elementarium, quas passivas tantùm esse diximus. Actiones verò omnes in speciebus & individuis hærentes, nec non facultates ac proprietates, aliundè proficisci notavimus, ut nulla fœcunda sit impressio, nullaque constans tinctura, nullæ vitales ac potentes qualitates colorum & saporum, quæ vel in sale, vel in sulphure, vel in mercuriali liquore non quærendæ sint. Jam in specie principia in cœlo videbimus.

Ex divini vatis Philosophia, quam ex schola sua nos docuit Deus, dicimus ipsum Deum ex nihilo chaos quoddam, seu abyssum, seu aquas vocemus, creasse. Ex quo chao, abysso, aquis spiritu Dei animatis, Deus ut summus Archetypus & creator separavit primo loco lucem à tenebris & cœlum istud æthereum, quod cernimus, tanquam essentiam quintam, aut spiritum purissimum, sive corpus spirituale simplicissimum.

Nihilum autem illud esse merè spirituale illud primæ materiæ, quod ex verbo Dei fiat, ut animã totius mundi universalem promanasse ex verbo & Genesis Testimonio asseritur.

Deinde aquas divisit ab aquis, hoc est liquorem subtiliorem, aereum & mercurialem à liquore crassiore, viscidiore, oleaginoso seu sulphureo. Sulphur dein, h. e. aquas crassiores ab arida parte diduxit, quæ instar salis ex secretione substitit, & adhuc subsistit seorsim.

Nec tamen ita separatæ sunt illæ partes universales totius chaos, quin adhuc singulæ tria illa principia apud se retineant, citra quæ esse nequeant, nec generationes adimplere. Hoc tantùm DEUS fecit, ut puriora ab impurioribus separaret, hoc est, puriorem & æthereum mer-

mercurium purius & inextinguibile sulphur, purius & magis fixum sal, in pellucida & inextinguibilia astra ac lumina, in cryſtallinam ac diamantinam ſubſtantiam ſeu corpus ſimpliciſſimum, quod cœlum dicitur, ſupremum quartumque elementum formale reduceret, ex eoque formæ in craſſiora elementa ad rerum omnium generationem, tanquam ſemina infunderentur. Quæ quidem craſſiora elementa dicuntur, quòd ab ijs in diviſione chaos puriſſima pars extracta ſit, & in cœlum fructusque eius redacta.

Quæ quidem omnia elementa, ſive ſimpliciſſimum illud quartum, ſive quæ craſſiora dicuntur, cùm conſtent ex tribus illis principijs hypoſtaticis, nunquam ita ſeparari olim potuerunt ab invicem, aut ab artifice nunc ſecerni poſſunt, quin ſemper, quodcunque ſupereſt, ex tribus illis componatur. Diſcrimen eſt, quòd aliæ ſecretarū partium ſint puriſſimæ, ſimpliciſſimæ & maximè ſpirituales ſubſtantiæ, aliæ craſſiores & minùs ſimplices, aliæ craſſiſſimæ & ſummè materiales,

Fatendum igitur, cœlum licet ſimpliciſſimum, ex tribus illis principijs conſtare: ſed puriſſimis ac ſpirituoſiſſimis totis formalibus, alia verò craſſioribus & impurioribus. Quo fit ut virtutes cœli, cùm totæ ſint ſpirituales, facilè in alia elementa, formas ſuas etiam ſpirituales citra ullum impedimentum penetrantes, in inferiora elementa infundant: unde corpora naturalia omnia propagationem ſuam, tùm virtutum, tùm facultatum, ſortiuntur.

Si cœli puritatem præ alijs elementis intueri velimus, eiusque perpetuam conſtantiam, id teſtantur luculenti illi ignes perpetuò rutilantes ac lucidi, quibus cœlum puriſſimam & inextinguibilem ſulphuris ſubſtantiam, ex qua conſtant, impertitum eſt. Quale enim cœlum eſt eſſentia, tales & ſimiles fructus ſubſtantia progenuit, ex quorum vitalibus impreſſionibus ac influxibus, ſimile quid ſui, in craſſioribus elementis procreant: ſed pro ratione materiæ craſſius vel tenuius, durabilius aut conſtantius, vel magis caducum individuum.

Influxus autem eiuſmodi ignium ſpiritus ſunt mercuriales. Lucem illam ac rutilum ſplendorem ſulphur eſſe diximus: cœli verò eorum fixi aut circuli vitrei ac cryſtallini ſalinum eſt corpus, qui circuli vitrei adeò puri, lucidi & fixi ſunt, ut ne adamas quidem de ſalis fixi natura participans, puritatis aut durationis ac perpetuitatis præ illis quippiam obtineat.

De influentijs ac actionibus cœli.

Influentiæ cœleſtes ſive aſtrales ſunt effluvia, quibus aſtra indolem ſuam pro diſpoſitione ſummi directoris communicant, ac alijs influunt, dici poſſunt & ſpiritus.

N. Ut microcosmi viscera ac præ alijs cor influentibus suis spiritibus indolem suam communicat, non tantum individuo proprio, sed & speciei propagandæ i. e. fœtui in utero cõstituto, quinimo si qua in corpore res aliæ contineantur, ijsdem & effluvijs suis prospicit: ita & astra macrocosmi ac inprimis Sol ceu cor macrocosmi.

Influentia hæc in statu hoc corruptionis seu transpositionis, in quem enormibus transgreßionibus, tum primorum parentum, tum primævorum hominum ante diluviũ iusto Dei Iudicio transposita sunt; vel benigniores existunt, vel maligniores. Vide infra de aere.

Q. *An Influentia astrorum causa morborum.*

Non omnes in hanc pedibus eunt sententiam: quibusdam sydcrum cœlestiũ vim ac influentiam in elemẽtis terminari, mordicus defendentibus, hocq; Achyllæo clypeo sententiã suã muniẽtibus: sidera videlicet ad creaturarum rationalium potius bonũ, quam detrimentũ condita esse. Nos regia quodãmodo, h. e. media via incedentes, ab una parte statuimus: sideribus in creaturas rationales absolutam nullã potentiã à creatore concessam esse: à parte vero adversa experientia edocti sumus. Astrologiæ, h. e. sydcrum cursus notitiam bono Medico haud sanè levia adferre in præsagiendo subsidia. Hac siquidem mediante, magnus ille Hippocrates pestilẽntias, aliosq; epidemios morbos plures prędixit, discipulosq; suos simul atq; gravius hoc malũ prævidit huc illuc per universam Græciam in mortalium solatium ablegavit.

Quotidiana sane experiẽtia, ex qua vere oculares demõstrationes desumũtur, cęlestium corporũ in hęc inferiora dominiũ luce meridianã clarius evincit, cum illius opera dignoscamus, tum aquas exaffluxu & refluxu maris secundum communẽ opinionem ab influentia Lunari dependere, tum terræ sementationẽ, plantationẽ ac arborum ædificationi servientium cęsionẽ, secũdùm lunę quadra instituendas: tum cerebellorũ ac medullarum plenitudinẽ in plenilunijs manifestari, tum deniq; sacros illos morbos (qualis Epilepsia unde & lunaticus morbus à multis dicitur) in suis paroxysmis, lunę motũ observare.

Ex dictis ergo patet sinistrum sydcrum cœlestium aspectum, indeq; ortam influentiam, seu potius Dei omnipotentem manum, morborum v. g. communium pestilentialium efficientem causam rectè statui, cum non semper agat immediatè Dominus, sed quandoque causa communi interveniente, vid. licet cœlo & hinc aere, quem fatali quadam necessitate inspirant omnes. Hippocrates lib. de flatib. hanc causam proximam probe agnovit, dum inquit, *Aer quippe in omnibus quæ corpori accidunt author est & Dominus.* Idem quoque Hippocrates post declaratam in conservatione omnium viventium ac præcipuè hominum, hujus, ut vocat spiritus, excellentiam, subjungit. *Subjiciam igitur mox & illud, quod non aliunde verisimile sit morbos evenire, quàm inde, si is* aut

aut plus, aut minus, aut cumulatior, aut morbidis sordibus inquinatus, in corpus sese ingerat. Galenus eodem fortassis fundamento statuit, aërem omnis generis pestilentiarum authorem esse, primo libr. de differ. morb. capite quinto, sic scribens: *Pestilentem febrem* (vel pestem) *inspiratione constat contrahi. Aër enim cum natura existat volatilis ac totaliter spiritualis, corpora porosa, aërea, ac spiritualia, sive bona, sive mala, salubria, vel insalubria fuerint, pari subtilitate permeat ac facilitate.* Ac prout ad ejus spiritualitatem propius accesserint, cùm iis faciliùs incorporatur, ac quasi unum corpus mixtum evadit. Cujus quidem rei fundamentum in eo quærendum est, quod philosophi ajunt, simile simili gaudet: sicque subtile alteri subtili, spirituale alteri spirituali (secundum illud in scholis tritum, similia similibus nutriuntur) facilè conjungitur ac conformatur. Hinc quoque videmus dictum aërem non tantum in nostri corporis spiritus transmutari, verum etiam eosdem, totumque nostrum corpus mira celeritate immutare, (prout fert contrariorum pariter se habentium natura) ubi semel ille aliundè alteratus, ac peregrina imbutus qualitate fuerit.

Verum ne diutius in hac re probanda immorari, ac eandem quodammodò recoquere cramben videamur, rationibus missis benevolum lectorem relegamus ad loca Aëtii tetra. 2. sermon. 1. cap. 94. & Æginetæ libro 2. capite 35, ubi de morbis popularibus ac pestilentialibus sermone instituto, omnia quæ à nobis modo dicta sunt aëri tribuere non verentur.

Concludamus igitur, Deum ubi genus humanū aliqua extraordinaria visitare via decreverit, pro beneplacito voluntatis suę ac judicio imperscrutabili variè ac diversimodè causas secundas, in quorum etiam numero syderum reponimus adspectus sinistros usurpare. Quorum quidem syderum notitiam Deus ideò sapientibus quibusdam concessit, ut inde imminentia populo mala prædicendo, ipsumque ad pœnitentiam tanquam unicum ac verum in talibus morbis remedium deducendo, à solius omnipotentis misericordia, horum ut omnium aliorum morborum, veram ac solidam dependere curationem edoceant.

Occurrit memoria magnæ illius conjunctionis duorum supremorum planetarum Saturni videlicet & Jovis factæ 1584. prima Martij, idq; die Dominica hora duodecima: quā tantus continuò excepit terræ motus, ut præ ingenti turrium concussione, ac quodammodò vibratione, suspensæ in ipsarum summitatibus campanæ resonarent quàm plurimæ: si que motus hic quartam concussionem superasset, nihil aliud quàm universalis ædificiorum ruina expectari poterat. Verum ut semel impetum suum, secundum terrę longitudinem, ac latitudinem (repertis videlicet occultis meatibus) ad centum fermè milliaria extendisset, post

ternam aut quartam concussionem evanuit. Cumq; Leovicius hanc cōjunctionem magnam quandam subsecuturam immutationem prædixisset, mihi in scriptis ejus satis versato, ac sub ipsum dictæ diei meridiem, quidnam futurum esset avidè expectanti, duplo profecto quàm aliis metus major incussus est.

Paucis verò post annis, tāta pariter fames ac pestis in diversis climatibus ac regionib. mortales invaserunt, ut nihil sub sole miserabilius conspici potuerit. Neq; hi soli conjunctionis hujus extitere fructus, verum inde forsan & bella intestina Galliam quàm miserrimè dilacerarunt.

Aristotelis circa adspectus syderum sententia.

Aristoteli quoq; sinistri planè ac ominosi, supremorum horum duorum planetarum conjunctionis effectus probè cogniti fuerunt, dum scribit: *Coitione Iovis & Saturni regum principatus oppressum iri, arsuramq; pestilentiam.*

Ad majorem sententiæ nostræ confirmationem ex supradictis non minus quàm ex sententia Aristotelis, hæc vera ex planetarum conjunctione elicere possumus corollaria: videlicet quotiescunque *Iupiter & Mars, aut Iupiter, Mars & Saturnus conjunguntur: universales planè integráque desolantes regna subsequi solere pestilentias.* Ac talis quidem illa fuit, quæ sub imperio Marci Antonini post conjunctionem Martis & Saturni, universam Babyloniam, Græciam & Italiam concussit.

Sequentibus post conjunctionem hanc sæculis, morbus ille detestādus (quem multi à populis qui priores ipso laborarunt, Neapolitanum: alii *Luem Veneream* appellant in Galliam ex Italia, sub Carolo videlicet VIII. dimanavit.

Quo tempore Lues Venerea Galliam infestavit.

Quæ si vera sunt, minus multo mirandum fuerit, si tales conjunctiones ipsi quoq; aëri venenosas ac pestilentes imprimere dicamus qualitates, aëri inquam, regionum directæ earum influentiæ magis subjacentium. Cujus vel in utroq; tū solstitio tum æquinoctio manifesta satis nobis patent exempla: similiterq; in Plejadum, Hyadum, Caniculæ, Arcturi, Orionis, aliorumq; cœlestium syderum, cum Sole vel invicem facta conjunctione, nec non in recessu, ortuq; vel occasu eorundem.

Atq; hactenus quidem dicta, tantum abest, ut in Astrologiæ contemptum adferātur, quin potius ad laudem ejus & celebrationem cuncta collimant. Quotidiana satis confirmat, & futuris retrò sæculis confirmabit experientia, notabiles illas, quæ ab antiquis longè subtilius in astrorum cognitione quàm posteri versatis observatæ fuerunt, syderum cōjūctiones, magnas secum inducere, tum temporum, tum aliarum in humanam vitam rerum mutationes. Prout testatur Hippocrates lib. I. Epidem. sect. I. 2. 3. Item sect. I. lib. 2. ubi de 4. anni temporum constitutione in genere tractat. Sect. verò 3. li. 3. Constitutionem aëris pestilentis ex professo describens asserit, plerosq; morbos Epidemios & pestilentiales, ut

ut sunt dysenteriæ, lienteriæ, febres ardentes, phreneses, ophthalmiæ, ignes sacri, carbunculi, & bubones, qui plurimos peste sęviente infestāt, ob symptomatum insolitorū ac horribilium vehementiam, certas astrorum constellationes in primis respicere, cum à causis ordinariis alium morborum produci nequeant. Si igitur magno Hippocrati licuit, sive solius proprij genij ac industriæ auspicio, sive antecessorum suorum institutione, & quasi manuductione, ex varia temporum constitutione ac astrorum influxu, sæpè numero gravissima futura mala prænunciare: quid vetat, quo minus & hodierna die similia mala à nobis, qui sumus ijsdem præceptis imbuti, ac exemplis antiquitatis in sententia confirmati, citra ullum errorem & imposturam prædicentur?

En causas efficientes morborum superiorum & cœlestium, quas paulò altius perscrutamur, in cœlo nimirum, unde consequitur illarum scaturiginem procul à sensibus nostris esse remotam. Hinc pestes generales germinantur, quibus tanquā flagellis vindicib. divina justitia hominum scelera punire solet.

N. Habet hęc *Quercetani* responsio quæ explicationem merentur, 1. est quod vis siderum in Elemētis terminari dicatur. Hoc si de Elemētis macrocosmi solū intellectū velint, falsitatis eos arguit experiētia, qua nōnullos cōperimus, qui de certis siderum aspectibus, sibi infensis non sine molestia cōqueruntur, quā inde percipiunt. De quo infra in pathologia. Secundum est, ꝙ author statuat siderib. in creaturas rationales i.e. in hominē nullam absolutam inesse potētiā. Hoc quomodo intelligendum sit ut pateat, sciendum est; operationes reb. naturalib. omnigenas esse à Deo inditas, idq; vi verborum; fiat itē producat; quorum verborum virtute omnib. inest vis operandi secundum suam cujusque naturam, seu si mavis Deus ipsemet per virtutem suā in rebus naturalib. secundum leges naturæ sancitas ac præscriptas operatur. Cursu hoc naturali influūt sidera influentias suas non modo in totū macrocosmum, sed & in hujus sobolem microcosmum, i.e. in hominē ex macrocosmo productum. Qualiter igitur astra disposita sunt, bene scil. vel malè, taliter agunt, quamvis interim nō diffitear operationem eam variari, intendi vel minui pro conditione objecti sive patientis. Dispositio illa aut est creationis atque valdè bona, aut maledictionis & bona mala. Nec enim cum tota natura sit corrupta aut transposita, cœlum impunè evasit. Tota enim natura in suis partib. ita concatenata est, ut mutuo invicem servitio omnia connectantur. Ideoq; & mutua corruptione invicē communicent. Hinc & cœlum non minus ac res aliæ naturales potentiis beneficis ac maleficis est instructū, quas secundum leges naturæ præscriptas etiam in hominem exercet. Lex ea naturalis tamen à Deo sic sancita ac lata est, ut Legislatori liceat, eandem modo extraordinario limitare, augere, minuere, muta-

mutare,&c. Quod tamen fieri vix solet sine gravissimis rationibus. Limitatio autem ea præ aliis hominem cócernit creaturarum omnium nobilissimam, cujus præcipuam curam Deus gerit, adeoque in homine puniendo curriculum naturale, inprimis dirigit ad hominis salutẽ, quam seriò cupit: quod si autem abusum continuatum perspexerit non deest, quoque secundum justitiam atq; severitatem idem in pœnam convertere, adeoque morbos gravissimos inducere. Hæc tamen quæ dixi non eo sensu suscepta volo, quod Deus naturalibus illis corporibus sit alligatus, ut non nisi iis operetur, sed quod ut plurimum eorum ministerio utatur, nonnunquam tamen & sine illis morbos infligat. De quo author noster; Quemadmodum, inquit, ambigere de certis corporum cœlestiũ in hęc inferiora, non tantùm nostra, sed etiam elementaria influentiis, doctorũ se exponere foret ludibrio; sic quoque ab eorum nutu seu motu, omnes sublunares, tum actiones, tanquam ex necessaria quadam fatorum lege, ad plurimorũm astrologorum imitationem suspendere, ut vanitate ac errore, etiam Ethnicorum judicio non caret, sic sanè Christianæ religionis fundamenta everteret.

Aucteris piũ de proposita quæstione judicium.

Nostro itaque si credatur consilio, melior longè ac tutior ratio fuerit, pestilentiarum cœlestium ætherearum ac desuper descendentium, (quæque cum spirituales planè existant, velocitate sua summa, sæpè nobis in utramque aurem securè dormientibus, alterutram vellicãt) causas, non tam in cœlestibus influentiis, quam in ejus arbitrio collocare, qui fons & origo est omnis influentiæ, hoc est, Dei Optimi Maximi: à quo etiam ad peccata nostra, & visitandas iniquitates demittuntur. Hæc est causa principalis, quæq; ab omnib. agnoscitur, pestis illius, qua David in S. Scripturis usitatus legitur: ut & Ægyptiacæ ob pertinaciam regis Pharaonis, universo ejus regno, populo Israëlitico exceptò, inflictæ, eò quod populum Dei dimittere detrectaret, ut constat Exod. c.9. Multò verò magis illius, quam refert Eusebius historiæ suæ Ecclesiasticæ libro 9. capite 8. quæque in omnes indifferenter idololatras ac paganos, Christianorum planè intacta Ecclesia desæviit. Ex quo posteriori exemplo, tãquam signo pathognomonico, Divina planè talium pestilentiarum scaturigo eligitur. Atq; hanc quidem causam, ingenuè fatendum est verè esse occultam, ac intellectus humani etiam illuminatissimi discursum ac capacitatẽ transcendentem. Id quod in multorum Christianorum philosophorũ perpetuum opprobrium, Hippocrates ipse, licet Christiana veritate collustratos oculos non haberet, vidit ac ingenuè fassus est: dum in pluribus talibus malis ut peste, & Epilepsia, τὸ θεῖον, id est, divinum intellectum humanum transcendens quid latere, infinitis in locis profitetur. Licet Galenus, prout erat præceptore ambitio-

bitiosior, hanc vocem ad solam aëris constitutionem & qualitates retulerit.

CAP. XX.

De Aëre.

A*Er est pars sive Elementum macrocosmicum effluviorum, quæ ex reliquis effluunt, elementis vehiculum.*

Principia elementi aërei longè crassiora sunt, minus pura, minusq; spiritualia ac simplicia, quã cœlestia: attamen mercuriis & sulphuribus aqueis ac terrestrib. multo perfectiora, tenuiora ac penetrantiora, ut quę post cœlum proximum activitatis ac potentiæ gradum obtineant, quorum vires cernuntur in ventis variis, qui fructus sunt mercuriales, ac spiritus aërei elementi: cujus etiam sulphura in cometis ardentibus cõspiciuntur, pura lucidaq;, qui quidem ignes nõ sunt sulphura perpetua, quæ extinctioni non sint obnoxia: ut cõtra, longè à natura astrorum aut sulphurum cœlestium degenerarunt, utpotè à puritate ac simplicitate in crassiorem formam ac impuriorem digressa.

Quod ad terram attinet aereã, usq; adeo subtilis ac tenuis ea est, ut propemodum visum fugiat per totum aëris ambitum diffusa: quæque non nisi marinis roribus, pruinis, tãquam salibus aereis, sese conspiciendam præbet.

Hæc eadem principia aëris percipi etiam possunt in meteoris: quæ in illo & ex illo generantur, fulminibus videl. coruscationibus tonitruis & id genus alijs. Sulphur nempè in ignea illa flamma, quæ erumpit: Mercurius in spiritib. ventosis & summa velocitate & fixus sal in lapide fulminis.

Hujus naturę fructus etiã sc. Therenïabin, Nostoch, mãna cœlestis & mel, (quòd selectum apes ex florib. exugũt, quib. inest) apertè nobis indicãt, ista omnia nihil præter Mercuriũ, sulphur & salem esse aerea. Quod opificium mellis, nec non mannę, satis etiã docent, nec citra admirationem veri philosophi, qui norũt ea in suas partes secernere: ꝙ & rusticus suo modo percipit, cum ipsum in ceram sulphuream & adustibilẽ in mel mercurialis essentiæ, & favum terrestrem salem referẽtem separare sciat.

De Aëris dispositione ac potentiis.

Aëris dispositio consideratur

1. *Quoad qualitates Elementales.* estq; 1. tẽperatus, 2. calidior, frigidior, humidior, siccior, crassus, nebulosus, pluviosus, rorid⁹ vẽtosus &c.

2. *Quoad qualitates hypostaticas*, 1. sulphureus: v.g. tempore fulguris, cometarum ardentium, nebularum fętidarum. Idẽ judicatur facibus ardẽtibus, ignibus fatuis, Castore ac Polluce. Sic meminit. Crantzius invisibilis cujusdam ignis quo tacti homines arserint, quique facilè penetraverit præcordia. Et hac occasionẽ ait, alij pedes alij manus præsciderunt, lib. 5. Saxon. c. 15.

2. *Salinus.* Sic acrimonia sentitur in nebulis fœtidis quæ nares afficit.

Sic & acidus aër nonnunquam percipitur.

3. *Quoad qualitates seu proprietates specificas*, unde aër corruptus, pestilentialis. Spiritibus seu influentiis astralibus scatens &c.

Dispositio seu transmutatio accedit aëri.

I. à cœlo seu stellis ac 1. à Sole: 2. Luna. 3. stellis aliis.

II. à Meteoris ac 1. à ventis: 2. ab aliis meteoris.

III. à situ & exhalationibus inferioris globi.

IV. à corruptione substantiali.

N. Aër qui perpetuò serenus aliàs, purus mundus ac spiritib. hominis, quorum erat fomes & pabulum, emundandis, ac in puritate perpetua conservandis idoneus, propemodũ nunc semper caliginosus, multisque inquinamẽtis ac sordibus impurus, corruptus ac pestilens evadit: quibus multos ac varios parit morbos, tam pestiferos & Epidemicos, quàm sexcentos alios affectus gravissimos, summeq; noxios.

Etenim ut aër est tenuis & spiritalis vapor, sic variis mutationibus sua mobilitate & instabilitate obnoxius est, siquidem modò has, modò illas qualitates facile excipit, ut ex calido repentè frigescat, ex frigido promptè etiam recalescat, ex humido siccescat, ex sicco humescat, prout ab elementis, cœlo, terraque, variè in ipsum agentibus, exercetur. Hunc cum assiduè hauriamus, fit ut temperamentum nostrum variè immutetur secundùm varias ejus qualitates. Hoc ipsum est, quod docent Aëtius & Ægineta in hæc verba: *Verùm ambiens nos aër, temperamẽta mutat atque pervertit, dum aut immodicè calidior, aut frigidior, aut siccior, aut humidior evadit. Nam reliquis causis non omnes simul obnoxii sumus, neq; per totum diem occursamur: Aer autem nos ambiẽs forinsecus omnibus nobis circumfusus est, & per inspirationem trahitur. Necesse igitur, ut ad mutationes ejus, juxta temperamentum ipsius coafficiantur etiam animalium corpora &c.*

Mutatur seu transponitur aer,

1. à cœlo

1. ratione Solis. idq;

1. *Corporis solaris circumvolutione*, quæ fit spacio 26½ dierum circiter: cujus circumvolutionis quadraturis mirificus modus in hominum corporibus manifestè percipitur.

2. *Quotidiana circumductione*, quæ constituit, tempus matutinum, meridianum, vespertinum, mediæ noctis, quorum ratione non levis variatio percipitur, nõ tantum in qualitatib. primis, sed & præcipuè in hominum ægrotorum corporibus, uti experientia quotidiana id edocet.

3. *Annua revolutione*, qua non modò variat quadraturis suis, sed & annuo suo recursu. Cum enim Sol annuo suo curriculo, quatuor temporã constituat, vires suas apertè testatur, & rerum omnium ortus, incrementa, statum & earundem decrementum ac interitum tandem efficit.

Siquidem à nobis eo recedente conglaciatur aër, rigescunt omnia, fri-

frigore constringuntur meatus, calor vitalis prorsus suffocatur: plantæ arescunt & virore suo spoliantur, arbores ipsæ quoq; fructuum steriles veluti moribundæ languescunt. Tunc præsens rebus fere cunctis incumbit interitus; quod humore destitutæ caloreq; privatæ, & subinde frigore nimio exsiccatæ, virtute radicali & humiditate prorsus exhauriatur.

Eodem ad nos redeunte & domicilium Arietis ingresso, incipit frigus illud mitescere, tepidisq; ejus radijs ac summè vitalib. aër ac terra recreatur: quæ sensim incalescens & sinum suum reserans, humorem radicalem in animantes omnes dispergit, quo eadem revirescunt, repullulant, nec non tandem fructus ad maturitatem perducunt: prout ea, variis naturæ ignis gradibus, à magno illo luminari irradiata promovetur, & ad operandum excitatur: Qui ignes ut diversis illis anni temporibus, verno scilicet, æstivo & autumnali variantur: sic varia producuntur fructuum genera. Nec tantum istius luminaris effectus & vires in plantis conspicuæ sunt: sed in animalibus etiam omnibus, præcipue què in homine elucescunt. Nam, scribit Actuarius, *Nostrum omnem in imo sibi familiari cognatoq; delitescentem loco, calorem ad cutem prolicit: atque ob eiusmodi impetum ex insidente etiam materia, multa variaque circa totius corporis summam cutem iam efflorescunt: quippè exanthemata papulæq; ac sudamina seu sudores erumpunt.* Quemadmodum enim terra toto Vere amori indulgere videtur, quo incipit fœtus suos, id est germina efformare, fovere & excludere: Sic animalia ad eam temporis mutationem, tota amoribus & libidine rapiuntur: tunc aviculæ ovis incubant; omniaque speciei sibi simili producendæ incumbunt. Naturalis quoq; noster calor, anteà intro à frigore compulsus, incipit per totum corpus liberè expatiari, & membra nostra sensim concalfacere, unde tandem sanguis noster fervere & turbari, ut vina in cellis excandescere cernuntur. Hinc variæ papulę, pruritus, scabies & sudamina circa corporis summam cutem efflorescunt; hinc varia exanthemata erumpunt. Hinc præ nimia sanguinis aliorumq; humorum cōmotione paroxysmi morborum à parentibus contractorum, ut arthriticorum, & id genus aliorum, alioqui delitescentes & quieti, excitantur.

Atq; hæ sunt ingentes & admirādę aspectuum diversorum summi illius luminaris in omnia naturalia virtutes, quib. permotus Actuarius, lib & cap. jam citatis addidit, quæ sequuntur: *Porrò iam pridem tum animalium, tū plantarum essentia marcore tabuisset, nisi demirandas has anni tempestatū mutationes, sol esset molitus. Nunc verò cum alia aliis præparet & dispenset, rerum ortui inter itus opifici ceu instrumentum est effectus. Terra enim, mare, omniaq; eius facultate referta sunt: adeò Sol in omnib. quæ mutantur corporibus, mirandum est opifici instrumentum. Adhæc Luna suis incrementis, decrementisque tempestatum vicißitudines imitatur.*

2. Ratione Lunæ.

Nec solum Sol in aerem vires exercet, sed Luna quoq; proprietates omnes suas easq; varias imprimit.

V. g. Juxta *quaternam illam formam*, quam crescendo & decrescendo, sua circumvolutione assumit: ita ut in quovis quaternione sui cursus, quatuor modis aërem etiam diversimodè afficiat, ut scribit Galenus, & post eum Aetius. Primus enim septenarius à novilunio usq; ad septimum diem similis est veri, calidus & humidus: secundus verò septenarius usq; ad plenilunium, æstati: tertius septenarius decrescente Luna autumno: quartus & ultimus, hyemi.

At ejusmodi mutationes non tantùm in singulis quatuor anni vel mensis temporum quaternionibus, juxta solares & lunares periodos agnoscuntur: verùm etiam singulis diebus quadripartitè etiam dimensis observantur, ut iidem authores scripserunt: siquidem cum matutinum tempus calidum sit & humidum, respondet veri: idcircò corpora etiam tum sanorum, tum ægrorum melius habent, & febrientibus hoc tempus benignius. Medium diei æstati confertur, ut crepusculum autumno, & vespera hyemi.

Quin & in ipsa nocte, quatuor ista discrimina notantur, primaque illius pars Veri, secunda Æstati: tertia Autumno, & quarta Hyemi assimilari potest. Unde medicis de morbis judicandi magna occasio.

3. Ratione stellarum quarundam fixarum.

Quin & ulterius progrediendū est: siquidem ortus & occasus quorundam syderum ac stellarum, cum heliacè oriuntur, vel chronicè occidūt, juxta præscriptam ipsis à Creatore legem, magnas pariter subitasq; mutationes inducunt: quibus aër afficitur, ut contingat etiam ventos inde, contra naturam suam, varias alterationes subire, aliter quàm pro more spirare: ac præternaturales qualitates inferre. Nonnè id magni interest observari à medico & studiosè disci? cùm sanorum corpora, multoq; magis ægrotorum, juxta aëris statum alterentur, ut suprà diximus. Atq; hinc liquet, cœli, hoc est, astrologiæ cognitionem, usque adeò necessariam esse medico, ut ejus ignarus medici nomine sit planè indignus.

Et ut potissima attingam, exempli loco hîc astrorum præcipuorum effectus proponam: cùm hæc contemplatio etiam vulgò, nautis, ipsisque quoque agricolis, ut medicos non attingam amplius, solennis sit & frequentissima.

Constat enim circa 21. aut 22. Martij stil. nov. diem, quo tempore Sol arietem ingreditur, & Pegasus equus manè exoritur, existente tum verno æquinoctio, magnas mutationes in aëre, & perturbationes, incalescente tum aëre, fieri, unde tellus antea sterilis impregnatur, sinus suos reserat, succos exprimit, & germina quæque cum floribus explicat: ut longè quid dissimile à priore aëre, magna cum voluptate intueri liceat. Nec minus alterationem istam aëris persentit aqua, ex conjunctione & concursu stellarum & astrorum: siqui-

quidem maria, tum temporis magis turgent, quin & vina syderum vires experiuntur, dum dolijs suis inclusa ac in profundis caveis recondita inservescunt, turbantur, nec non etiã vappescunt, & aliquando corrumpuntur. Non dubium est, etiam corporis nostri perinde commoveri humores, & unà plurimos morbos inde procreari.

A.18.19.&20. die mensis Aprilis, atque aliquot post diebus, Pleiades ad tauri oculũ sitæ, exoriuntur cũ Sole: quæ cũ sydus sint frigidum, usq; adeò calorẽ Solis illicò coërcent & refrigerant, ut longè frigidior aër reddatur, quàm mense Martio: tunc temporis certi quidam dies dicuntur vulgari proverbio, vindemiatores, qui vindemias anni, tunc temporis expediãt quos vocant Georgetũ, Marquetum & Creusetum, quod scilicet tunc tẽporis nonnunquam vitium germina congelarint, & omnẽ uvarũ suo tempore colligendarũ spem præciderint.

Vigesimo octavo eiusdẽ mensis, Orion cum Sole aut propemodũ æquè citò occidit: hyades verò circa primum Maij heliacè oriuntur: quę quidem sydera nihil præter tempestates, pluvias & magnas id genus mutationes, cum prope Solem cõsistunt, minantur & suscitãt. Hinc aëris rigores & congelationes, hybernis æquales mense Majo sæpe deprehenduntur.

Septimo Maij Pleiades incipiũt manè exurgere, à quibus Sol recedere indicatur, paulatim Tauri domũ deserens, ut ad Geminos transeat Amycleos: quo tempore aër temperarii incipit omnisq; tollitur vehemẽtioris frigoris metus.

Ad sextum Junij statim post occasum Solis Arcturus occidit: nono verò die Delphinus ante Solis exortum emergit: tertioq; aut quarto & vigesimo Orion pariter manè oriri incipit, quo tempore Sol cancrũ ingreditur, Solstitiumq; æstivum fit, ubi per aliquot ante & post dies, aër miras alterationes subit, quibus idcircò corpora nostra acutis & periculosis morbis afficiuntur.

Tertio Julij die, totum Orionis astrũ ad Orientem conspicitur, cuius præter tres illas stellas insigniores & primæ magnitudinis, eundem ordinem retinentes, quasi deircò Galli lituum aut Musicam fistulã vocant: nec non & reges tres illos Orientis, seu Magos, triginta & quinq; aliç tùm secundæ, tùm tertiæ magnitudinis extant, quæ nõ ita citò nec ęquo gressu apparent, quod aliæ alijs longiùs distent. Unde diximus supra 24. Junij Orionem illum cœpisse manè; tertio verò Julij totum & integrum exoriri.

Decimo quarto eiusdẽ mensis Procyon aut canicula manè exoritur. 19. Canis, stella ardens & ignea manè quoq; surgere incipit, cum Sol Leonẽ ingressurus est, quę est domus exaltationis Solis, qui ad canem accedens ab eo ardentius irradiatur: totusque aër inde acrius intenditur: unde tum temporis insignes quoq; aëris mutationes & perturbationes maximę excitãtur: atq; hi dicuntur caniculares dies, qui corpora nostra valdè incendunt, ut nõ immeritò præceperit venerandus Hippocrates, ante canẽ, & post canẽ difficiles esse medicationes

 Ob-

Observavimus ante aliquot annos, nec ita pridē, dies istos caniculares non ita fuisse in Gallia impense calidos, ꝙ ex Planeta Saturni accidisse certum est: qui cum cursum & sphæram suā non nisi triginta annis absolvat, tunc temporis in signo Leonis & virginis divertebat, cujus frigore Solis & caniculæ ardor temperabatur. Hinc fit ut verū sit, quod vulgò dicitur, nullam esse regulā, quę exceptionem aliquā non admittat. Nec inferendū est, etsi Saturnus à nobis recedat, futuros tamen posthac ardentissimos caniculares dies: aliter enim ex diversis Planetarum aspectibus & stellis hyemalibus, quę tum temporis etiam vigere possunt, absente etiā Saturni Planeta contingere potest: ad quod advertere debet animum medicus.

Decimo septimo Septembris arcturus exoritur, qui ortu suo magnas turbas & mutationes excitat in aëre.

Decimo nono assurgit spica manè pariter: quæ aërem paulò ante & post exortum per aliquot dies exagitat quoq; & perturbat: ilicò post, Sol libram ingreditur, ubi Æquinoctium fit autumnale: quo etiam tempore magnæ aëris turbæ & commotiones suscitantur: nec non aquæ & terræ simile quid patiuntur, quemadmodū verno Æquinoctio, ut suprà docuimus, affici solent: Unde & tum temporis corpora nostra varijs morbis ex humorum perturbatione lacessuntur. Eam ob causam cavendum, ut monebat Aëtius, ne venam secemus, neq; purgemus, neq; aliàs corpus vehementi motu exerceamus à decima quinta Septembris usque ad vigesimam quartam ejusdem mensis.

Vigesimo tertio Octobris, quo tempore Sol oritur, Pleiades eodem occidunt: quo momento magna aëris perturbatio.

Circa finem Octobris & Novembris initium perspicitur Orion vesperi, in oriēte exurgere, cùm Sol occidit & adhuc moratur in Scorpione, Orionis capitali hoste: Unde magnę tempestates in aëre, qui varijs turbinibꝰ & horrēdis procellis exagitatur.

Primo Decemb. canis occidit matutinis horis, quæ dies, ut scribit Aëtius lib. & cap. jam citatis, si tempestuosa (ut à multis observatum est) perseverat, plerumq; aëris turbatio ad dies 37. Si verò serena fuerit, per totidem dies serenitatem promittit.

Caper aut Capra manè etiam occidit, aliquot diebus ante hybernum Solstitium: quo tempore Sol ad Capricornum divertit, hyemsq; glacies suas in regione aëris inchoat: unde corpora nostra rheumatis & defluxionibus opportuna fiunt, scribit Ægineta lib. 1. de remed. cap. 100. *Solstitium hybernum*, inquit, *auget in humoribus defluxionem ac humiditatem usque ad æquinoctium vernum.*

Has si tempestates in aëre, & in corporibus nostris commovent ejusmodi sydera: quid de utroque illo magno luminari dicemus, quorum effectus tam dilucidè nobis, revolutione, motu, cursu & recursu, varias ac insignes aëris mutationes indu-

centibus ut supra diximus patefiunt?

II. *Demutatione à meteoris ac 1. à Ventis.*

Ventus aliud nihil est, quam aer in aliquam partem fluens, aut aeris commotio, vi sese quadam insinuans, & quo collimat, rectà tendens: Aut cursus aeris paulo vehementior solito.

Aër enim fluit quidem & movetur: sed quàm levissimè & subtilissimè, ut sensum omnem fugiat. At ventus flatus est vehementior.

Hinc disci potest discrimen inter aërem & ventum, ut scribit Seneca, apud quem, quæ sit ventorum materia, quæ causa eorum præcipua, aliaque multa hujus argumenti præclarissima legi possunt, quò idcirco lectorem relego, ne videar prolixior. Hoc ergo solum in medium afferam, ventorum inde magnam nasci pugnam atque commotionem, quando vapores tenuiores, qui è terra exurgunt, & ad frigidam illam ac glacialem aëris regionem attolluntur, progredi ulterius nequeunt, sed remeare coguntur, ubi in recessu sulphureis quibusdam exhalationibus aër undequaque constringitur ac comprimitur, liberumque exitum, captivitatis impatiens quærit, regrediendo cum impetu, omnia confringit & disjicit magnaque vi conspirat, ut ex angustijs istis emergat. Inde fit, ut ventus oriatur pro materiæ copia & moderatione, modo lenis, modò vehemens, modò magnis boatibus aërem replens, modò blandiùs spirans.

Ejusmodi effectus indicat aquæ globulo ferreo vel æneo inclusa, qui foramen seu tubulum admodum angustum habeat, aciculis ligulæ non dissimilem, nec ampliorem. Is, inquam, globus, si varijs ignibus admoveatur, qui aquam expirare cogant, quæ tamen liberè ob foraminis angustiam exhalare nequeat: videre licet quanto strepitu ventum globus ille producat, ut huiusmodi instrumentum flabellum aquæ inde à Philosophis vocatum sit, quod etiam sua flatus violentia, vim idoneam habeat metallum liquandi. Qui huius demonstrationis sedulò expendendæ fuerit studiosus, illius indicio facilè ventorum origines sive lenium, sive violentorum percipiet.

Hic tantum repetam nomina, numerum, & situm eorum: quorum cognitio apprimè utilis & necessaria medico est, ob varias mutationes, motus & affectiones, quas singuli ex sua proprietate, certis temporibus in corporibus nostris excitant.

Motum autem suum venti inchoant à superioribus aëris partibus, obliquumque cum habent, ad latera scilicet & partes sibi oppositas spirando. Eandem illi originem, naturam & qualitatem obtinent: at quæ ex varijs locis ubi nascuntur, aut per quæ transpirant, novas proprietates

tates & mutationes acquirũt. Auster in Lybia calidus est & siccus: at cum per mare transit mediterraneũ, magnam ex eo humiditatem contrahit, unde redditur calid⁹ & humidus, atq; hinc putridus & corruptus. Boreas maximã suę frigiditatis partem ex nivibus & rigoribus Scythiæ, per quam transit, contrahit. Atq; sic de alijs.

Communes aut quotidiani venti, frequentius vere & autumno spirant, quã æstate & hyeme: idq; ꝙ temporibus illis copiosiores vapores & exhalationes in aëre generẽtur: quæ æstate, Solis ardore, statim absumuntur: hyeme verò in penetralibus terræ ventos procreari, horum rationes & causas videbis apud Senecam.

De Numero & speciebus Ventorum.

Quod ad numerum, nomina, & situm, ventorũ, quatuor sunt pracipui, qui cardinales vocantur, quorũ sedes sunt orientalis plaga, occidentalis, meridionalis, & septentrionalis, qui singuli ad unumquodque latus singulos alios habent ventos collaterales, unde numerus consurgit duodecim ventorum.

Præcipuus orientalis plagæ ventus Subsolanus dicitur: qui rectà sub Æquatore spirat versus auroram. Eurus illi adstat à parte Solstitij hyberni: Cœcias verò dictus à parte ea cœli, ubi in longissimis diebus Sol ortũ suum habet, quod Solstitiũ æstivũ est.

Inter illos Subsolanus omnium saluberrimus est & temperatissimus, in quam partem spectare deberent ędificiorum fenestræ. Eurus alter eius collateranorũ, cum strepitu & vehementia spirat, multasq; densas & aquosas caligines suscitat: Cœcias verò seu Nordost alter collateranus, instabilis est, & inconstans, ac propemodum semper nubilus.

Qui verò ventus ex diametro Subsolano opponitur, Favoni⁹ est, Græcis Zephyrus, qui occidentalis est vẽtus, blandus ac lenis frugumq; nutritor, quod sub eodem Æquatore perspirat ab occidentali plaga, cuius ex socijs unus à parte solstitij ęstivi, Corus vocatur, qui plerunq; nobis grãdines suscitat ac nubibus orientẽ caligat: Qui verò à parte est hyberni solstitij vocatur Lybs, qui Austri vicini sui naturam participat. Qui quidem Auster aut Notus, rectà linea à meridionali parte spirat ad axem seu polum Antarcticũ. Comes illi à parte orientis astans, EuroAuster dicitur. Qui verò ab occidẽte cum stipat Auster Aphricus. Hi omnes vẽti, calidi humidi, pluviosi & ꝓcellosi sunt.

Qui huic Austro meridionali vento è directo opponitur, Boreas dicitur, Gallis Byze, ventus utiq; frigidus & siccus, nubesq; fugãs, solemq; reducens, ut canebat Virgilius: comitem habet ab orientali parte Circium: ab occidentali verò Aquilonem, ventũ sanè violentum, rigidum & asperum, ac omnium vehementissimum.

Ceterũ hîc notandũ est, ventos, qui è directo inter se opponuntur, ut auster & boreas, subsolanus & favonius: nunquam eodem tempore simul sub eodem spirare horizonte: at qui obliq; sese intuentur, simul conspirant ut plurimũ: ac quo obliquiores sunt, eo majores concitant tempestates.

Inter

Inter eos, *Orientales*, ut diximus, *aliis sunt salubriores: secundum locum obtinent septentrionales: tertio salubritatis loco censentur occidentales; At australes & meridionales sanitati corporis humani sunt infestissimi.*

In hoc argumentum consuli potest, quod scribit Aristoteles l. 1. meteor. c. 3. & 6. Itē Plin. l. 2. c. 22. In ventorum autem virtutibus ac effectis licet seriò Divinam providentiā demirari, quæ ob diversas rationes utiles & necessarias, sic de illis cōstituit, ut in aere varias ac diversissimas operationes exercerent, modò aerem, ne torpeat & putrescat otio, cōmoventes & exagitantes, ut quicquid putredinis habet, suo perflatu excutiant: quo animantibus omnibus reddatur utilior: modò cœli terræq; temperiem foventes, qua interdum nimius Solis ardor refrigeretur, ne q̄ ab eo reguntur rerū semina, oblædātur; & vitali suo humore exsiccentur. Interdum verò venti præstant, ut calidior aer nō mediocri cum commodo frigidiuscul⁹ reddatur, & hoc auxilio terræ producta maturescant, & ad justam perfectionem promoveantur. Calidiore enim aere opportunè reddito & ventis idoneis agitato, radicum succi ad fructus suos pertrahuntur, frigorisque meatus terræ constringentis vis infringitur, ne q̄ amplius ad fructuum plenam maturationem impedimentum accedere possit. Interdum illorum flatib⁹ terra humectatur, unde capit alimentū, quod pluviis fit hic illic cadentibus. Solent enim agitatione suaventi pluvios nimbos huc & illuc dispergere, ne quid in terra cœli benignitate destituatur. Aquilo nubes à septentrione fugat ad meridiem: Auster meridionalis ad Septentrionem. Sic de reliquis autumādum in genere. At privatim in singulis regionibus, quantæ sint eorū utilitates, apertè elucescit, ut qui aliunde ex variis locis excessus, & impedimenta afferūtur, de medio tollant: aut quæ ingruunt procellæ & tempestates frænent avertantq;. Quid porrò de ventis dicemus, nunquid illos omnium sordium, putrefactionum ac infectionum esse repurgatores ac emundatores agnoscimus? nunquid ipsorum operâ, ipsa frumentorum grana, spicæque sua lanugine & immunditie expurgantur, & sordibus excutiuntur?

Præterea quantus alius sit ventorū usus, hinc liquet, quod maria alioqui invia, ex Dei ꝓvidētia trajici, & permeari possint, imò ex sentētia Senec. l. citato, ut inde negotiationes & cōmercia inter homines, admodū natura & moribus inter se alienos, exerceantur, & familiaritates amicitięq; contrahantur, atq; ut *Homo, quæ procul à se distant, cognita habeat*: *Et enim* inquit, *merapecus fuisset omni experientia carens, si conclusus mansisset natalis sui soli cancellis.* Hic arrigant aures quidā medicorum, qui tantum sibi arrogāt, ut alios perfrictâ fronte (cum ipsi nihil norint, sed in perpetuis cineribus ad focum suum volutentur) censuris subjicere conentur: Discāt ex Senec. quām aptè illis congruat hæc lectio,

De præsagiis ventorum.

Ad institutum redeamus, & ostēdamus porrò de ventis, quæ perinde ac aer præsagia portendant. Docti ac in experientia rerum versati medici, prudentesq; agricolæ, gubernatores navium in arte sua peritissimi ac instructissimi: sagaces duces ac milites opportunè mutationes istas obseruāt, earumq; usum a ptè usurpant. Illud ipsum animalia norunt: quorum vivax & acutus sensus eximiè mutationes istas subodoratur.

Quin permultos vidi homines, qui ex dolore capitū temporum mutationem certo certius præsagiebant. Qui herniis aut rupturis obnoxii sunt, illud ipsum facile percipiunt. Austrum enim mox perflaturum prænuntiant. Boreali vento spirante & serenitatem aeris afferente, qui auditûs gravitate laborāt, aut subsurdescunt, tunc faciliùs audire incipiunt, qui alioqui cum densus, nubilus ac pluvius est aer, Austerque furit, omni propemodum audiendi facultate privantur: quo etiam tempore increscūt defluxiones, & omnia catarrhorum genera. Unde satis superque constat ex diversis ventorum mutationibus & proprietatibus, varias in corpore nostro, eiusq; humoribus alterationes suscitari.

Sunt quidem venti, qui peculiariter in quadam corpora & nonnullas regiones effectus admirandos edunt. Thraces enim ob crassum regionis, quam incolunt aërem, crassum itidem habent cerebrū. Obliviosi enim plane sunt, desides, & torpescentes, ita ut ultra quatuor unitatum numerum, dum subducunt rationes, progredi non possint, quin priora oblivioni tradātur, si plurium unitatum numeri adjiciantur. Guido Biturie. ex Herod.

Bœoti ab aëris impuritatem crassis ingeniis præditi fuerunt, unde Horat.

Bœotum crasso iurares in aere natum.

In Lesbo apud Mytilenem Austro flante ægrotant homines, certis quibusdam morbis: Coro flante tussiunt: à Septentrione in integrum facilè restituuntur.

Quin & observatur certis annis, mēses quosdam usq; adeò incalescere interdum, ut fruges omnes terræ hoc caloris excessu prorsus exardescant, prout mense Iunio anni 1 1 1 5. accidit, quo spe omni suarum frugum, quam conceperant maximam agricolæ, ex illius mensis adustione prorsus cassi fuerint. Illo etiam anno mensęq; accidit, ut silvæ aeris incendio prorsus absumptæ fuerint. Ex qua tanta intemperie paulò post graves & diuturni morbi, variè in corpora humana grassati sunt, quos lethales pestes secutæ sunt.

Circius ventus tanto furit impetu, ac vehementia in occidentalibus Norvegiæ ripis, ut si quis ipso flante iter suscipiat, ac susceptum perficere tentaverit, id citra suffocationis & vitæ periculum non præstet. Is porrò ventus in illis regionibus, usque adeò intensè frigidus est, ut nec arborem, neque fruticem germinare permittat. Quo fit, ut ob eorum defectum in ignibus struendis, cibisq; coquendis, ossibus magnorū piscium utantur, ut scribit Olaus Magnus.

Sed

Sed ne aliunde ex longinquis regionib' aeris mutationes accersamus, en quid anno 1605. accidit: Scriptæ sunt ex Hispania, Italia, Narbonensi Gallia, aliisq; calidis regionibus literæ, quibus certa fit fides, usque adeò incensum frigus fuisse (ubi tamẽ aliis annis ob situm earum, levissimũ & brevissimum esse solet) ut vel maxima flumina, glaciei aliâs impatientissima concreverint: verùm clyma Parisiense, natura illis lõgè frigidius, vix glaciolam unius noctis, aut nivis globulum sustinuerit. Tanta hæc tamque insignis, & inusitata mutatio, nihil aliud quàm huc & illuc varios morbos arguit.

Atque hæc sufficiant de magnis in genere ac variis mutationibus, quibus aer est obnoxius: qui etsi vulgò creditur (quatenus purum elementum) naturâ calidus & humidus: Instar tamen Protei, aut Chamæleontis variatur, & diversas formas qualitatum induit.

2. Ab aliis meteoris in aere genitis.

Hæc varia occurrunt: Cometa, pluvia, nix, grando, tonitru, nebula, ros, stellæ cadentes, rubigo decidens, aurora, halo. Illustrata materia circa solem, radios eius combibens, unde splendor in Eclipsi totali.

N. Sic 1624. tam maligna aura arbores aspiravit, ut unica die pluribus in locis earum exiccaret folia. Cl. Ionston. in taumatogr. pagin. 55.

Sic interdum obsidet solem materia, *inquit Kepl. Epist. l.* 1. fuliginosa, obtundens solis radios, ut anno Cæsaris pene toto. Sic anno Christi 1547. cum quatriduo toto sanguineus solis vultus apparuit. Nõ in uno solum loco, sed per totam Europam. Quam materiam proximè circa solem, fuisse ibidem probat.

Sic anno mundi Chasma ingenti incendio decidit Plinius, & ex hoc Frithschius de prodigiis.

3. De Mutatione aeris ob situm loci & exhalationes globi inferioris.

Præter eas porro mutationes, quas ex astrorum planetarumque motibus subit, alias ex varietate regionum, & locorum situ diverso acquirit. Si enim alicuius loci aer sit crassus, nubilus, pluvius, aquosus, corruptus & malignus: aliquando ea locorum stagnis, paludibus, mortuis & infectis aquis depravatur, aut etiam cloacis, gurgitibus & putidis exhalationibus è terra ejusque aliquo hiatu, scaptensula, voragine &c. surgẽtibus, nec non animaliũ cadaverib', aliisq; id genus corruptionibus inquinatur: unde hominum habitationes inficiantur, ibi homines hærere nequeunt citra valetudinis detrimentum: q aer quem singulis momentis hauriunt prorsum illis fit adversus & exitialis, assiduamque mortem minetur. At ubi ædes hominum aeri sereno, claro, puro, & malignis omnibus exhalationibus carenti expositæ fuerint; ibi vita hominũ diu conservatur: ac ejusmodi diversoria, iis qui vitã diu sartam tectam, & integrã sanitatẽ, quantum natura patitur, tueri volunt, quærenda sunt.

4. *A corruptione substantiali.*

Nec prætereundum est Aerem quoq; in sua substantia corrumpi posse.

N. Aeris sive putrefactio, sive mavis dicere corruptio, causam habet vel intrinsecam vel extrinsecam. Ac intrinsecam quidem, cum non corrupti, sed crassiores modo vapores ei permixti, adsuetam ejus ventilationem impediunt, vel etiam si austris continuo spirantibus, à nativa intemperie, ad excessivam humiditatem, omnis corruptionis matricem delabatur.

Extrinsecus vero aer corrumpitur, putridis ac malignis terræ & aquæ ei permixtis exhalationibus: quales sunt cavernarum, perpetuam quandam Mephitim & Venenositatem spirantium. Item antrorum, sepulchrorum, puteorum, & simil. q̃ diutius occlusa, subito postmodum adaperta incredibilem fœtorem expirant. Stagnantium quoque aquarum marinarum & aliarum exhalationes.

Quæ omnia & singula ut aerem nobis proximum coinquinant: Ita eundem nonnunquam ceu fermentum ac miasma corrũpere potissunt.

1. Q. *An Aer posit corrumpi?*

Sunt qui existimant, Aerem, cum elementum simplex sic existat, corruptioni minimè obnoxium esse, siq; tali aliquid in eo observari videatur, id omne ventis non aeri adscribendum.

R. Ad refutationem hoc solũ adduxisse sufficerit, videlicet hic nobis sermonem esse non de aere, qua cõsideratur ut Elementum simplex, seu principium elementale, qualisque actu ubique locorum existat, controversia inter Philosophos non caret: sed qualis corpora nostra ambiens, respirationi & transpirationi inservit: hoc est, si accuratè loqui velis, quatenus est mixtus ex principiis. Atq; hac distinctione locus Avicẽnæ, qui alias pro adversariis pugnare videbatur, non tantũ à calumniis vindicabitur, verum etiam adversum ipsos retorquebitur, ait enim, *Aer non putrescit ullo modo propter suam simplicitatem, imò propter illud, quod admiscetur ei de vaporibus malis, qui permiscentur* ei & accidit toti qualitas mala: & quandoque est illud causa ventorum, deferentium ad locum bonum fumos malos ex locis fœtidis.

Cap. XXI.

De Globo inferiori, & primum de Aqua.

Aqua est membrum seu pars macrocosmi, cum terra globum inferiorem constituens, mineralium seminarium, terræ irrigatio.

De tribus principiis Aquæ.

In inferiore globo tria illa principia adhuc clariùs sese nobis produnt, ob materiam eorum crassiorem in sensus nostros facilè incurrentem. Etenim ex aquæ elemẽto in conspectũ nostrũ quotidie erũpunt succi & substantiæ metallicæ, quorum succorũ vapores magis spirituosi mercuriũ exhi-

exhibent: ſicciores exhalationes ſulphur: fuligines verò aut coagulatæ illorum materiæ ſales demonſtrant. Quorum ſalium variæ præterea ſpecies à natura nobis exhibentur, aluminis, vitrioli plures differentiæ, ſal gemmæ, ſal armoniacus, &c.

Varia ſulphurum bituminum naphtæ, atque mercuriorum ſeu ſuccorum genera.

Quinetiam mare teſtatur, ſe non eiuſmodi mercurialibus, aereis & ſulphureis ſpiritibus carere: cuius meteora in Caſtore & Polluce, aliiſque ignibus ex variis eius ſulphuribus ac exhalationibus incenſis, ſatis abundè huiuſce rei fidẽ faciunt. Nec deſtitui ipſum ſalibus manifeſtum eſt ex ipſius ſalſedine: quod probat & ipſa terra, quæ ſpongiæ inſtar ſalinum eius corpus perpetuò exugit: unde fit ut tot ac tàm diverſa in ea metallorum ac mineralium genera naſcantur. A quo quidem ſale marino, tanquam patre ac prima origine, omnes alij ſales derivantur, ut alibi fuſiùs docuimus. Atque iſta ita in omnibus ſeorſim elementis ſeparantur principia, ut nullum tamen eorum aliorũ conſortio privetur. Quin & in reliquis aquæ fructibus eadem principia dari, videre licet in mineralogia c. 1.

De facultatibus & actionibus.

Aqua, quà humor merus eſt non niſi paſſivam qualitatem obtinet, verum quatenus principiis hypoſtaticis ac ſeminariis poteſtatibus ſcatet, varias quoque facultates exercere apta eſt.

Vide in mineralog.

Sic dantur

Aquæ calfacientes & ſiccantes, ut Thermæ.

Pollentes facultatibus hypoſtaticis ut aquæ minerales, acidulæ.

Sulphureæ,
Salinæ.
Lapidificæ.

Sic differunt quoque aquæ, (ſive ſimpliciores ſint ſive minerales) volatilitate ac fixitate.

Inprimis tamen conſideranda venit aquæ corruptio, unde exhalationes noxiæ elevantur, quibus aer inquinatur, ac noxius redditur.

De Terra.

Terra eſt infimum macrocoſmi Elementum (membrum) influentiarum cœleſtium retinaculum, uterus mineralium generatorium vegetabilium, ac habitaculum animalium terreſtrium.

Terra hic ſumitur non pro principio illo ſimplici, quòd cum principiis hypoſtaticis & reliquis elementalibus corpora naturalia conſtituit, ſed pro compoſito macrocoſmi mẽbro, reſpondens ventriculo ac utero in macrocoſmo.

Spiritu adeo terra abundat ut præ reliquis eam animatam eſſe Keplerus probare nitatur, eò quod configurationes aſpectuum, ſentiat, iis irritetur, tempeſtateſque producat, quod metalla mineralia ac foſſilia generet, quod calore ſubterraneo animæ comite abundet, &c. Videatur prolixius author in Epitome aſtronom. lib. 4. p. 125. Harmon. l. 4. c. 7.

De Principiis spiritalibus.

Referta quoque terra est omnigenis spiritibus à cœlo haustu, qui data occasione emergunt, actionesque suas produnt, & in peculiares creaturas ut plurimum pullulant.

De Principiis hypostaticis.

Hypostaticis itidem principiis terra abundantissime dotata est.

Cum enim influentiarum centrũ ea sit, in quo illæ concentrentur ac incorporentur, necessum est ditissimum macrocosmi penuarium eandem esse. Et hoc officium terræ à creatore demandatum requirebat: quippe cum omnis generis vegetabilia, quin & mineralia ac animalia varia producere iussa sit, utique unde & quibus productionem illam administraret, eam prospectam esse oportuit.

Quin imo in omni terra pluviis aquis nequaquam diluta, ac tota pingui, tria ista principia, in una eademque substantia, quæ nihilominus distingui possunt, deprehenduntur. Exemplum huius propositum est in tractatu de medicina universali, de nitro aut sale petræ, quem artifex nitrarius in suum usum solet dissecare. Ex eo enim imprudens etiam & ignarus quid agat, diversa isthæc nostra principia aperte separat ac prolicit. Sal enim marinus in eo apparet, in lixivium suum solutus.

Deinde sal nitrosus aut sulphureus, quem præsertim quærit artifex, in glaciem coagulatus ab alterius salis natura longe lateque remotus; utpote altero nempe masculo & fixo, in aqua facile solubili: Altero vero (qui sulphureus est) in eadem aqua nullo negotio sese coagulante qui quidem nitro sulphureus spiritus in sese latẽtem continet æthereum & cœlestem mercurij spiritum, à quo magnam vim ac motum illum nanciscitur sal ille sulphureus. Quique mercurialis spiritus ab artifice chymico nullo negotio extrahi potest, ex sale petræ aut nitro sulphureo. Ut hinc facile constet, tria illa vitalia principia in tota terræ substantia aperte contineri, ac distinctè demonstrari. Quæ quidem terra ac eius essentia, cum sit totus universi tertium principium, tribus tamen & ipsum constat principiis, sale videlicet mercuriali, sale sulphureo, & sale terrestri, aut salino, quibus essentia illa terrestris ac tertium universale principium constat.

De Actionibus terræ.

Officium terræ est rerum semina in gremio suo fovere, prodere, de necessariis nutrimentis prospicere, adeoque vices gerit, tum uteri tum ventriculi macrocosmici. Vide supra.

Fructus terræ sive naturæ sint mineralis sive vegetabilis, sive animalis, homini tum conducibiles sunt, ac salutares tum noxij ac insalubres.

N. Terra, quæ antea benedictione divina fœcundissima, rerum omniũ producendarum, vim obtinebat, è qua in usum ac pabulum hominis grati, salubres ac maximè utiles fructus

ctus promanabant, utpote arcana, Essentiæ, tincturæ & balsama à corruptione vitam tuentia, nunc sentes & tribulos omniaque homini pestifera ac exitialia procreat, ut si qui ex ea alioqui meliores fructus prodeant, infinitis tamen fecibus ac impuritatibus scateant, ita ut nunc certè pronunciare possimus, cibos potusque nobis magis insalubres ac noxios quam utiles & salutares, esse.

Cap. XXII.

De microcosmo.

M*icrocosmus est homo: qui est concentratio totius macrocosmi, cum suis membris & particularibus creaturis, quin & Angelicæ seu hyperphysicæ indolis particeps est, divinaque Majestatis habitaculum.*

Constat igitur homine interno seu hyperphysico & externo seu physico.

De hyperphysico nihil hic attinet agere, utpote quod Theologorum est. Hoc saltem addo, quod ex eius transgressione, maxima naturali homini incommoda oriantur, quippe, quo res peccans excellentior, eo trãsgressionis (iuxta transgressionis quoque gravitatem) pœna gravior.

Homo Physicus est homo ex naturalib. principiis constitutus.

In homine omnia sunt concentrata.

N. In homine tanquam in microcosmo, omnia ut in macrocosmo, sed longe spirituosiora ac pręstantiora continentur. Homo siquidem à Philosophis quasi compendium totius maioris mundi dicitur, quem etiam *Macrobius* parvum mundum vocat, ut magnum mundum ingentem esse hominem vult. Idem Gregor. Nazianzenus initio de hominis opificio testatur, cuius verba alibi adducta sunt.

Quin imò: Non tantum macrocosmus sive regnum Naturale, id est, omnia quæ in magno illo mundo sunt, in homine concentrantur, sed & Angelicâ indole beatus est, atque insuper divinæ majestatis habitaculum destinatum.

Trinitas in homine maxime est conspicua.

Sic Homo constat spiritu, anima & corpore, sic & docuit Hermes, ut spiritus mercurio; sulphur, anima; & corpus sale repræsentetur. Hæc aliis verbis exposuit Plato, divisibili, indivisibili, & eo quod partim divisibilis, partim indivisibilis particeps est spiritus constat mente, ratione & phantasia. Anima tribus facultatibus absolvitur, naturali, vitali & animali. Corpus secatur in tres partes, in caput, ventrem, & artus. Huius tria sunt præcipua membra, quibus alia subserviunt, cerebrum, cor & iecur.

Cerebro ad expurgationem excrementorum præsto sunt, os, nares & aures. Cordis sordes excipiunt pericardium, pulmones, & arteria magna. Iecur vero expurgant lien, vesica fellis, & renes. Sic toti corpori tria vasa præcipua ministrant, arteriæ, nervi & venæ.

Præter-

Præterea si caput rursum spectemus, tribus præditum est membranis, sic & spina dorsi. Cerebrum tres habet ventres: anteriores quidem duos molles, posteriorem durum. Tria præcipua vocis organa, larinx, palatum, & garganeon, seu columella.

Denique si omnia ista in sua principia dissecentur, resolventur eadê in mercurium, sulphur & salem, ex quibus constant. Sic reliqua si vacaret persequi, triadem illam in unitatem alicuius membri, vel totius corporis coalescentem, ubique liceret conspicere. Cur ergo Theologus carpat, quæ Dei gloriam illustrant, & imaginem Trinitatis eius in unitate repræsentant, quod mysterium vix nobis aliunde secundum fidem, quam ex eius operibus patere potest, unde exclamabat Propheta: Cœli enarrant gloriam Dei, & omnia mirabilia eius. Ad quod exemplar perfectius quam ad Ideam suæ subsistentis Trinitatis in unitate opificiû suum direxisset? Quid enim Deus facit quod non sit perfectum? Unde metienda perfectio, quam ex Dei ipsius norma? Atquæ perfecta norma quam Deus uni Trinus est? Mundi igitur opificium suo modo perfectissimum, quia côditoris sui perfectionem æmulatur, nec potuit non perfectum fieri, quod à perfectissimo opifice construeretur, cuius perfectio in unitate Trinitatis, à qua omnia perfecta pendent, posita est. Unde Apostolus dicebat, invisibilis Dei imaginem creatione mundi nobis patefieri, eiusque potentiam ac divinitatem. Quid divinitatem vocat, si essentiam Trinitatis in unitate coniunctam non intelligit? quid potentiam præter Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quæ nobis ex mundi creatione innotescunt? Ergo desiste reprehendere, si sapis, quæ sapienter homines Deus voluit docere, ut conditorem suum nempè ex operibus ipsius agnoscerent & adorarent. Expatiarer in hoc campo latius, ut docerem duobus modis nos ad Dei cognitionem vocari, per creaturas Dei nempè, & per verbum ipsius; Sed cùm hæ sint Theologi partes, nostri etiam non est instituti, plura de his dicere. Hoc unum obiter innuo, Christiano homini non parvo esse adminiculo Philosophiam, ut discat quicquid est Medicinæ ac Philosophiæ, id totum ad Deum cognoscendum referre.

CAP. XXIII.

De Essentia ac principiis essentialibus.

Essentia humana est quæ è principiis humanis, constat.

Principia humana prima sunt Anima humana naturalis, spiritus naturalis, & corpus naturale.

Anima hominis naturalis nihil aliud est, quam ignis seu flamma vitalis, universalis illius animæ radius, in humanam œconomiam traductus, qui spiritum hominis actuat, id est, micare, lucere, operari facit, non secus ac ignis lampadis oleum

oleum calfacit, lucidum reddit incendit, atque si oleum illud facultatib. sit praditum, illas emicare facit, adeoque motum conciliat.

Spiritus est humidum seu oleum illud quo anima illa ardet, seu est (spiritus illius universi radius, in humana natura exaltatus) instructus facultatib. tincturis seu spiritibus mechanicis ut schola Hermetica loquitur, quibus corpus sibi format, ex nutrimentis auget, sensus ac motus peragit, imo omnes actiones administrat.

Vulgariter dicitur Calidum, non quod per se & subiective caleat, incalescit enim à vita. Sed in corpore vivo calidum semper deprehendatur. Hermeticis multis nominatur nominibus appellatur Balsamus naturalis, mumia, &c.

Corpus est principium corporis constitutivum crassius, quo duo priora ceu ignis elychnio sustinentur.

Multis scio hic offendiculo sum futurus, quod cancellis vulgi egressus, animam à spiritu distinguam, utriusque originem ad naturam universalem referam; id quod ad atheismum accedere videatur, siquidem Scriptura animæ originem supra cœlestem velit. Verum ut me hac culpâ expediam, de anima naturali me hactenus egisse non ignoranto. Hæc ut res naturalis est ita quoque in naturâ fundatur. Ut enim homo duplex nobis in scriptura exhibetur, Physicus, & πνευματικὸς seu supernaturalis; quorum ille aliàs externus, hic internus audit, atque promiscuè animæ vel spiritus nomine notatur: ita citra absurditatem & atheismum statuere, hominem naturam gerere humanam ac divinam, quid quæso vetaret? Charactere gerimus Christi πρωλυσίας nostræ, qui itidem in duabus naturis una existit persona. At inquis: Hoc clare scriptura nobis tradit. Respondeo, si sensus scripturæ proprius, nisi absurditatem inferat, improprio præferendus sit, uti est, cur amabo interni sive spiritualis illius hominis generationem nutritionem, actiones mortem, &c. ad sensum improprium torquere conarer? Describitur eius semen, modusque generationis Ioh. 1. & 3. eaque analoga semini ac generationi hominis naturalis. *Generatio* enim naturalis fit ex semine quod nihil aliud est quam humidum spiritu fœcundo perfusum. Generatio hominis spiritualis similiter docetur ex aqua & spiritu.

Semen hominis naturalis è radio lucis seu spiritus illius universi in homine exaltato producitur, qui spiritus universalis seu si mavis lux universalis ex verbo fiat ortum duxit: Semen hominis supra naturalis oriturè radio veræ illi⁹ lucis universalis, quæ omnes homines illuminat in hunc mundum venientes, funditurque in verbo illo substantiali Christo Iesu. *Nutritio* hominis naturalis fit potu ac cibo, qui itidem ex spiritu universi assumptâ naturâ vegetabili vel animali, nobis in nutrimentum cedunt: Nutritio hominis supra naturalis peragitur cibo ac potu Spiritus illius divini, secundæ personæ trinitatis, quæ assumpta natura hu-

manâ semetipsum nobis nutrimenti loco offert & præsentat. Ventilatio sustentatio & refrigerium caloris, seu flammæ vitalis in homine naturali fit aurâ illa æthereα: ventilatio refectio & refrigerium ardoris divini in homine supranaturali, fit supra cœlesti aura Spiritus sancti.

Actiones hominis naturalis, sunt naturales & ad vitam naturalem directæ: Actiones hominis supranaturalis sunt spirituales & ad vitam spiritualem seu cœlestem intentæ. Quin imo homo naturalis ob corruptionem resistit interno, cumque ad viam corruptam ducere ac trahere nititur: Homo internus ob regenerationem, naturali contradicit, sursum tendit, naturalemque hominem ad viam ac vitam cœlestem ducere conatur. Hinc bellum illud intestinum utriusque quod Paulus lepidè sub spiritus ac carnis nominibus ob oculos ponit. Rom. 7. *Moritur* denique homo naturalis, quum homo ex hac vita moriendo discedit. Sic enim flamma vitalis extinguitur: Mortuus est homo spiritualis in Adamo, ubi flamma spiritus fuit extinctus, ut omnes spiritualiter mortui & in tenebris nascamur. Et hæc est mors prima, hominis tum naturalis, tum supranaturalis; à secundâ, qua denuo homo supranaturalis ac naturalis in æternum moriuntur, servet nos Pater gratiæ, per Regeneratorem nostrum Iesum Christum.

Plurimæ quidem possent adduci id genus analogiæ, verum quia nec nostri propositi nec professionis id sit, has saltem adducere debui ut me atheismi excusarem. Unicum saltem addere libet, quo constet. Hominem naturalem à supranaturali diversum esse. In creationis historia, creavit Deus hominem viventem ex adama. Si ergo homo ex adama vita naturali fuit præditus, quidnam fuit illud nischma hachajim, quod insuper homini inspiravit, quo compos dein dicitur vitæ vitarum sed satis, neque enim me Doctorem hic profiteor sed solum principiorum dictorum explicatorem. Præsertim cum talia sint, quæ citra salutis iacturam sciri, ignorarique non nequeunt.

Anima naturalis fundatur in naturâ.

Galenus libro septimo de Placitis Hippocratis & Platonis: *Veruntamen*, inquit, *si de animæ substantia quoque est sententia proferenda, de duobus alterum dicamus necesse est, vel ipsam esse fulgidum ac quasi æthereum corpus, ad quod asserendum, velint nolint consecutione cogente, descendent Stoici & Aristotelici: vel ipsam incorpoream quidem esse substantiã, uti tamen hoc corpore tanquam principali vehiculo.* Et lib. 2. de sympt. causis: *Etenim*, inquit, *Animæ essentiam in aliaquapiam tractatione definire, audax fortasse facinus putabitur. In hoc verò opere, & præter audaciam supervacaneum videtur. At quacunque tandem ipsa fuerit, è duobus alterum existimare oportet, aut quòd ad omnes functiones utitur sanguine & spiritu, ut præcipuis instrumentis, & aut alterius, aut utriusque calore, aut quod in hu ipsis consistit. Non est tamen nostri insti-*

instituti, aut antiquorum falsas sectas cõfutare, aut ipsorum ignorantiam accusare.

Cap. XXIV.

De Principiis formalibus & spiritibus.

Principia hominis subordinata sunt simpliciora, vel è simplicioribus naturali mixtione composita.

Simpliciora à vita dependentia sunt, radij ignis vitalis, lucem ac calorem conferentes.

Principia Spiritualia (in spiritu fundata) sunt Spiritus subordinati, quales sunt, 1, Spiritus sc. vivificativus seu vitalis naturalis, animalis. Secundo, potentiæ in materiali corporeaque parte ceu in abysso delitescentes, dataque occasione emergentes & pro indole sua balsamum nativum afficientes.

N. 1. Principia hæc propriè formalia dicuntur, quod nomen tamen aliquando hypostaticis respectu elementarium tribuitur.

N. 2. Spiritus ex eodem fonte, radice & prima materia, essentialique forma eadem, seu ex eodem spiritu æthereo, primo motore, omnia animante & vita perfundente, promanarunt.

Hoc testatus est divinus Plato in Timæo, his verbis: *Quum igitur Deus sempiternum hunc mundum condidisset: rationum quadam semina ipsi indidit, & vitæ exordium divinitùs induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret.* Quæ quidem Platonis verba, de Deo etiam creatore, & de hac vitali ac generante virtute omnibus rebus infusâ, ex libro Geneseos desumpta apparent, qui ei fuerat cognitus, ut fusius alibi diximus.

Hanc vitalem virtutem seu spiritum ęthereum per totum orbem diffusum, singulisque rebus insitum, hoc idem inet esse constat, quod Plato *animam mundi* nuncupavit, hoc est, infusam eam in res omnes virtutem, moderatricem ac gubernatricem omnium corporum. Sic enim apta & congrua fuerit explicatio, eaque petita ex ipsius Platonis verbis, quæ ex eius Timæo citavimus. *Anima mundi.*

Hanc autem philosophandi rationem sequi coacti sunt Ethnici illi Philosophi, ex consideratione & aspectu naturalium huius mundi rerum, ex propria natura fluxibilium, caducarum & corruptibilium. Quæ, nisi utique divina aliqua vi conservarentur & continerentur, ab ordine & fine, in quem suis quæq; ab initiis procreatæ & destinatæ sunt, resilire possent: quibus dissectis aut divulsis, magna totius mundi sequeretur confusio & perturbatio. Quod quidem ut averteret summè bonus & omnipotens ille Deus, juxta providentiam suam, sapientiam ac sui Spiritus virtutem, universalem illam naturam creavit: qua, ex æterno suo decreto & immutabili consilio, tanquam causis secundis, ad operis sui, in mundi opificio stabiliendo, conservationem uteretur: idque cœlestis ac superioris mundi rotatione perpetua, ac variis variorum astrorum &

N 2 side-

siderum ejus influentiis, nec non ignium æthereorum, septem planetarum motibus & aspectibus, vitalibusque præsertim ac admirandis astralibus virtutibus, præclarissimæ istius & primogenitæ *Lucis*, (tenebrarum, privationum & impotentiarum rerum omnium fugatricis ac expultricis) quibus vivunt, animantur, vigentque caduca hæc omnia. Quæ quidē lux, per omnes cœlestes ignes olim diffusa, tandem verò, velut in compendium, in Sole contracta, indè, tanquam ex domicilio proprio & seminario, per illius conversiones & revolutiones diurnas & annuas, in rerum omnium generationem, ortum & interitum, potentissimè vires omnes explicat. Quod quotidiana indies experientiâ intueri licet.

Solis proprietates.

Nec omnem idcircò huius administrationis curam ita naturæ commisit Deus, ut posthac securus quiescat & otiosus: at contrà, perpetuò operatur, gubernaculum ipse præ manibus tenens & torquens, pro arbitrio & sapientia sua, naturam, juxta eas dotes, proprietates & scientias, hoc est, virtutes animantes, vivificantes & generantes, quas ei & seminibus ejus, virtute ejusdem spiritus, qui ferebatur, vel (ut vult Basilius) incubabat superaquas, indidit & impertitus est: idque juxta verbū, quod ore protulit: *Terra producat semen vivificum, in animam viventem.*

Inter *causas secundas*, quæ ex primis semper pendent, *balsamica lu quadā est natura sive astralu, æthereusque spiritus*, (vita rerum, primumque movēs in hæc inferiora & caduca) qui suas primùm exerit virtutes in natura elementali, tanquam in prima & omnium simplicissima creatura, quas tandem natura illa elementaris in mineralem primùm naturam, tanquam fœturā suam primam diffundit: à qua postea in vegetabilem, ac tandem ex vegetabili in animalem traducuntur.

Hæc prima spiritualis essentia, quum sibi, in penetralibus metallicæ naturæ, corpus ordiri incipit (quod sibi primo loco illic attexit) id quod primùm conspicitur, vaporosus quidam humor est, subtilis, balsamicus, nitro-acetosus, in quo delitescit & vita, vitæque conservatio individui futuri. Hunc vaporem natura vegetabilis, hoc est, plantæ exugunt & hauriunt, quo aluntur & sese fovent: eumque propria & nativa coctione, ex natura minerali in vegetabilem transmutant.

Atque hoc modo ita sublimatur is vapor, ut vitalior, spirituosior & magis æthereus reddatur, formamq; ignis balsamici induat, ac pretiosissimæ nobilissimæque aquæ vitæ, quæ omnibus plantis, præsertim alimentosis, sive frigidis, sive calidis, ut clariùs à nobis dictum est, ingeneratur. Idque ipsum est, quod plantas ab externis injuriis non solùm tuetur, sed etiam novorum individuorum continuationem perpetuat, universamque totius plantæ constitutionem, spiritualis ac vitalis illius humoris benignitate, irrigat, nutrit, fovet & conservat.

Natu-

Natura autem sensitiva & animalis, à vegetabili, hoc est, à plantis, tanquam ex suo alimento, spirituosum illum vaporem, æthercam ac balsamicam substantiam excipit: quam longè præstantiorem, cœlestiorem, vivaciorem, omnibusque modis perfectiorem & spiritualiorem, longeq; ab ea, quæ in plantis fuerat, discrepãtem reddit ac efficit. Etenim virtute spirituum concoctionis sensitivę naturæ, substantia hæc balsamica, vegetabilis, vivifica, longè alia, nobiliorque quinta substantia elaboratur, in pelicanis scilicet & vasculis vitalibus sensitivæ naturæ, aut animalis, quàm quæ in plantarum naturalibus ventriculis coqui & perfici solet.

Nutrimentum hominis. At microcosmus, homo, quùm plantis seu vegetabilibus & animalibus vescatur, hoc est, illorum quintas essentias, & balsamicum illum spiritum in suum alimentum extrahat, propriâ & nativâ suâ concoctione illam ita præstante artificio chymico extillat, sublimat & circulat, hoc est, virtute sua vegetabili, sensitiva & animali, quas in se omnes continet, ita agitat, deducit, acuit & illustrat, in omnes partes convolvendo & diducendo, ut purissimum, subtilissimum & cœlestissimum vitæ nectar perficiat, hoc est, symphytum emphythumque calorem, aut potius ignem verè æthereum, naturæ humanæ pductorē & conservatorē: ignem inquam æthereum, spiritum cœlestem, balsamum vitalem & pretiosissimum, quem Aristoteles sublimi suo ingenio, & altiora quæque, præ aliis Philosophis, meditante ac penetrante, agnovit originem esse, & omnis generationis ac conservationis rerum naturalium fundamentum, quùm sub finem tertii sui libri de generatione animalium sic scribebat: *Omnis animæ potestas alterius cuiusdam corporis particeps esse apparet, eiusque divinioris, quam quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obscuritateve animæ inter se discrepant: ita & natura eius corporis differt.*

Continet enim in se semen cuiusque fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem: qui igneus minimè est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur: sed spiritus, qui in semine spumanteque corpore coercetur, & natura, quæ in eo inest spiritu, proportione respondet elemento stellarum.

Quamobrem ignis nullum generat animal: neque constitui quicquam densis, vel siccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor & animalium, non modo qui in semine continetur, verùm etiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Itaque dura, mollia, lenta, rigida, aspera, levia, caloris & frigoris vi effici possunt. At propria cuiusque ratio & essentia nequaquam ex elementis emergit.

Quemadmodum autem æthereus, vitalisque spiritus rerum, qui in earum cœlesti quinta essentia positus est, rector, moderator ac conservator vitæ statusque earum est: sic alii sunt impuriores, & corruptiores, *Spiritus morbifici.*

 ab ex-

ab excrementis rerum & earum impuritatibus prodeuntes, qui variis modis vitales illos spiritus aggrediuntur & impetunt, mortemque tandem inferunt; cui ob peccatum homo, vita perpetua, quam ab inspiratione divini flatus ante lapsum obtinuerat, spoliatus, factus est obnoxius: terra etiam, ex eius culpa, maledictione divina ita diris omnibus devota, ut nihil in rerum sit natura, quod mortis aculeos devitet & effugiat. Quæ quidem *mors, nil nisi separatio, divulsio & consumptio spiritus istius & radicalis vitæ balsami est, à quo solo anima cum corpore colligatur & perstat.* Hoc enim deficiente, consequitur corporis interitus. Quod utique videre est in metallorum corruptionibus; quum rubigine eroduntur: infrũctibus, cùm verminantur, & arborum truncis carie putrescentibus. Quæ quidem depravationes & corruptiones, membrorum hominis sphacelis & siderationibus respondent ac æquipollent: quibus tamen paulatim enecantur, quòd in illis balsamus ejusmodi putrefactus emoriatur.

In huiusmodi autem corruptionibus, certissimæ mortis indicibus, delitescunt tamen alterius cujusdam vitæ seminaria: ex quibus varia vermium genera enascuntur in fructibus, arboribus & humanis corporibus, tàm intrinsecus, quàm extrinsecus. Quę quidem, etsi ex corruptione oriantur, quum vita sint prædita, aliunde quam ex vitalibus spiritibus procreari nequeunt: qui utcunque sunt spiritus, parentum tamen suorũ impurorum & corruptorum naturã retinent, ut tandem putridos, exitiales ac pestiferos fructus suæ naturæ proprios egerminẽt, debellato & extincto purioris vitæ & sinceriorum fructuum balsamo.

Ejusmodi itaque corruptiones, matrices sunt & seminaria, in quibus venenosi ac pestiferi spiritus sedem suam habent. Vnde in nostris corporibus varia morborum genera procreantur: quorum quotidianæ transplantationes, ista ejusmodi ex vitalibus radicibus & spirituosis seminib⁹ prodire, certissimam nobis fidem faciunt.

Sunt quoq; Spiritus seu spiritualia corpora relollacea.

Ut tandem ultimæ superiorum spirituum differentiæ colophonem addamus concludimus; tales reperiri spiritus (præter eos activis illis qualitatibus, de quibus egimus, seu utilibus, seu noxiis prędītos) qui illis sint oppositi: nempè quædam esse spiritualia corpora ἐξίτηλα ac evanida, nullius efficaciæ, virtutis, ac facultatis, quæque omni scientia destituta sunt: sive ii sint nudi vapores, sive inanes fumi, fugacesque umbræ corporum & aliorum spirituum. Quæ quidem postrema hæc spirituũ evanidorum differentia à Dogmaticis probè & agnoscitur & recolitur, ut qui passim in suis libris, vaporis, fumi, halitus, exhalationis, expirationis,

onis, flatus, halituosi vaporis, caloris fumosi & flammei, vaporosi sudoris, exhalantis humoris, ventositatis grossæ, humiditatis flatuosæ, halituosæ substantiæ, qualitatis nidorosæ, spiritualis essentiæ, auræ malignę, fumosarum excretionum, fuliginosorũ excrementorum vaporosarũ superfluitatum, crebã mentionẽ faciãt. Sed inanes jactantur hæ voces, ac prorsus emortuæ: ut quæ vanis tantũ & mortuis etiã qualitatibus innitantur, unde egregius nullus eliciatur effectus, qualis ex vera spiritunm agentium & balsamicorum, sive utilium, sive noxiorũ notitia & speculatione hauriri & educi solet. Quod satis superque longiore oratione docuimus ut discamus, in illo puro, æthereo, & eorũ radicali balsamo vitã nostrã ejusq; conservationẽ, sanitatemq; esse repositã: ceu cõtrà, ex eorũ impuritate & malignitate morbus interitusque noster consequitur. Vt tandem vela contrahamus spiritus bonos ac malos eosq; indolos mineralis ac vegetabilis in nobis generari posse, ꝑter ea, quæ iam allata sunt, liquet quoq; inprimis ex connexu seu consortio, quod inter mineralia, vegetabilia ac animalia, & consequenter inter hominem intercedit.

Panem n. & vinum natura trãsmutat in spiritus naturales, vitales & animales, nec nõ in semẽ ipsũ è quo homo procreatur. Quam quidem transmutationem facultas nativa operatur suis continuis digestionibus, & puri ab impuro separationibus, coctionibus deinde fermentationibus, cohobationibus, & circulationibus: quas diversi caloris gradus, in jecore, corde, & cerebro residentis, moliuntur. Quisquis ergo primariam generationis humanæ causam inquiret, eandem ad panem & vinum tanquã subjectum & materiam ex qua non vero tanquã ad causam efficientem & formalem revocabit.

Si quis porrò ambigat, quantum mirandi Panis & Vini spiritus, vitæ, motus & caloris in seipsis contineant, quæ omnia indubium præstant vitæ argumentum: ille quæso extractionem aquæ vitæ ex vino, ꝙ spiritibus inter reliqua vegetantia abundat, factam consideret.

Tunc enim videbit duos aut tres carbones ardentes, sub dolio quodam tres aut quatuor vini amphoras continente positos, in causa esse, cur ingens copia spirituum è vino eliciatur, cum alioqui paululum aquæ vix possent calefacere. Quin imò modicus istorum carbonum calor, ita serpentinas (sic enim hæc vocantur instrumenta) & dolium aquæ plenum refrigerii ergo ibi collocatum, licet non mediocri intervallo à carbonibus separatum, sic accendet & inflammabit, ut illi' æstus nullatenus valeat tolerari.

Vbi verò semel inde spiritus exierit, nunquam deinceps serpentinas ante dictas, & refrigerium videre licebit incalescere, licet ingentem idcirco flammam & calorem excitaveris. Unde manifestè colligitur,

tur, hanc de qua supra calefactionem ab ipsius tantummodo vini spiritu promanasse.

Quod si præterea motum vini animadverteris, eo tempore quo spiritus ab illo vi caloris proliciuntur: serpentinas arteriarum motum vehementem aliquatenus imitari comperies, imò vero vehementius commoveri.

Quo satis superque experimento comprobatur, non aliunde hæc omnia quàm à spiritibus in vino contentis proficisci.

Ex illo rursus exemplo abundè innotescere arbitramur, quod ex omnibus rebus alimentosis aqua vitæ balsamica educi potest, quam non incassum vocabulo tam augusto philosophi donaverunt.

Pari ratione cum contrariarũ causarum contrarii necessario per se effectus existant, ex rebus venenatis aquã destillare poteris, non vitæ, sed mortis: quoniam rerum illarum venenati spiritus vitali nostro balsamo penitùs adversantur.

Sed ulterius, amabo, in tã amœna trãsmutationis rerũ pergam' speculatione. Dicim' igitur quemadmodũ natura vegetabilis in animalem, qua modo dictum est ratione, à diversis caloris innati gradibus facile transmutatur: sic mineralem quoque posse transire in vegetabilem. Etenim plantæ radicibus suis terræ infixæ, non tantùm bonos & laudabiles succos: verùm etiam pravos sæpè, à mineralium specie minimè differentes prolicere, sibique assimilare possunt. Quibus quidem naturam mineralem scatere, quosque demũ, sive innoxios, ipsis vegetabilibus impartiri demonstravimus.

Qua de causa non abs re asseveramus, Helleborum & Tithymalum, quę tantopere corporum nostrorum vires, tum vomitione, tum alvi profluvio dejiciunt, non parum de spiritibus Antimonii participare: non secus ac Aconitum, unà cum Napello à spiritibus Arsenici mineralibus suum venenum mutuatur: cum unũ & alterum præsentem animalibus adferat perniciem.

Quod si hoc loco, ventis naviculam nostram à littore propellentibus carbasa cuncta daremus, in altum profecto pelagus tanta velocitate abriperemur: ut relicti à nobis aliquantum portus recuperandi vix potestas concederetur.

Quin ergo potius vela contrahendo, unde dilapsi sumus revertamur: sufficiatque nobis ostendisse vegetabilia de mineralium quoque natura participare, id quod, necessitate id exigente, vel mille comprobare exemplis possemus. Sufficiat vero in præsentia, quod experientia constet, ex viridibus nucum involucris, ut & granatorum cortice, vegetabile vitriolum, non modo colore & gustu, verum etiam cæteris qualitatibus omnibus vitriolum minerale referens, spagirica arte elici posse.

Quod si vegetabilia de mineralium natura participant: quidni hominem ob multiplicem vegetabilium

bilium usum, de utrorumque participare natura, firmissimè concludemus? secundum illud: *iis nutrimur ex quibus constamus*. Ad huiusce insuper confirmationem non parùm facit, quod homo non tantùm à veneranda antiquitate microcosmus, magno citra controversiam naturæ mysterio, dictus: verum etiam ab omnipotente ex globo terræ, omnibus totius universi seminibus sicque vegetabilium quoque ac metallorum signaturis impraegnatæ, sit efformatus.

Quæ si ita sint, mirari deinceps desinant, harum rerum increduli, ac unanimi nobiscum sententia concludant: in corporibus nostris generari posse spiritus malos, ac vitæ nostræ hostes intestinos eosque naturæ mineralis, vegetabilis & animalis. Spiritus, inquam halituosos, sulphureos & salsuginosos ac fuliginosos.

CAP. XXV.

De Principiis hypostaticis & Elementaribus.

Principia corporea seu materialia sunt 1. principia hypostatica: sal, sulphur & mercurius. 2. Elementaria, terra, aqua & aer.

N. Principia hæc in homine comperiuntur tanto subtiliora & perfectiora, quanto nobilitate & præstantia reliquis omnibus creaturis homo antecellit.

Probantur hæc principia in homine

1. Ex hominis compositione.

Ratione corporis materialis hominis tres sunt in illo radicales ac balsamicæ essentiæ, ex quibus tùm continentes corporis partes, ut carnosæ & solidiores, tùm aliæ, tùm contentæ, spirituales videlicet & fluidiores partes formantur aut compinguntur, nutriuntur, & vitam suam hauriunt.

Sal in illis solidarum omnium partium radicale principium est: utpote quòd semini etiam animalis insitum, solidas partes compingat ac coagulet, vnde veluti fundamentum habetur compaginis.

Sulphuris verò dulcis radicale principium in animali, quod humidum primigenium, ac oleaginosum est, in pinguedinibus, axungiis, medullis, & id genus aliis partibus tùm latentibus & occultis, tùm perviis sese ostentat.

Nec secus radicalis *mercurius*, totus spiritualis & æthereus, qui quidem est spiritus ille innatus, uniuscuiusque partis & membri, proximum animæ instrumentum, sese prodit in animalis vita fovenda ac conservanda, ut qui sit ab ipsa anima, vita corpori infusa, quam sulphurea pars nutrit ac sustentat.

2. Ex Generatione.

Atque hæ tres radicales essentiæ in animalis semine conclusæ, quas in hominis constructione nunc exhibemus, & iuxta formam & iuxta materiam, tria spirituũ ac facultatum genera in membris illius procreant.

Prima facultas illa est, quæ *naturalis* dicitur aut *vegetabilis*, cuius sedes in iecore potissimum posita, à sale primo illo radicali principio ac basi aliorum, conseruationem ac fomentum recipit.

Vitalis facultas in corde sita, à liquore sulphureo fovetur ac sustinetur: qui quidem sulphureus liquor humidum est primigenium & fons caloris ac vitæ.

Animalis verò facultas, tota mercurialis, æthera, ac spiritualis, præcipuumque functionum animæ instrumentum, in cerebro collocata est: quæ à mercurio tertio radicali principio stipatur ac conseruatur, quod totum æthereum est ac spirituale.

Hinc perspicuum est promiscuè istos spiritus radicales, aut substantialia ac formalia rerum principia, sese ita mutuo amplecti, ut inter se divelli nequeant: quin potiùs sese mutuò foveant ac conservent, imò etiam generent. Ex quibus functiones omnes ac facultates rerum spirituales prodeant, emphytusque ac symphitus calor, qui & ipse æthereus est, ac ἀεριώδης, promanet.

Sal autem terrestre ac solidum, quod in ossibus & aliis partibus durioribus ac solidioribus deprehenditur, compingit ac conglutinat sua conglutinatione molliores partes cũ durioribus: quemadmodum & flatuosus spiritus, aut ventus aereus in omni corpore cõclusus, vivum corpus leuius ac agilius reddit mortuo cadauere. Quæ quidem qualitates ac facultates totæ sunt elementares, utpote ex materia potiùs, quàm à forma proficiscentes.

Atque sic tria hominis principia, eorumque facultates ac potentiæ ex generatione & facultatibus paucis enucleata sint.

3. *Ex Nutritione seu nutrimento.*

Corpus quidem sic compactum, ac ex tribus illis principiis progenitum, assiduo indiget alimento, ac pabulo, ut conservetur. Quod quidem alimentum aliunde non suppeditatur, quàm ex iisdem eiusdem naturæ rebus, ex quibus constat. Iisdem enim nutrimur, quibus constamus. Attamen prima sui origine, cum tenerum sit ac imbecillum corpus, solidiore pabulo nequaquam fouendum est, ac facilis coctionis & alimoniæ esca pascendum, tria isthæc principia continente.

Huiusmodi est lac, quod infantibus sugendum exhibetur: quod citra exquisitius artificium aut industriam tria sua satis apertè per se explicat principia, ut iam diximus. Butyro enim sulphuream substantiam, sero mercurialem, & caseo salinum principium facili negotio prodit. Eiusmodi lac, una eademque essentia tres istas substantias continens, facilè in ventriculo infantis coquitur, ac in chylum, tandemque in sanguinē convertitur. Qui quidem sanguis possidet, quod magis formale ac radicale est in istis principiis, cætera in fæces ac excrementum secernens & abijciens.

Transacta illa primæ infantiæ ætate,

tate, & robustioribus coquendi cibi viribus factis, tum solidius alimentum, utpote panem, vinum, fructus & id genus alia fercula ventriculus exposcit; tum ex vegetabilium familia deprompta, tum animalium, ex iisdem vegetabilibus educatorum, quæ in animalem naturam transierunt, hoc est, sensitivam, quemadmodum substantia mineralis in vegetativam traducta est.

Ex vino quomodo tria illa principia eliciantur alibi traditum est. Ad quem modum & alia potionum genera, principia eadem exhibent.

Vegetabilia itidem uti in nutrimentum hominis facessunt, ita eadem sua principia in eum transferunt.

4. *Ex contemplatione humorum.*

Eadem illa principia deprehenduntur quoque in humoribus & excrementis.

Sic in sanguine, (quem merito cũ vino comparamus) tria illa principia insunt, quæ ab ipsa natura, veri Alchymistæ officio fungente, in omnes corporis partes, quantum unicuique membro satis esse potest, prudenter ac distinctè distribuuntur ac diffunduntur: ut ossibus nervis & ligamentis salina substantia copiosior q̃ reliquarum conferatur: pinguedinibus, axungijs ac medullis sulphurea: carnibus vero & humoribus ex sanguine ac alimentosis, innatisque spiritibus, seu fixis, seu influentibus & vagis, majore copia mercurialis spiritus tribuatur.

In sanguine, inquam serum est vehiculum, & quasi mediator, ac cõbinator reliquorum duorum principiorum, ut patet ex præparatione, & separatione eius. Serum autem mercurij vices gerit, & vel ex leni destillatione separatur. Sal, vires suas exerens, atque prodens, tot diversorum ulcerum genera, aliosque plurimos morbos procreat: præter portionem illã salis, quæ cum urinis per renes, atque vesicam perpetuò transcolatur. Sulphur item, seu oleaginosus liquor in eodem sanguine quod insit, manifestum est: Quod sulphur exaltatum efficit exhalationes sulphureas, ut inflammationes, à quibus tot febrium differentiæ. Ita sublimationes mercuriales suscitant catarrhos, aliosque morbos mercuriales.

Sic Chylus eadem principia refert sed adhuc valde impura. Chymus puriora & defecatiora.

Excrementa partim à tribus illis principijs, partim ab elementis secernuntur: ut vapores mercuriales, halitus sulphurei & salinæ exhalationes, quæ per sudores expirant.

Idem de vilissimis excrementis & crassa elemẽtaris materiæ fæce prorsus inutili, terrestri ac putida fas est dicere. Etenim *ex* aqueis crudis & serosis excrementis, *ex* aereis, flatuosis aut ventosis, denique *ex* crassioribus ac terrestrioribus vel fætidissimis, utcunque corruptissima sint, produntur tamen quædam in singulis vestigia eorum effectuum, quos purior trium principiorum substan-

tia (ex quibus tanquam impura separata sunt) procreabat.

5. *Ex destillatione.*

Qui debitam anatomem volet experiri urinæ, (verbi gratia quæ tam accuratè in morbis circumspicitur ac observatur) in ea magnam mercurialis liquoris acidi subtilis ac penetrantis, qui vel solidissima ac durissima corpora dissolvat; quantitatem deprehendet: nec non sulphureæ essentiæ, flammam etiam concipientis, copiam: ut taceam salinum corpus, quod per se satis perspectum est ac pervium in magna illa copia salis, quæ ab eo extrahitur: cuius tanta est acrimonia, mordacitas ac corrodendi vis & vehementia, ut alios quosvis naturæ sales omnes viribus superet.

Hæc verissima esse, quæ à me dicuntur, facilè perspiciet, qui vel tantillum scripta *Christophori Parisiensis*, Philosophi utique celeberrimi, qui dissecandis urinis insudavit, delibaverit, nec non si quis auribus quicquid alij de ijsdem urinis & earum anatomia disseruêre, aliquid præstantius & utilius de earum virtutibus ac energia didicerit, nec in solis coloribus, nubeculis, encorematis ac hypostasi contemplandis totus hæserit, quamvis & ea considerari debeant ad diagnosin morborum.

Eximis namque urinarum penetralibus, salia extrahuntur nitrosa & sulphurea seu armoniaca, varijs, ut coloribus sic & saporibus ac odoribus tam gratis quam horrendis prædita: ex quibus postmodum secundum artem, mirabilium proliciuntur spiritus virium, nitrosi armoniaci, vitriolati non tantum diversos sed sæpe contrarios edentes effectus. Quibusdam ipsorum corpora metallica dissolventibus etiam solidissima, alijs è contrario spiritus vel æthereos, coagulantibus.

Quin imo verissimè asserere possum ex lotio nostro, nitrosis, armoniacis, & vitriolatis salibus referto, dissolventia usque adeo valida & potentia extrahi, ut nisi summa cautio adhibeatur in regendo & exhibendo igne, & Recipiente commodo adaptando, ac in aquam frigidam demergendo à spiritibus in nubis formam exhalantibus, vas recipiens, usque adeo incalescat & urgeatur, ut sæpissimè cum ingenti strepitu & propemodum sclopetario æquali, in mille partes dissiliat. Qui tamen spiritus, si retenti, commodèque extracti, ac in aquam resoluti fuerint, non minore virtute & diligentia, ac aquæ fortes & regales dictæ, argentum & aurum dissolvunt.

Quid multis? destillationi subijce cadaver, vel quamlibet ejus partem, sic elevabis primo spiritum volatile (sal volatile) seu mercurium abundanti phlegmati immixtum. Hinc ulteriori instantia sal volatile fixius copiosum, oleumque subinde fœtidum elicies, remanente sale fixo in capite mortuo residuo. Sal illud volatile prius ac posterius subtili sublimatione elevatum, relinquit in fundo phlegma insipidum: fixo itidem sale elixiviato, remanet terra mortua,

tua, aer quidem per se seorsim ob tenuitatem colligi nequit.

Cap. XXVI.

De cognitione principiorum ex collatione macrocosmi.

Sunt porrò in microcosmo diversa genera tum principiorum hypostaticorum tum elementarium: eaque sub specie vaporum fuliginum, calculorum, sabulorum succorum concretorum, bituminum, &c. Sicuti patebit ex subiuncta contemplatione collata œconomiæ macro- & microcosmicæ.

Omnia meteora redolent principia hypostatica.

Quercet. Observandum est & notandum, quotquot vapores, fumi, halitus, fuligines quotidie in corpore nostro generantur, & ex quibus evaporationum ac exhalationū generibus: tot ac tàm varia, perinde ac in majore mundo, meteora in nobis, sive frigida, sive calida & ignea, humida vel sicca excitata, succorum ac substantiarum mercurialiū, sulphurearum & salinarum naturam redolere ac participare: à quibus etiam prodeunt & exhalant, ut subjectæ substantiæ similem esse defluxum oporteat.

Modestiores enim, benigniores ac utiliores vapores nunquam non à mercuriis aut liquoribus bonis & laudabilibus proficiscuntur, ut à sanguine sincero, qui ab omni superfluo ac corrupto humore, crudo aut retorrido, acri aut salso purus sit & defœcatus: benignoque ac naturalis balnei nostri leni igne sit probè concoctus & dulcoratus.

Generatio somni.

Atque his aut huiuscemodi dulcibus & benignis vaporibus, ut & aliis optimi nutrimenti, ejusdem caloris naturalis beneficio excitatis, perfusum & imbutum cerebrum, nec non referti nervi: condensatis utcunque in illis partibus eiusmodi vaporibus animales spiritus, antea vigiles & mobiles, subsidere incipiunt, & quodammodo aggravari, membra antea labore agitata quiescere, & motum ac sensum paulatim deponere, suavi scilicet & placidissimo obrepente somno & quiete: dulcibus etiam & gratissimis perfusa insomniis.

At contrà, si vapores ex liquoribus *mercurialibus*, ijsque incoctis, crudis aut malignis humoribus exhalaverint, inde molestior somnus & gravior futurus est, nivosis insomnijs, glacialibus, & diluvia effigiantibus, stipatus. Quæ quidem temperamento *pituitoso* & phlegmatico, ac mercurialibus humiditatibus referto, propria sunt. *Biliosorum* verò vapores, aut eorum, qui calidiore sunt sanguine, aut nitro sulphureo præditi, breviores in cerebro somnos conciliabunt: quorum somnia seu phantasmata, ac evanida rerum simulachra, nihil præter incendia, coruscationes, bella, furores, repræsentant. *Sicut* etiam *melancholicorum* halitus, nil nisi molestissimos somnos inducent, & in somnijs deserta, cœmiteria, sepulchra, pavores, terrores,

res, suspiria, lachrymas, & id genus alia exhibebunt.

Atque hi sunt vaporum & exhalationum effectus, qui pro varia hominum natura & temperamentis varij etiam produci solent.

Qui verò vapores caloris excessu & vehementia, ex sanguine, aut vitiosis & excrementitijs, ac non naturalibus, sed alienis humoribus procreantur: ij non in cerebro tantùm, sed alijs etiam partibus, longè alios effectus, sinistros nempe & morbificos proferunt: præsertim si diutiùs in corpore retineantur, & ab eo exhalare, resolvi, aut dissipari per meatus, & occultos corporis ductus nequaquam possint.

Ista de primis exhalationum generibus & differentiis, qui mercuriales sunt liquores in corpore humano, dicta sint. Illi enim primi omnium expirant, ut in artificiosis distillationibus videre est. Hos sequuntur calidiores & ficciores, ac spiritualiores fumi, seu aquæ vitæ, ac benignioris ac suavioris sulphuris sanguinis nostri naturam redolentes: quique per temperatum caloris gradum è sanguine exhalantes, optimum & gratissimum spiritibus nostris alimentum erogant.

Qui si ab extraneo & vehementiore calore, sive externo, ut à violentiore motu: sive interno, utpote aliqua calidiore intemperie, aut ardore febrili, huiusmodi fumi pellantur & urgeantur: ij acriores redditi, & aridiores, nec non incendio concipiendo adaptati, vigilias, deliria, & inquieta somnia inducunt: idque juxta eam naturam & qualitatem variam, quam ex diversis calorum gradibus, ex variis hominum temperamentis, & humorum proprietatibus possident: sive etiam mercuriales, sive sulphurei, sive tartarei ij sint fumi, qui evaporant. Horum enim alij acriores & mordicantiores, alij minùs, alij tenuiores & spirituosiores, alij crassiores & densiores: qui, juxta variam illam suam conditionem, varios affectus in corpore suscitant.

Halitus aquosi & mercuriales dẽsiores sunt & minùs spirituosi fumis calidis & ventosis, quòd hi de sulphure viscoso & glutinoso sanguinis nostri magis participent. Qui autem per secundum caloris gradum ex tẽperato & laudabili sanguine, exeunt fumi aut halitus, ij quiddam cõmune & affine habent cum subtili & vitali arteriarum nostrarum sanguine. At si ex corrupto sanguine & calidiore exurgunt hi vapores: quum plus, quàm par est, incendio urgeantur, benigniores quidem & utiliores halitus evanescunt. Alij nitro sulphuream & inflammabilem naturam induentes, & in cordis sinus delati, *synochum* invalescentem aut decrescentem suscitant, prout ejusmodi halitus minùs, vel magis vitiosus: aut velocioris vel tardioris fuerit resolutionis. *Impuriores.*

At quæ ex *humoribus excrementitiis* exhalationes, utpote ex fæcibus & tartaro corporis nostri emergunt, & violentiore impetu extruduntur, pro *Excrementitiis.*

natura

natura sui generis diversa, diversas quoque morborum & symptomatum species inducunt.

De quarta & ultima evaporationis specie restat nunc dicere, quæ fuligines sunt, quibus aptiùs sublimationis nomen congruit: quod siccæ & aridæ exhalationes efferantur: ut evaporationis nomen mercurialibus halitibus, vaporibus & fumis rectè tribuatur: quòd, cùm naturæ sint liquidioris, minore negotio evaporare etiam possint.

1. Natura fuliginum. At fuligines, mercuriali prorsus humore, & unctuoso liquore ferè destitutę, salinam potius naturam, eamque volatilem, crassiorisque, densioris ac fœtidioris sulphuris materiam partim possident: partim verò viscosam quandam exhalationem, . quæ huic tantùm sublimati speciei, quæ fuligo dicitur, producendæ gluten suppeditat. Quæ quidem fuligines, quum liquore omni nutriente, recreante, nec non anodyno, & familiari nostræ naturæ, prorsus spoliatæ sint: præterquam seminaria & radices vitiorum, in corpore nostro nihil procreant.

2. Differēt. Inter eas tamen hæc statuitur differentia, ut aliæ alijs sint periculosiores, & pro humoris & materiæ, vel sulphureæ vel tartareæ, naturalis, aut non naturalis conditione, magis vel minùs incommodi & detrimenti inferant.

Ignis autem gradus, quo ejusmodi fuligines præparantur, quartus sit oportet, hoc est, violentissimus, ut qui spiritus omnes humidos & mercuriales, nec non subtiliora corporũ sulphura absumpserit & exhauserit. Sic enim videre est, ex quovis ligno fuligines fieri, absorpto videlicet, priùs ab igne, mercuriali & ferè oleoso humore omni.

Inter istas autem fuligines (ut quotidiana constat experientia) *aliæ* sunt subtiliores, *aliæ* verò crassiores & densiores. *Aliæ* salinam magis naturam & substantiam possident, unde acriores redduntur: *aliæ* sulphuream, quæ flammæ concipiendæ aptiores sunt.

Ejusmodi varietas cernitur in ligno quercino & abietino. Quernum enim & faginum, de natura salina magis participant: Abietinum verò de sulphurea. Quòd si in majore mũdo hoc fieri conspicimus, certum est, & in microcosmo idem præstari, quũ in eo & querna, fagina, & abiegna ligna, potentia & substantia delitescãt, non forma: quæ immoderato nostro calore, tandem in actum erumpunt, ut diversas fuligines etiam excitent: variisque in locis sese sublimantes, & variis membris adhærentes, ac sese agglutinantes, unde varia morborũ genera emergunt: quales sunt *melancholia, mania*, præsertim cum in aëreã regionem microcosmi, hoc est, cerebrum evehuntur: ubi microcosmica ejusmodi meteora generantur, ardẽtia & ignea, ut in majore mundo coruscationes, fulmina, fulgura, varij cometæ, & id genus alia ex propriis exhalationibus procreantur. *3. Effectus fulig.*

Si autem ejusmodi fuligines vim habeant & naturam napellosam, aconita-

conitalem, auripigmentalem aut arsenicalem, in interna capitis parte, si evehantur, *morbos pestilentiales* ibi producent, si in exteriori aliqua alia parte, *anthraces, carbunculos.* At si membranis pectoris sublimatæ adhæserint, eam pleuritidis speciem inducent, quæ non sit vulgaris, ex defluxione sanguinis in eas partes orta: sed pestilentialis.

Aut si in inferiores partes corporis, vi & robore naturæ, cum excrementis protrudantur, eam in intestinis *dysenteria* speciē progignent, quæ pestilentialis est, non alia ratione ipsum intestinum exulcerantes, & venenosam ac *sphacelosam* prorsus qualitatem inurentes, quàm si septicum aut causticum medicamentum affixū esset. Non quòd illæ fuligines, citra alias sanguinis substantias, qualitatis huius alienæ & malignæ solę sint participes, concurrunt enim tùm mercuriales, tùm sulphureæ malignę impuritates, quæ morbum augent, lōgè deteriorem reddunt, aut etiā multiplicant. Quemadmodum in pestilenti constitutione pestiferum venenum, aut arsenicale sulphur accensum, non unū tantū cor impetit: sed per totum corpus virus suum febriq; pestilentem diffundit: cujus effervescentia & malignitate aliæ duæ substantiæ in sanguine contentæ, sal nempe & mercurialis liquor, exardescunt, commoventur simul & inquinantur : ac inquinatæ virus etiam suum particulatim exerunt. Ex *mercurialibus* enim humoribus inquinatis, expurgationemque sui per emūctoria molientibus, oriuntur in adenis emunctoriorum & glandibus *tumores, bubones & apostemata pestifera.* A fuliginibus verò & spiritibus salium septicis, prout variis in locis hærent, *carbunculi & anthraces* varij pestilentes, ubique efflorescunt. Cū n. ea fuligines salinæ sint, vel etiā arsenicales, non solùm naturam salis, ejusque acerrimi: sed arsenicalis etiam obtinent, ut non escharam minorem aut mitiorem inducant, quā si causticum aut septicum aliquod arsenicale violentissimum cuti affixum esset.

Atque hæ sunt diversæ exhalationum aut evaporationum substantiæ: quas sanguis noster, alijque succi, aut humores in corpore nostro contenti, possident: & ex quibus in eo, varia morborum genera originem habēt, cùm extra temperamenti sui cancellos evagantur & excurrunt. Neque ideò morborum causæ dicuntur, quòd tantùm sint vapores simplices, halitus, fumi & fuligines, aëreæ & spirituosæ naturæ, aut calidæ, frigidæ, humidæ & siccæ qualitatis: quod parum, & exigui est momenti : sed quòd spiritibus *flatuosis, impetuosis, turbulentis, salsuginosis, ponticis, acribus, acidis, mordacibus & virulentis, sulphureis, nitrosis, fœtidis, narcoticis, pestiferis, arsenicalibus, antimoniacis, & id genus aliis turgeant:* qui ex variis nostri corporis liquoribus, sulphuribus, salibus, fæcibus, tartaris exhalant & expirant: unde tot morbi & symptomata, sive proprio caloris naturalis motu & operatione; sive præternaturalis, aut *Impressiones exhalationum potentes sunt morborum radices.*

alia quavis abdita ratione id fiat, excitantur & invalescunt.

Nolim tamen omnes omnium morborum causas in genere ad ejusmodi exhalationes & evaporationes revocare: bonã tamen earum partem illuc referre ausim. Usque adeo potentes & admirandi sunt effectus ac varii spirituum illorum, quùm subjectum proprium & congruum nanciscuntur. Quod facilè sexcentis exemplis confirmare, & re ipsa comprobare possemus, ni brevitati studeremus:

De cognitione Oeconomiæ humanæ & exinde genitorum morborum ex contemplatione Macrocosmi.

Contemplatio macrocosmi, eiusque meteororum, occasionem subministrabit inquirendi in diversa meteora, quæ fiunt in Microcosmo, homine, inquam, ex continuis illis vaporibus atque exhalationibus, quę ex inferiori ventre (quem merito cum terra comparaveris) in aeream hoc est, superiorem corporis nostri regionem sublevantur.

Vapores.

Ita patebit ex solis vaporibus mercurialibus in nubes à cerebri frigiditate condensatis (cum nec digeri aut dissipari potuerint) humorem modo pluviæ moderatæ ac simplicis speciẽ, modo densissimarum nubium aut cataractarum in modum descẽdere; unde catarrhi mites, aut violenti, quos suffocativos nuncupant, quòd materia uno quasi quodam impetu in partes vitales procumbat. Deniq; ex iisdem contemplationibus hauries veram originem ventorũ, grandinum, nivium, à quibus tinnitus aurium, paralyses, apoplexiæ; & similes morbi, à vaporibus mercurialibus condensatis excitãtur. Quorũ sanè morborum causa non tantum, quod vulgus facit, ad frigiditatem referenda: sed etiam respiciendum ad aciditatem hanc salis vitriolati, quæ vaporibus illis mercurialibus permixta, eosdem repente, & quasi de improviso coagulare atque conglaciare potest, unde apoplexiæ, & ejusmodi morbi producuntur. Nam vel exemplo è corpore nostro exprompto, hoc est, urinæ, facilè patet, qualis istis humoribus mercurialibus acido sale permixtis insit vis coagulandi. Quapropter hoc simpliciter nobis concedi necesse est, quod diximus, sal armoniacum naturæ acidum habere vim dissolvendi corpora, & coagulandi spiritus.

Q. An vis mineralis in homine?

Sed erit fortè sciolus quidam nasutulus, & qui vix ac ne vix quidem limen philosophiæ salutaverit, qui magna confidentia nullo pudore, cõtra nos insurgere & occlamare ausit, in corpore nostro haud quaquam reperiri naturam vitriolatam, nitrosam, armoniacalem aut tale aliquid simile.

Probatio ab effectu.

Huic ut respondeam. Primò omnium exactè considerandum svadeo,

deo, quis sit ignis ille naturæ, quis sit ille coctionis cibi in ventriculo author, qui eundem dissolvit atque immutat, & tam exiguo quidem tempore, quod nec aqua bulliens, nec ignis elementaris quidem præstare possit, vel longo. Rursus considerent quæso causam famis caninæ q̃ tam promptè consvevit omnem cibum in ventriculo consumere, ut ne terminum quidem, aut spacium legitimum naturæ concedat nutriendi sui: unde fames ista insatiabilis. At ex vulgi opinione dicet aliquis hoc fieri ab humore quodam acido & melancholico, qui lateribus injectus interdum ebullit haud aliter ac fortissimum acetum, vel potiùs sicut oleum vitrioli, aut aliud simile quiddam devorans atque dissolvens. Enimverò sanè si aciditas illa diligentiùs fuerit considerata, & per anatomiam philosophicam inspecta, à bonis & candidis facilè judicabitur, non ineptius dici vitriolatum, quàm melancholicum. Quinimò longè etiam melius: cùm melancholia talia nec possit, nec præstare soleat, nisi per aciditatem suprà dictam.

Hac enim loquendi ratione, longè melius exprimitur virtus dissolvens, reliquæque proprietates, quod facilè patebit ei, qui ad amussim omnia consideraverit. Et quid prohibeat tandem vitriolatas ejusmodi facultates, vel humores appellare, cùm constet omnibus suis proprietatibus atque viribus ad naturam vitrioli accedere? Nimirum liberum est, & concessum vulgò medicis Dogmaticis bilem appellare æruginosam, vitellinam, porraceam, propter affinitatem rerum, à quibus ista nomina mutuata est: Eccur igitur non & nobis integrum sit idem faciendi, & humores vitriolatos appellandi, quòd de natura vitrioli participent.

Sed redeamus ad meteora quæ sunt in corpore nostro: & jã locuti sumus de iis, quæ excitantur à vaporibus liquorum mercurialium, quæ cum aquis similitudinem habent, atque etiam cum iis, quæ ex meris terræ vaporibus fiunt, in macrocosmo.

Restat nunc, ut etiam de aliis aliquid tradamus.

Quemadmodum igitur exhalationes sulphureæ, nitrosæ, vel antimoniales ex terra in aerem atque nubes sublevatæ, causant meteora ignita, ut fulgora, fulmina, tonitrua, cometas, & his similia: Ita quoque in corpore nostro à fumis atque evaporationibus fuliginosis ex sanguine retorrido & adusto, atque à tot tamque diversis tartareis sulphureis, atque nitrosis (quibus viscera nostra scatent) effumationibus excitatis, similia producuntur meteora.

Ejusmodi quippe materiæ fuliginosæ, vel in ipsis hypochondriis, à ventilatione prępedita, æstuantibus, subortæ, vel à calore immodico & febrili excitatæ, tandem efferuntur & sub-

& sublevantur in cerebrum atque ignita in eo suscitant meteora, manias diuturnas, phrenitides ardentes, melancholias pertinaces, deliria, dolores capitis, epilepsias, & id genus plura.

Horum quædam, ob materiæ fuliginosæ tenacitatem, aut copiam longo tempore durant, uti mania: quædam citiùs finiuntur, ut phrenitides: quædam ferociùs hominem exercent, quædam mitiùs, nempe prout materiæ prædictæ fuliginosæ, vel plus, vel minùs fuerint acres, abundantes, adhærentes, salsæ, sulphureæ, aut talis ejusmodi qualitatis magis, vel minùs inflammabilis, vel quacumque alia ratione noxiæ. Est enim magna istarum materierum fuliginosarum diversitas: Haud secus sanè, ac ipsorum etiam lignorum combustorum differentes fieri fuligines videmus, nempe alias tenaces magis, alias salsas, sulphureas, & ejusmodi diversitates.

Eadem diversitas etiam apparet in separatione spirituum tartareorũ cerevisiæ, defrutorum, vini, hydromelitis & similium potuum, quorum diversitas, vel ex odoribus nares ferientibus abundè manifestè apparet.

Ita in salibus quoque, sulphuribus, & oleis, quæ destillantur vaporum diversitas (qui nihil aliud sunt, quàm spiritus à diversis materiebus tartareis producti) satis manifestè declarat.

Horum namque alii sunt acuti, alii acidi, alii mordicantes, alii fœtidi, alii odorati, quidam tantæ acrimoniæ, ut vel solo odore ferientes cerebrum, moveant succussiones, & sternutationes extraordinarias, aut alia quacunque ratione oblædunt cerebrum, vel obfuscando spiritus, aut obtundendo, & conturbando, vel sulphureis illis fumis, aut narcoticis, quales ex plurimis carbonibus excitari solent, sopiendo: (ut videre est in plurimis, qui ejusmodi carbonibus assidentes quoddammodo lethargici evadunt, aut quomodocunque cerebro vehementer perturbato.

Eædem constituendæ differentiæ in antimonialibus, arsenicalibus, & mineralibus humoribus, vel vaporibus, idque ex eorum effectu, vel septico, vel certè caustico, quod prædicti fumi continent beneficio salis.

Tales acres fumi plus satis sæpè oculis nostris innotescunt, quibus & dolores, & inflammationes, & fluxiones acritudine sua accersunt, nosque sæpè, ceu altera quædam Xantippe aut fœmina rixosa perturbatrixque è domo nostra expellunt & arcent.

Hinc ex ea fumorum diversitate diversa suboriuntur symptomata, diuturnitate, malignitate, atque vehementia magis, vel minus infestantia, idque pro natura mineræ, atque conditione qualitatis,

vel quantitatis exhalationum, & earum substantiarum, quæ cum iis ceu vehiculo quodam sublevantur.

Rursus quoque videmus in visceribus terræ microcosmi, in ventribus, inquam, eosdem ferè effectus fieri meteororum, tam aqueorum, quàm igneorum. Exemplo sunt tympanites, hydrocele, itemque flatus ab infarctibus inclusi, viscera & partes internas concutientes, quæ omnia ventos, pluvias terræque motus præclarè repræsentant: Aquæ verò intus aut inter cutem, mare, flumina, fontes, & rivulos. Denique & ignita meteora variè fiunt etiam in homine ab exhalationibus spirituum nitrosorum, & sulphureorum, qui inflammati, tot febrium excitant diversitates, tot inflammationum.

Nascuntur in homine diversa substantia metallica, ut arena, lapides, seu calculi, qui in variis visceribus, atque capacitatibus ventriculi, fellis, quiq; in splene, hepate, intestinis, articulis, ac in ipsis etiam pulmonibus, atque cerebro procreari solent, quamvis frequentius id eveniat in renibus atque vesica, in quibus partibus sunt mineræ omnium fertilissimæ.

Sed & succi concreti (quos vocant) *gignuntur in humano corpore, ut diversa sulphuris genera, saliumque præsertim plures differentiæ, vitriolata, aluminosa, nitrosa, gemmea: sal gemma, aut sal commune salsum, efflorescit in pituita salsa: sal armoniacum acetosum, in pituita acida, itemque in quadam specie melancholia acida: sal vitriolatum æruginosum, in bile æruginosa: sal aluminosum pungens,* & stipticum, in pituita vitrea, eademmet qualitate prædita: sal nitrosum amarum in bile amara: urinæ quinetiam penitùs nitrosæ materiam nitro simillimam repræsentant.

Reperiuntur & in microcosmo, perinde ac in macrocosmo, plures aliæ salium differentiæ: Sal saccarinum in dulci pituita: itemque sal arsenicale & septicum in humoribus malignis & pestilentibus.

Ex horum salium resolutionibus, sed maximè stypticorum, fiunt quædam species colicæ, quæ tandem in contracturas degenerant.

Ex corrosivis distincta dysenteriarum genera oboriuntur: Ex acetatis orexes ventriculi. Ex arsenicalibus anthraces, carbunculi, itemque ulcera cancrosa, phagedænica, dysepulotica & similia.

Ex eorundem verò coagulationibus fiunt arthritides, calculi, scirrhi, & varia obstructionum genera prout ipsæ tartarorum, saliumque, quæ in corpore nostro gignuntur naturæ evariant.

Sed ut prædicta omnia explicentur meliùs, & clarius appareant etjam ad sensum (cum ex his petenda sit vera exactaque cognitio causarum morbificarum, qua sine frustra remedia quæruntur, aut adhibentur) subjiciemus quasdam demonstrationes manifestas, & ad sensum patentes.

Notum

Notum est, & in confesso omnibus, vel edicto summi medicorum dictatoris Hippocratis, corpus nostrum constare ex continentibus, contentis, & impetum facientibus.

Continentia sunt partes solidæ, atque firmiores, ut ossa, cartilagines, ligamenta, carnes, quæ continent, & quasi coërcent partes molliores.

Contenta in duplici sunt discrimine: quædam sunt impetentia, exhalantia, impellentia, seu impetum facientia: ut loquuntur medici) quædam humectantia, effluentia.

Prioris generis sunt spiritus balsami nostri radicalis, quos spiritus innatos vocant, sive parti alicui infixi hæreant, seu per universum corpus divagentur, generati ex substantia purissima, atque spirituali liquoris sulphurei, & salis alimentorum vitæ nostræ.

Spiritus rursus subdividunt in naturales, in vitales atque in animales.

Hi omnes vel genuini sunt, atque puri, vel impuri & fœculenti. Illi profectò naturæ sunt purissimæ, atq; adeò æthereæ, & vitæ conservatores.

Hi crassi, atque impuri ad illos collati, obnoxii alterationibus, quippè qui de impuritate fœculenta mercurii, atque liquorum salis, & sulphuris alimentorum, plurimum participant: Ex quibus principiis nos constare suprà docuimus.

Humectantes partes sunt liquores mercuriales, aut id, quòd vulgò humores nuncupant, tam naturales utiles, & nutrientes, qui retinent aliquid de spiritu vitæ, quàm inutiles & excrementitii.

Effluentia seu exhalantia sunt halitus, quo nomine & vapores, quorum suprà meminimus complectimur: quæ nihil sunt aliud, quàm vel distillatio, & evaporatio illa humida, sublata ex parte aquosiori rerum humoralium seu mercurialium: vel exhalatio sicca rerum sulphurearum aut tartarearum atque salium corporis nostri.

Et tales exhalationes nihil quoque aliud sunt, quàm fumi, fuliginesque spirituales, sed excrementosi, ideoque superflui.

Nam præter primas illas separationes, quas natura facit ex parte alimentorum crassiori, & impuriori, per excretiones fœcum ordinarias: adhuc etiam in chylo, ac in ipso sanguine humorum nobilissimis, sunt quædam impuritates superfluæ, quas proinde natura separat.

Ergo per evaporationes separantur superfluitates humidiores, & eæ tantùm, quæ in tertia concoctione separantur, quæ assimilari nutriendis partibus nequiverunt. Quapropter à natura expelluntur per ductus insensiles, poros inquam cutis, ut liberius perfletur, & ventiletur ab aere calor noster naturalis, aut cordis fervor.

Superfluitates halituosæ quoque æquè participant de sicco atque de humi-

humido: hoc est, his quæ ex matricibus sulphureis, salsis, atque liquoribus mercurialibus exhalantur, atq; evaporantur.

Quarum quidem pars tenuior, & halituosior per insensiles transpirationes: aquosior per sudores: sordidior verò, atque ea, quæ maximè est fœculenta cutis superficiei obhæret.

Quod si verò jam ejusmodi exhalationes fuliginosæ retineantur in corpore nostro, (id quod vel propter frigus ambiens adstrictionemque cutis, vel propter locorum aut ætatis rationem, victus rationem intemperantem indeque enatam dispositionem, aut cutis densitatem similesve occasiones accidere solet) tum fieri nequit, quin ejusmodi corpora infinitis propemodum morbis aliis (præter eos, quos in meteororũ aereorum, atque terrestrium microcosmi classem retulimus) fiant obnoxia.

Eadem cognitio œconomiæ humanæ ex analogia macrocosmi, paulò aliter tractata.

Non immeritò sanè nec absurdè homo microcosmus appellatur. Siquidem quicquid majore mundo circumcirca diffusum continetur, totum hoc microcosmo, ceu compendio, contrahitur, ut scribit his verbis Gregorius Nazianzenus initio libr. de hominis opificio, quod etiam alibi annotavimus, *hominem nempè à Deo post reliqua factum fuisse, ut Deus in ipso exprimeret, sub brevi quodam compendio, quicquid diffusè antè fecerat.*

Neque hic de intellectuali & cœlesti mundo, qui etiam in hoc compendio reperitur, velim verba facere: sed de elementari tantum; tanquam nobis proximo & adhærente, prout in superiorem & inferiorem regionem distinctus est. Quam etiam divisionem humanum corpus patitur: ut caput sit regio superior: vitales verò partes media: nutritioni dicatæ partes, utpote imo loco sitæ, inferior aquæ & terræ regio, seu globus vocentur.

Quemadmodum autem in terræ penetralibus, tum solis radiorum virtute, tum ipsius terræ calore nativo & proprio, multæ exhalationum & vaporum species excitantur, quæ mixtorum imperfectorum corporibus essentiæ causam tribuunt: utpote quę varia sulphurum, bituminum, saliumque ac liquorum sive mercuriorum genera procreant: hacque caloris utriusque tum solaris, tum terrestris: nec non & astrorum influxus ratione, in elementari mundo, tanquam in suo continente, tot & tam varia contentorum genera, ex matricibus suis progenita conspiciuntur. Haud secus in humano corpore evenit, quod & continentibus & contentis partibus constat, quarũ solidiores, ligamentosæ & carnosæ seu molliores, cum elementis collatæ, locorum & matricum officia in eo exer-

eo exercent: ut quæ & principia hypostatica, & alias substantias varias, tam fixorum corporum, quam volatilium, tam materiales, quàm spirituosas essentias contineant. Quæ quidem substantiæ contenta in ipsis matricibus dicuntur: quorum alia impetuosa, & huc & illuc fluctuantia sunt: alia sunt humectantia, alia effluentia.

Impetuosa contenta sunt spiritus nostri tam naturales, vitales & animales (qui purissimi, sincerissimi, & maximè omnium ætherei sunt) quā impuri, & malignam quandam qualitatem præ se ferentes.

Humectantia sunt humores nostri naturales, tam utiles, quàm inutiles & excrementitii.

Effluentia verò seu exhalantia contenta, sunt halitus tùm sicci, tùm humidi, hi vapores dicti, alii fumi.

Fumida illa exhalatio, quùm sit ab arida fumus expressus, calida, sicca, levis & subtilis, semper in altum fertur, sulphureæ & igneæ naturæ propinqua, ut quæ facilè ardeat, & flammam concipiat, atque sic incendat & urat.

Contra vapor aut fluxus humidus, cum naturę sit raræ, mercurialis, & aqueæ, si ab externa caliditate, frigida sua qualitate spoliatus in aerem efferatur, & ibi frigore concrescat, pristinam suam naturam recipere cogitur, ita ut scilicet in aquæ naturam convertatur & redeat.

Ut autem in majore mundo videre est, ejusmodi vapores & exhalationes, solis calore & astrorum influxu: nec non propria ac interna terræ caliditate excitatos, materiam tam diversis ac stupēdis meteoris ac corporibus imperfectè mixtis sufficere, tùm in aërea regione, tum in ipsis terræ penetralibus: præsertim ex vaporibus mercurialibus, frigidis, humidis, & naturæ aqueæ, nubes & pluvias, grandines, nives, gelu & ventos generari.

At ex sulphureis & calidis siccis, coruscationes, tonitrua, presteres, fulmina, & id genus alia ardentia meteora effingi.

Sic in minore mundo, hoc est, humano corpore, similes & iidem vapores ac exhalationes materiam multis & diversis meteoris efformandis suppeditant. Vnde tot ac tam varia morborum genera, eaque stupenda, modò mercurialia, frigida & humida: modò sulphurea, calida & sicca, non forma quidem & accidente, sed substantia, hoc est, virtute essentiali talia, tum in inferiore ventre, tum superiore (hoc est, in capite & cerebro) partibus utiq; terræ penetralibus, & aëris regioni correspondentibus, prorumpere palàm est.

Etsi autem hujusmodi vapores & exhalationes, nec non ex illis prodeuntes stupendi morbi & symptomata, physicis quibusdam rationibus nitantur: ejusmodi tamen morborum causæ intellectus nostri captum plerunque longè superant altiusque repetendæ sunt origines, utpote quæ abditæ sunt & divinæ.

Atque hic agnoscenda mentis nostrę imbecillitas, ut omnipotentiam, provi-

providentiã, ac sapiẽtiam Dei suspiciamus, ac admiremur. Is n. subinde modò pluvias, modò tempestates immittit: modò cj⁹ generis morbos, atq; adeò stupẽdos, omnemq; curam respuentes excitat, ut eorum causæ, nos, etsi magna & studiosa indagine illas rimantes, prorsus fugiant aut lateant. Quod testatur ipse Iehovah, cùm sic loquitur: Si in decretis meis inquit, deambulaveritis, dabo vobis pluviam suo tempore. Si autem non audiveritis me, constituam super vos febrem, tabem, pestilentiam & scabiem, quæ non possit curari, ac dabo cœlum sicut ferrum, & terram sicut æs.

Attamen si citra tàm altum volatum, physicis rationibus inquirendis acquiescimus, & naturam substantiarum spiritualium, hoc est, impetum facientium, & earum quæ humectant, illarumque, quæ effluunt, excutiamus: quæ quidem in corpore nostro latitant: & tàm boni, quàm mali radices in eo constituunt: earum utique interna potius, quàm externa, juxta vulgi morem, suscipienda erit anatomia. Ad quam, haud parvam lucem afferet, vini exemplum, quod infra anatomicè dissecuimus: & sanguinis nostri sub vino etiam dissecti, ob magnam utriusq: analogiam inter se, rem non parum enucleabit.

Ut enim vegetativum ab animali sumptum, varia concoctione in sensitivum cõmutatur, ut videre est in pane & vino, quæ in sanguinem convertuntur, sanguis verò in semẽ, ex quo generatur homo.

Haud secus mineralis liquor, radicibus plantarum & vegetabilium exceptus, & absorptus, vegetabilis redditur, qui tandem in hominem transeunt, istiusmodi animalibus vescentem: ita ut pro ratione liquoris, sulphuris & salis mineralis, vel sulphurei & salini efflorescant.

Atque sic in homine videre licet sales saccharinos nutrientes, sales nitrosos, amaros, acutos, purgantes ac mundificantes: alios marinos, instar balsami conservantes: alios gemmeos: alios aluminosos, ponticos & adstringentes: alios denique vitriolatos, acidos, esurinos, appetitũ & concoctionem excitantes.

In eodem humano corpore variæ prętereà reperiuntur aliorum liquorum species: quorum alii dulces sunt: alii amari, salsi, adstringentes, pontici, acidi, & id genus a[illegible] juxta variam sui mixtionem & quantitatem.

Reperiuntur porrò in eodem corpore tot bituminum, naphtarum, pinguedinum, resinarum, gummi, lachrymarum, atque id genus aliorum sulphurum species, quot superiorum liquorum aut salium. Ex quibus sulphuribus, alia odorifera & fragrantia, recreantia: alia fœtida & inficentia: alia papaverina ac soporifera: alia anodyna ac lenientia: alia septica & arsenicalia ac pestifera: alia vitalia & salutaria. Ad qua-

quarum rerum accuratam discussionem plus temporis requiratur, quàm ferat tractatus ratio.

Atque ex his liquet, quomodo spiritus omnes nostri, sive puri & ætherei, sive impuri, venis & arteriis corporis contineantur: omnesque corporis nostri liquores, sive utiles & nutritioni idonei, sive inutiles & excrementitij, ibidem inhæreant: ex quibus exhalationes omnes, & vapores sicci & humidi proficiscantur: qui in eodem corpore unà cum reliquis contineantur, & sæpè ipsum torqueant. Quomodo denique eiusmodi substantiæ *salinam*, *sulphuream & mercurialem* naturam possideant, metallicam proinde & vegetabilē: quarum aliæ dulciores & benigniores, naturæque nostræ magis familiares in hepate convertantur in sanguinē: cuius sincerior & purior pars, per venas in dextrum cordis sinum delata, ibique subtilior reddita, & in essentiam quintam calore cordis vivifico circulata, per totū corpus, ad omnia membra nutrienda, per *arterias* diffundatur: necnon in cerebro subtilior, ac cœlestior reddita, sensibus omnibus ac intellectui etiam prosit.

Aliæ verò impuriores & excrementitiæ suis locis peculiariter serventur, dum per emunctoria propria, purgando corpori destinata, abigantur: utpote *aliæ*, per halituosas transpirationes: *aliæ* per sudores: *aliæ* crassiores & sordidiores, cuti adhærendo: cum quibus simul & aliquid spirituum nostrorum, & caloris innati exhalat & evanescit: nec nō aliquid radicalis humoris, & vitæ nostræ nectaris pretiosissimi.

Hæc quidem evaporatio aut resolutio, si sensim & lentè, ac leni velut igne Balnei maris à natura fiat, ad senilem usque ætatem tandem facilè decurrimus. Si contrà præcipitanter & ab æstuante velut calore ac febrili, ardoreque colliquante: nec non motibus corporis violentis, ac animi perturbationibus, & affectuum dolorumque vehementia exprimatur ejusmodi exhalatio & dissolutio: hinc lipothymiæ, seu animi deliquia & syncopæ, symptomata morti quàm proxima consequuntur.

Etenim non tantùm constat microcosmus anima & corpore, hoc est, cœlo & elementis, sed principiis istis tribus, quibus constant elementa, in quæ à Chymicis apertè omne solutū corpus resolvitur: vel si crassi' exemplum desideras, quod ipsi rustici satis norunt; in ligno Mercurium, cùm aduritur, in auras evolare, sulphur incendi, & salem remanere in cineribus fateberis. Has præterea in ligni resolutione partes observabis. Porrò si cœlo constat microcosmus, uti in confesso est nunquid cœlum majoris mundi, naturæ minoris erit lumen, ut quid lateat in homine, ex majoris mundi proprietatibus & effectis apertè elucescat? Ut cœlum majoris mundi astris ornatum est: sic minoris, suis syderibus & planetis instructum est. Hinc fit, ut quemadmodum macrocosmi astra delinquunt, errant, aut etiam laborant: Sic astra homi-

hominis suis morbis divexetur. Hinc apoplexia microcosmi ex fulmine majoris mundi κατὰ συμπάθειαν demonstratur, Epilepsia, tonitruis cœli majoris: sideratıones coruscationibus, paralyses gelibus & glaciebus, tinnitus aurium, colici dolores ventis terræque motibus, catharri, hydropises hyadum & pleiadum copiosis pluviis in microcosmo lacum ex ejusmodi stellis & meteoris replentibus, siquidem ex *semine meteorico* quod resolvitur in pluviam, dum pluvia in imum cadit, & lacum efficit, hydropisis generatur, non quòd majoris mundi astra microcosmum offendant: sed quòd eadem sint astra in microcosmo, quæ in macrocosmo: ita ut sæpè dum errant majoris mundi astra, eodem tempore microcosmi sidera simul hallucinentur. Si hæc & singula quæque minutiùs expenderentur, unde morbi omnes nascantur in homine, apertiùs cognosceretur. In terra macrocosmi, varia fossilium, herbarum & arborum genera: Cur quoque in ea quæ microcosmi est, similia non animadvertantur? Si est in terra majoris mundi napellus, aconitum, aron, urtica, ranunculus, chelidonia, papaver, &c. ne dubites quoque in terra microcosmi, quæ ejusdem est essentiæ & proprietatis cum altera, accidentibus tantùm & formis differens, inesse easdem herbas essentia similes, quæ cùm florent, seu efflorescentias suas producunt, pestes, carbunculos, herpetes, pruritiem, scabiem, pustulas, icteritiam, lethargum, & alios tum internos, tùm externos morbos excitant.

Ex aluminibus, vitriolis, arsenicis, sulphuribus, aqucis, alij efflorescunt morbi, fistulæ, scrophulæ, anthraces, lupi, cancri, febres, variæque inflammationes tàm internæ quàm externæ, & id genus alia, quæ tamen etiam ex plantis, astris cœli, roribus aut mannis & mineralibus etiam oriri possunt, siquidem, ut sæpè inculcavimus, nihil est superius quod non sit inferius, & nihil inferius, quod non sit superius.

Disseca quæsò macrocosmum, hoc est, omnes ejus partes, ἐκφύσεις, ἀποφύσεις, productiones, flores, fructus, semina, diligenter examina, & similia omnia in microcosmo puta evenire: alioqui non potes esse medicus.

Cap. XXVII.

De principiis compositis & humoribus.

Principia hominis composita, è principiis illis simplicioribus commixta, sunt membra ac viscera humana.

Dicuntur principia quia ex illis constituitur homo ceu partibus integrantibus.

Mixta audiunt, quia è principiis simplicibus certa proportione mixtis coalescunt.

Suntque præcipua.

Ventriculus, qui respondet globo terreno.

Epar cum genere venoso, respondet lunæ.

Lien

Lien cum propriis venis fermentationi ac excretioni dicatis, resp. mari.

Vasa generatoria: uterus, vasa spermatica, mammæ, resp. Veneri ac matricibus macrocosmi.

Cor cum genere arterioso, resp. soli

Pulmones, cum vasis respirationi dicatis, resp. mercurio.

Cerebrum cum genere nervoso *Cerebellum* *Medulla spinalis.* *Musculi & ligamenta.*	Sensib⁹ ac motui dicatis respōd. ♄. ♂. ac ♃.

His adde, ossa ceu reliquorum fulcra: Humores, ac Spiritus. Et si placet excrementa. Bilem, Tartarum, &c.

Stellæ fixæ in homine peculiares officinas non sunt adeptæ, sed delitescunt in spiritu seu balsamo nativo hominis, emergunt autem nonnunquam & fructus suos in matricibus destinatis proferunt, sive id fiat in humoribus, sive in partibus solidioribus.

De Humoribus.

Humores in homine sunt substantiæ fluidæ, ex alimentis vi digestionis ob nutritionem hominis elaboratæ.

Suntque tum utiliores seu nutricij, tum excrementitij: illi sunt chylus, chymus seu sanguis venosus, sanguis arteriosus: Hi, humor melancholicus, Fel, serum, ac deniquesi placet viscosum phlegma, seu pituita unde tartarus:

Constant autem non minus ac res aliæ è principiis hypostaticis & elementalibus sub formam liquidam humanæ œconomiæ congruam subactis.

N. Ostensū est alibi, vegetabilia ac animalia in alimentum hominis destinata, in eius substantiam ac naturam cum suis principiis, quibus constabant, facessere, ita ut deglutita, concocta, & in chylum versa, ac in jecur, cor & cerebrum diffusa ac distributa, variis coctionum ac circulationum gradibus, tandem in spiritus naturales, vitales & animales, mercuriales, sulphureos ac salinos æthereos, ac spirituosos attenuentur & commutentur. Qua ratione alitur, crescit ac in statu suo conservatur homo ad prædestinatum usque terminum.

Hinc etiam trium humorum origo & generatio colligi & intelligi potest, qui tum ex horum principiorum, tum ex elementorum mixtione proficiscuntur. Qui quidem non secus inter se differunt ac varij sunt, sive perfectione, sive imperfectione, ac tria illa inter se principia diversa sunt, gradibusque perfectionis diffident.

Primus *humorum utilium*, chylus *est, qui in ventriculo & venis finitimis, præsertim mesaraicis, ex prima coctione elaboratur.*

Ipse Chylus tribus illis principiis constat, sed adhuc valdè impuris, unde prima nutritionis rudimenta extant: eaque est prima digestio ac separatio puri ab impuro trium illo-

rum principiorum formalium, triumque elementorum materialium.

Chymus.

Secundus *est*, sanguis, *primo coloris concoquentis gradu iecoris ac venarum ex chylo nascens, qui succus est ἔνχυμος.*

Hinc secunda quædam cōcoctio, ac puri ab impuro separatio formalis tamen ac materialis essentiæ oritur, quæ prima cōcoctione ac separatione longè subtilior ac nobilior est.

Tertius humor *is est, qui variis circulationum reiterationibus calore cordis admodum vitali celebratis, perfectione coctionis alios duos longè lateque superat, qui humor vitæ alimentarius aqua vitæ sulphurea ac radicalis dici potest:* N.1. Hic quidē per arterias in totum corpus dispergitur, in eiusque substantiam convertitur: ex perfectissima omniū aliarum concoctione, quæ tertia est, eaque vocatur assimilatio nutrimenti & nutriti.

Hunc certum est humorem maximè trium principiorum puritatis esse participem, speciemque rectificatæ aquæ vitæ animalis præ se ferre, quæ ab omni passivo elemento vini animalis, hoc est, sanguinis, secreta sit. Sanguinis n. quem iam diximus secundum esse humorem utilem (quemque cum vino depurato ac defæcato comparabimus) quòd à majore & impuriore parte sui terrestris tartari expeditus sit, hujus tria etiam principia Chylum puritate superant, ac ex illis tertia coctione ac digestione eliciuntur, *aqua vitæ sulphurea* animalis: spiritus æthereus ac subtilissimus: nec non sal varijs etiam circulationibus ac coctionibus naturalib' depuratus ac attenuatus.

N. 2. Sanguis per venam cavam in cor usq; delatus (qp veluti Pelicanus est naturæ, aut vas circulatoriū) subtilius adhuc concoquitur ut veluti quintæ essentiæ, aut aquæ vitæ sulphureę ardentis vires assequatur, quę emphyti & symphyti caloris origo est. Eadem aqua vitæ per arterias in cerebrū deportata, illic rursum in reti admirabili circulationibus exaltatur: ibiq, in spiritum vere æthereum ac cœlestē cōmutatur, unde spiritus nascitur animalis, animæ præcipuum instrumentū, eo quod ad ipsam spiritualem naturā magis quam duo reliqua principia accedat.

His extractis, quod restat in sanguine (ut in vino) *aqua est insipida*, ac *feces sulphurea & tartarea impura*, quæ ex elementis prodeunt materialibus. Eiusmodi in sanguine sunt *pituita, frigida & humida mercurialis, bilis flava*, calida & sicca sulphurea, & *melancholia* seu *atra bilis* non frigida sed calida & sicca salsuginosa, quæ sunt excrementosæ partes puriorum illarum substantiarum.

Nec tamen prorsus ex iacent inutiles, siquidem ex activis triū principiorum tum elementorum qualitatibus nonnihil retinentes, quatenus materiatæ sunt, ad aliquid conducunt.

Bilis, quatenus nitrosulphurea est, calidissima & amara, præsertim ea quæ fellea est, exundans ex sua cystide in capacitate intestinorum, expultricem facultatem ad deiiciendum provocat. N. Bi-

N. Bilis nitrosulphurea sulphuri nitroso respondet, vel naturam salis gemmæ refert. Hæc in cystide fellea, ad cavum jecoris receptaculum suũ & sedem habens, longe crassior humor est, quam humor melancholicus, utpote sulphuris nitrosi habitum retinens, tartarei, oleaginosi, viscosi & densissimi, ut quæ non tantum externo ignis calore prompte condensatur: sed immodica etiam caloris hepatis intemperie, coagulatur & induratur, tota fermè in tartaream consistentiam, silices & nigros lapillos referentem.

Pituita verò acida & mercurialis fermentationi, & appetitui excitando utilis est.

Cui etiam rei non inepta est *melancholia*, quæ acidi humoris sanguinis veluti fæx est, analogiam quandam habens ad acetum ex vino factũ. Primæ enim ciborum contritioni ac concoctioni inservit, virtute ignis cujusdam interni & vitriolati in hujusmodi humore acido delitescentis, qui à calore ventriculi fulcitatus ac irritatus, promptè ac expeditè cibos conficit, ac destruit, & tanta vi interdum absumit ac devorat, dũ superabundat, ut famem caninam aut lupinam plerunque inducat. Sed placet de hoc aliquantulum fusius agere.

De humore Melancholico.

Humor Melancholicus est sanguis ob deperditum spiritum æthereum acescens, idq; fit simili planè modo quo vinum ob deperditum spiritum æthereum acetum evadit.

N. 1. Quomodo sanguis spiritu suo æthereo privetur docet sanguinis circulatio, qua idem destitutus spiritu suo æthereo, utpote qui in partium nutrimentum cessit, per venas reducitur. De quo c. 28. n. 2.

Melancholia acetosis & ponticis qualitatibus prædita satis vitriolati & aluminosi naturam refert.

Nimirum vitriolum & alumen quidem sunt instar ignium terrestrium, aereis & æthereis ignibus ita oppositorum, ut aqua vitæ nulla arte extrahi possit. At si quid primò ex eo prolicitur, illud propè insipidum phlegma est, à quo corrigitur, & velut coercetur. Cujus consortio si fuerit privatum, eam acrimoniæ violẽtiam adipiscitur, ut saxa, nec non ipsa metalla vel densissima & solidissima perfringere ac erodere valeat.

A simili ratiocinandum est, humorem videlicet melancholicum, à proprio phlegmate spoliatum, eam acerbitatis & acrimoniæ vim contrahere, ut desinat censeri amplius naturalis, ac præter, imò contra naturam haberi: ut quæ omnium acerbissima, gravissima & exitialissima in corpore humano symptomata inducat. Siquidem aquæ fortis ex vitriolo, alumine & nitro conflatæ, naturam redolet: cujus etiam effectus imitatur. Siquidem ea modò orexes, modò caninam famem aut rabiem excitat, cum ea in ventriculo congesta furit & insultat: modò melancholiam illam, quam ex hypochondriorum ardore, sublimato illo humore, hypochondriacam vocant: unde

ex menyngum & pericranii, ab illo humore, invasione, mens perturbatur & delirat: modò per anarrhopen sursum sublatus humor: modò per catarrhopen deorsum, varia, eaque prodigiosa & stupenda testimonia de se exhibet. Qui quidem effectus siccitati, humiditati, frigiditati aut caliditati humorũ nõ sunt arrogãdi: sed caussis illis omnib⁹, ad quas supra ejusmodi affectus revocavimus, ut ab exemplis propositis cognosci potest.

Ita ut hinc inferam (quod pace magni illius Galeni, celebriumque ejus sectatorum dictum sit) iniquè humorem hunc melancholicum cũ fœce vini & amurca olei conferri, cujus receptaculum splen constituatur. Siquidem hujusmodi humor nunquam in liene seorsim deprehensus est: quùm nullum in liene à natura proprium destinatum sit istius humoris phylacium, quale bili in fellea cystide ad jecur designatum est: ut ejus opera in jejunium intestinum exundantis, tanquam ab aloë provocata expultrix facultas, aut à rhabarbaro cholagogo, corpus humanum vitiosis humoribus & crassioribus excrementis quotidie repurget. At non sic spleni consultum est: in quo quidem, etsi acetum sanguinis naturæ liquidæ, non autẽ terrestris (quod de melancholia naturali dictum velim) ingeneretur: nuspiam tamen crassum & fœculentum quid aliquam illius partem propriam occupat: quin per totum ejus spongiosum corpus diffunditur, ut sic corpus ejus, hoc humore acido & acri perfusum, tanquam fermento, in raram & spongiosam naturam attollatur: ut in pane videmus fieri, qui fermento maceratus attenuatur, ac levior ac spongiosior redditur, quum secus futurus esset gravis, dẽsus & ponderosus, si eo destitueretur.

Vt autem acetum vini non, nisi post deperditum, aut separatum spiritum (quæ volatilior est & sulphurea atque mercurialis vini essentia) fieri potest: quod idcircò acescit, cò quòd salem solùm armoniacum, volatilem & acrem, nec non vitriolatũ retinuerit: quem sibi semper habet latenter conjunctum, à quo qualitatem & vim obtinet longè aliam, quã frigidam & siccam, sed modò dirimẽtem & resolventem potiùs ea, quæ duriora, & fixioris ac solidioris sunt substantiæ: modò coagulantem, quæ mollioris & magis spiritualis sunt corporis, ut alibi apertè demõstravimus. Sic etiam humorem melancholicum in corpore nostro dissipata priùs dulciori & suaviori essentia, acescere certum est: & easdem facultates, quas acetum, non frigidas & siccas, sed longè potentiores à sale suo obtinere, & in actum tandẽ producere.

Omnis autem melancholicus humor, quatenus humor est, crassum quid aut terrestre dici non potest. Fluidæ enim & liquidæ naturæ esse necesse est: nec à terrea natura, calcina-

natione & aduſtione, acrimoniam, quam in ea deſcribim⁹, nigredinem, acredinem, fermẽtationem aſſequitur: ſed à mixtione ſalis cujuſdam armoniaci, volatilis, ſubtilis atque aeris acidivè ac vitriolati, quem in ſe ſolutum continet, quique eſurinus & provocando appetitui condimẽti loco eſt: & ignis naturæ admirandæ proprietatis concoquentis, digerentis, devorantis, abſumentis, aliaſque id genus functiones obeuntis intra momentum temporis, quas nullus alius ignis, ſola caloris qualitate & vi, vel intra longum temporis ſpatium præſtandi vim habeat.

Tantùm itaque abeſt, ut huiuſmodi melancholia, fœx & amurca dici debeat, omniumque humorum craſſiſſima ac maximè terreſtris: qualis nobis depingitur, (citra tamen experimentum, quo talem in liene deprehendi conſtet.

Prætereo quod ex melancholia, in liene comprehenſa, calculos coagulari ac indurari (ut bilis in felle ferme tota indurari poteſt) nullo experimento comprobatur: qui tamen lien, ſi interdum *obſtructionibus* ſcateat, unde *ſcirrhi naſcantur*: nequaquã humori melancholico ſimpliciter huius rei cauſa tribuenda eſt, ſed variis aliis impuritatum & tartareorum aliorum humorum mixtionibus: ex quibus in hepate etiam, aliiſq; viſceribus, hujuſmodi *ſcirrhi* generantur.

Cognitio humoris melancholici ex anatomia ſanguinis.

Docuimus alibi, quomodo è vino eliciatur ſpiritus æthereus, aliæque variæ ſubſtantiæ, quales ſunt acetum, & ex hoc liquor acidiſſimus ex fecibus liquores mordaciſſimi, ſpiritus nitroſiſulphurei, feculenti, &c.

Simili proſus ratione artiſta ſedulus, naturæ, quæ omnem humanæ philoſophiæ perfectionem multis paraſangis tranſcendit, imitatione, ex maſſa quoque ſanguinis dulciſſimi extrahere novit aquam vitæ cœleſtem, ac cum nectare noſtro vivifico, conſentaneam. Ut & ſeroſam quandam ac inſipidam humiditatem (phlegma vulgò dictam) quin etiam liquorem ſimpliciter acidum, quiq; eadem planè, qua de vini aciditate dictum eſt ratione, in acidiſſimam ac penetrantiſſimam elevari aciditatẽ poteſt. Qua ſeparata ex maſſa eadem, emergere videbit feces nigras, acres & corroſivas. In quibus diverſis ſubſtantiis ſpiritus varii (non aliter ac de vino dictum eſt) vaporoſi, halituoſi, aut ſulphurei, fuliginoſi, ſalſuginoſi, acidi, dulces, acreſque continentur. Qui ſi admirabili naturæ vinculo & harmonia invicem colligentur, tantùm abeſt ut in naturali œconomia turbas ullas dent, ſeditioneſve moveant, ut potiùs animæ noſtræ vehiculum, & corporis vinculũ exiſtant arctiſſimum.

Quando verò dulcis illa humorum harmonia interpolatur, illique temperaturæ terminis egreſſi, vires ſigillatim poſſident in ſummo gradu excellentes, nec mutua activitate retuſas:

tusas: naturæ inprimis obsunt, eáque de suo statu dejiciunt. Et hæc est illa *ἀμετρία*.

Hinc fit ut Hippocrates *l. de veteri Medicina* supra citato, terminis *Acidissimi, Dulcissimi, Amarissimi*, nihil aliud q̃ immensum spirituum robur, naturæq; noxium innuere voluerit, cùm inferius subjungat: *Atque hac quidem mixta, ac inter se temperata, neq; conspicua sunt, neque hominem lædunt*. Item. *Vbi verò quod horum secretum fuerit, atque ipsum in seipso fuerit, tunc & conspicuum est & hominem lædit.*

Cognitio humorũ melancholici ex anatomia aceti.

Acetum simplex, non parum habet, cum humore acido melancholico corporibus nostris insito, similitudinis & convenientiæ: verum quoniam sufficiens humoris istius melancholici copia, vix ac ne vix quidem haberi potest: ad opus chymicum moliendum: à natura animali ad vegetalem transeamus, ut utriusque collationem, aceti nimirum & prædicti melancholici humoris, ne dum in solo gustu, sed in aliis etjã amborũ facultatibus, aperiamus.

In primis igitur acetum ex liquore omnium suaviore, dulciore, magisque nutritivo, & naturæ familiari elicitur: vino nimirum, nec vino tantum, verum etiam cerevisia, hydromelite vinoso, & quovis in summa nutritivi humoris genere. Acetum hoc ergo commune licet è vino fiat, alimento plurimùm nutritivo, minimè tamen vires naturæ lapsas reparat, eò quod spiritu vitali spolietur: in quo præsertim facultas illa inest spiritibus nostris cõsentanea, & ad nutriendũ accõmodata.

Inde fit ut quidam, quorum princeps est Galenus, acetum vinum mortuum appellent, nec idcirco tamen liquor ille naturalis esse desinit, quàm plurimis naturæ aptus intentionibus: sicut inter alia appetitui exacuendo: ut taceam, quod & citra noxam bibatur.

Huic aceto vegetabili, qualitatibus respondet humor corporis nostri, melancholicus dictus: qui naturali à sanguine proveniens, licet ut sanguis minime nutriat: tamen aceti instar alios haud exiguos in naturali œconomia præstat usus.

Ac inter cæteros, ex liene per vas breve & venosum ad ventriculi interiora delatus, aciditate, vel potiùs acidis quos continet spiritibus, ventriculi orificium superius, numerosa nervorum serie ex sexta inprimis conjugatione propagata coronatum, vellicando, primo sensum excitat, hoc vero ipso dein appetitum animalem exacuit.

Cæteras vero quas habent conformium qualitatum inter se similitudines, sciens prætereo.

Hujus aceti aciditas, per artem, solo mediante balneo Mariæ, miris modis intenditur, diciturque tunc acetum destillatum, quod & ipsum phlegmate suo liberatum, in longè majorem acrimoniam vimque ascendit dissolvendi. Qua destillatione perfecta, feces colore nigro ac sapore

pore acerrimo in fundo residentes, tantam corrodendi vim possident, ut de spiritibus salis, ac tartareis, maximè corporalibus ac causticis participare, haud obscurè intelligantur.

Simili planè ratione natura à nemine edocta, & ad cujus imitationē ars quicquid laude dignum præstat, molitur, hypochondriorum calore balnei teporem sæpènumero longè excedente, in separatione substātiarum liquoris hujus acidi naturalis, succi videlicet melancholici, ac cum aceto vegetabili, plerarumq; qualitatum similitudine participātis, partibus tenuioribus magisq; aëreis evaporatis, progreditur: ipsumq; quodammodò, ut Hippocratis verbis utar, commutat in acetum destillatum acidissimum, tantoq; dissolvendi ac consumendi robore præditum, ut momento quasi atterat solidissima quævis, ac loco naturalis, caninam expetentiam excitet.

Feces verò hujus humoris melācholici in separationis fundo residētes, tam colore nigro quàm proprietatib. reliquis, acrimonia inprimis, aceti feces æmulantur. Estq; hic humor atrabiliarius dictus maximè cōtra naturam, morbos generans ut curationis longioris, sic symptomatum vehementia famosus.

Atque in his quidem Analogia & proportio aceti vini vegetabilis, cū sanguinis aciditate consistit. Principalis verò noster hoc loco scopus est, ostendere, acidam qualitatem remissiorem aceti simplicis, intensiorem destillati, intensissimam verò ac planè erodentem secum: nec ab excessivo calore aut frigore, neq; etiam intensiore dependere aciditate vellicante, sed à quibusdam potius spiritibus, quorum alij quidem natura acida vellicanteq; sunt præditi, alij verò qualitate salsuginosa eaq; mordicante & erodente.

Illi porrò spiritus in suis matricibus, sive liquore & fecibus prædicti aceti delitescunt: quorum facta separatione, manifestum evadit, facultates seu qualitates dissolventes supradictas, neutiquam à materia seu qualitatibus elementaribus, sed à sola procedere forma seu spiritibus, quæ cum non magis in separatione partiū aceti, quàm ipsius aciditatis sanguinis nostri, locum habere ostendantur: non immeritò similes quoq; ex utrisq; conclusiones elicimus.

Galeni sententia circa miros aceti effectus improbatur.

Profectò si Galenus (vir alioqui ingenij ac subtilitatis miræ) voti sui, quod ex *cap. 19. libr. 1. de simpl. Medicam facult.* colligi potest, compos factus fuisset, sicq; modum separandi diversas in aceto substantias, nō minùs quàm mulierculárum vulgus in lacte, caseum à butyro & serositate reliqua facili negotio separantium, deprehendisset, aut saltem spirituum dictis substantijs inhabitantium diversitatem: tāto profecto cum labore ac ingenij defatigatione, frustra indagine suscepta, acrimoniæ, aciditatis, visq; in aceto dissolventis causas, in nudis calidi & frigidi qualitatibus, 20. 21. 22. & 23. *capitibus libri citati minimè collocasset.*

Demonstrationis autem nostræ initiũ ducamus à fecibus, post aceti destillationẽ in fundo vasis residuis, humoriq; atrabiliario simillimis.

Aceti destillatio quomodo fiat. Harum fecum si libram vel amplius in retorta vitrea, cum recipiente probe lutata aperto igne (qualis ad oleum vitrioli crassius extrahendum adhiberi solet) destilles: ascendentes primum videbis spiritus crassos, ac instar nubis spissos, ac consequenter corporeos, qui citra ignis diuturnioris ac continui violentiam planè separari nequeunt: paulò post verò in oleum seu liquorem, mordacitate ac qualitate caustica, nec ipsi oleo vitrioli cedentem, ambientis ipsos aëris frigore densari conspicies.

Terra in fundo remanens, salsedinem quidem aliquam, ad horum tamen spirituum igneam quasi penetrandi ac dissolvendi vim minimè accedentem, nanciscetur.

Vnde carcinomata producantur. Similes planè terrestres spiritus in atra etiam bile continentur, fecibus nimirum liquoris acidi, aut melancholię naturalis: quos ob naturarum similitudinem, spiritus appellamus corporeos, vitriolatos, qui cerię in ijs quos Carcinomata infestant, carnem, & ossa quotidiano morbi incremento, arrodendo depascuntur.

Quod verò spectat ad spiritus aceto destillato immersos, cum illi subtiliores naturæq; magis existant aereæ, eorum separatio eatenus est difficilior, quatenus sub oculis subjici non potest. Expertus tamen Chymicus cujus sapientia & artificium ad ardua quæque extenditur, eosdem sine multo negocio eliciet.

Quomodo acetum sua aciditate spolietur. Fit autem sumendo unciam circiter unã salis Tartari purissimi, huicque in alembico super infundendo unam aut alteram librã aceti destillati optimi. Ac destillatione gradatim lento igne suscepta, dictum acetum omni aciditate viq; dissolvendi spoliatum destillare videbis, sapore ab aqua communi non differente. Eò quòd spiritus salis acidi vitriolici, à quibus veluti subtilissimis omnem suam virtutem mutuabatur, & à quibus præterea aliter secerni non poterat, ejusdem salis Tartarei beneficio retinentur: natura quippè simile simili gaudet, prout anteà declaravimus. Acetum tamen quod inde dilabetur, eandem prorsus quam aqua dulcedinem retinens, parum admodum de sua imminuet quantitate De libra namque una aceti pauca solummodò grana salis volatilis & acidi detrahentur, quæ totam illi dissolvendi virtutem & aciditatem, in prędicto sale tartareo remanentia, suppeditabant.

Simili planè ratione aqua vitæ optima, multiplici rectificatione (sic mihi per artem loqui liceat) naturã quodammodò igneam vel aëream adepta, omni tamen virtute ac robore exui potest, ita ut instar aquæ fontanę destilletur prorsus insipida. Philosophica nimirum id præstatur destillatione, detrahendo ei spiritum ac sal armoniacum, sulphurulentum, & igneæ naturæ seu æthereæ: licet ex integra aquæ vitæ libra extractũ, paucula grana non superet. Atque hoc

hoc armoniacum sal, sulphureum, volatile, ac spirituale, à verò philosopho ad tantam activitatem perduci potest, ut solidissimum etiam metallum, radicali interim ejus humido minimè destructo, in momento oculi calcinet. Hic namque est ignis naturæ cœlestis, animans & vivificens, igni nostro communi destructori è diametro oppositus.

Horum ergo spirituum ex diversis vini partibus (aceto nimirum, aqua vitæ, ac fæcibus reliquis) extractorum, excellentia, agendiq; in primis robore demonstrato: In massa quoque corporis nostri sanguinea pari ratione non solum tres humores, numero distinctos, verum ejusdem insuper planè cum dictis, naturæ, roboris & efficaciæ, contineri dicimus.

Massa sanguinis diversos humores continet.

Cap. XXVIII.

De Actionibus internis.

Actiones in homine internę sunt *Vivificatio, Nutritio, Sensus, Motus, Imaginatio, & Superfluorum excretio.*

N. 1.

Vivificatio fit ab anima, sive vita naturali, quæ spiritum igne suo vitali accendit, adeoque in actum collocat, aere attracto, & adaptato ventilata & enutrita.

Modus hic est: Aër attractus per nares, & os (in quibus nonnihil alteratur) deducitur in pulmones, ubi vi borum aliquantulum temperatur, & flammæ vitali, quæ sanguini arterioso seu spiritui inhæret, ventilationis ac alimoniæ causâ surrogatur: Reliquum ceu inutile ejicitur foras, & exhalat per expirationẽ. Flamma hac ratione nutrita, ac ventilata, micat in totum corpus, idque vivificat, id est, actuat, micare facit, lucidum reddit, non secus ac flamma seu ignis candelæ vitam elargitur.

Vivificationi igitur inservit 1. Respiratio, qua aer & cum aere spiritus in aere attrahitur, alteratur, depuratur, & flammæ vitali ventilationem ac nutritionem præbet: reliquum ceu inutile per expirationem excernitur.

2. *Pulsus est actio, constans systole ac diastole, inserviens sanguinis attractioni ac expulsioni.*

N. 2.

Nutritio est actio, qua microcosmus destinatis officinis nutrimentum sibi coquit & assimilat.

Nutritio fit ex alimentis; cibo ac potu extrinsecus assumpto. Hi per œsophagum in ventriculum demissi, inibi convertuntur in Chylũ. Chylus is delabitur in intestina, ubi separatio fit fecum crassiorum & materiæ nutritioni aptioris. Illæ excernuntur per anum; hæc venas mesenterij subit lacteas dictas, & ad Pancreas ejus rapitur subindeque magis defecata ad hepar deducitur, coctionis secundæ focum. Hic digeritur ulterius Chymique nomen suscipit. Ex jecore effunditur in venam cavam, & per hanc in cordis thalamum dextrum. E sinu hoc dextro per venam arteriosam in pulmones ele-

vatur, unde imbutus spiritus, ceu aëris portione utiliori, (inutilior enim per expirationem excernitur) ad vitæ ventilationem & nutritionem necessaria per arteriam venosam in cordis revertitur thalamum sinistrũ. Hic elaboratur exacti⁹ & exprimitur subinde in arteriam magnam. Hinc per bipartitum ejus ramum pars sursum, pars deorsum vergit: utraque ad partium singularum nutritionem & vitam elargiendam. Nimirum q.s. in arterias minores destinatas transfertur, è quibus nutrimentum suum partibus singulis acquiritur: attrahunt enim singulæ sibi familiare. Reliquum regurgitat, transitque in venas per anastomoses, reduciturque denuò tum ad venam cavam, tum ad portæ venam dictam. Quinimo, quia sanguis hic spirituosiore sui parte aliquatenus privatus ad acescentiã vergit, id quod acidiusculũ est, ad lienem defluit, & in naturæ fermentum cedit, quo decoctiones facilitãtur. Vide infr. de humero melancholico. Et si placet de circulatione illa sanguinis, acutissimũ Harvejum lib. peculiari de motu cordis & sanguin's: nec non clarissimam Wallæum Profess. Leidensem Epistolis super hac re doctissimis ad Thomam Bartholinum.

Nutritioni subserviunt sequestrationes, & appetitus. Sequestrationib. partes inutiliores ab utilioribus secernuntur, ac nisi natura impedita fuerit per emunctoria sua excernuntur.

Variæ hæ sunt, pro diversitate officinarũ & excrementorũ differentes, excretio sc. 1. fecum crassarũ, spiritu fœtido ac inflãmabili (sulphur vocãt) refertarũ. 2. serosi liquoris sale volatili, fixo ac olei tãtillo gravid, iq. partim in regione prima, & venoso genere partim in secũda & arteriarũ cavitatibus separatur, separat⁹q; nomine sudoris, vel urinæ excernitur. 3. Biliosæ feculentię, sale amarissimo fœcundę, quæ in jejunum intestinum exudans excretricem irritat. 4. catarrhorum, q in capite seu capitello destillatorio cõdensantur. 5. Ceriminum i.e. sordium ad aures defluentium. 6. halituum per insensilem trãspirationem exhalãtium. 7. Sanguinis acidiusculi, terrestris, ac vitriolici, q è nutritione redundans, & à liene raptus, partim adhibetur nutritioni quarundã partiũ, partim fermentationi chyli, partim quoq; in venas mesaraicas secernitur, per hœmorrhoides, excernendus. 8. Sanguinis menstrui, qui toti corpori expurgando à natura inter cętera emunctoria destinatus est. Nimirum fermentatur, ac fervescit sanguis in mulierib. ad lunæ cursum, nõ secus ac mare ad ejusdem cursũ fervescit ac commovetur, qua fervescẽtia tũ impurior sanguis à puriore separatur, adeoq; sanguini insignis puritas, & summus vigor conciliatur; tũ sobolis partus juvatur. Eodem sanè modo, quo maris fervescentia terræ matricibus humorem sequestratum communicare videtur, quo partus inibi metallorum & cæterorum promoveantur.

Appetitus est desiderium alimenti à spiritibus esurinis excitatum.

Rese-

Referunt Doctores Dogmatici appetitus destructionem oriri, vel ex nimio calore ventriculum & spiritus esuriei deservientes, in coque habitantes exsiccante; vel à nimia frigiditate, eosdem spiritus congelante; vel ab obstructione partium, qua spiritus illi per suam sphæra vagari prohibentur, & munus suum obire. Has causas jure merito censemus admittendas, siquidem experientiâ quotidianâ docemur, in extremis caloribus appetitum languere, ut sitibundos in hepate spiritus ad potum ex acui: Sic nimio frigore internas partes congelascere, easq; tartareis fœcibus ac lapidosis, quas illi pituitosas vocant, interdum involvi & obstrui. Quæ cum vera sint, causarum tamen istarum veritas, ad externas intemperies simpliciter non est referenda; sed ad internas potius corporis humani, suorum tunc astrorum intemperiem, & influentias sustinentis. Quin & obstructiones, quibus eæ partes scatent, modò sensim, modò uno momento genitæ (ut in infantibus vix natis, jam grandiores vesicæ lapides ferentibus, videre licet) à spiritibus tartareis aut mineralibus: vel sensim (ut cum paulatim crescente frigore tandem aqua congelatur) vel uno momento (ut cum ad gelidissimum unius noctis astrum, flumina conglaciantur) procreantur, & motum partium illarum, fluxumq; spirituum cohibent: quo fit ut appetitus vel sensim, vel uno momento pereat.

Ubi igitur non est appetitus, ibi neque attractio: ubi nulla attractio, inanis est quoq; retentio: retentione verò vitiatâ, digestionis quoque vanus & irritus erit conatus, sicut & similiter excretionis. Hæc est aurea illa Homeri catena, continuis vinculorum annexionibus absoluta, ex qua colligi potest, quòd, si facultatum una aberret, alteram quoque statim vitiari ac perverti, necesse sit.

Instrumentum autem sive motor primarius omnium harum facultatum, hoc sese ordine subsequentium, est ipse appetitus, excitatus ab humore acido sive melancholico, qui per meatum splenicum, à medicis vas breve & venosum appellatum, transmittitur in ventriculum, ut vulgaris medicorum fert opinio: Ubi potius hic statuendi sint spiritus famelici sive famem inducentes, acidi & vitriolati, qui exhaustis & consumptis alimentis, adeò ut nulla amplius residua sit materia, in quam ipsi actionem suam, id est, rosionis ac mordacitatis vim exercere queant: superius ventriculi orificium (quæ pars corporis exquisitissimo sensu prædita est, ut in quam implantati sint duo rami, è sexto nervorum pari seu conjugatione derivati) adoriuntur, idq; spirituali sua aciditate stimulant, vellicant ac pungunt. Ex qua vellicatione seu lancinatione excitatur sensus, ex sensu appetitus, ex appetitu fames, quæ ex iisdem famelicis spiritibus provocata ac producta existit: Hi enim sunt ipsi, qui esuriunt & sitiunt, & qui post absumptam alimenti ac ciborum materiam,

teriam, confestim aliam novam appetunt, quam attractam acida sua & mordaci dissolvendi ac conterendi facultate confringunt, quæ dissolutio ac contritio, postea à medicis appellatur cõcoctio sive digestio. Hac dissolutione sive digestione peractâ, quæ quinq; aut sex potissimum horis absolvitur, alimentosæ substantiæ fit conversio in chylum, idq; mediantibus famelicis istis spiritibus, aut igni naturæ potius formali, quàm materiali: Quam concoctionem ad hunc modum factam, nullus alius calor externus sive igneus, quãtumvis vehementissimus ac ferventissimus, vel per plurium etiã dierum ac septimanarum durans spacium, perficere unquam posset. Cum verò hi spiritus esurientes à suarum functionum officio impediuntur, sicut id fieri facilè potest à causis suprà dictis ubi videlicet appetitus fuerit depravatus, vel prorsus etiam abolitus, fit tandem, ut licet omni manducandi desiderio sublato, fame prorsus nulla urgeatur homo: tamen sine ulla ciborũ ingestione vivere possit: nec aliunde accipiat vitæ producendæ fomentum, nisi à solo isto vivifici nectaris fonte, & vera aqua vitæ, remanente ac residente in sanguine, jam in ipsis venis & arterijs contento: Quæ aqua vitæ, cum sit spiritualis aëreæque substantiæ, ab aëre quoque, quem quotidie haurimus & inspiramus, fovetur & alitur: ab eoq; à suffocationis & extinctionis periculo custoditur: unde illa, veluti ignis suaviter accensus, ad tempus etiam diuturnum, vitalem calorem benignè fovet ac sustentat, & ita consequenter vitam prorogando conservat: in tantum temporis spatium, quò major aut minor illius fuerit copia, in quantitate & qualitate. Ubi necessariò quoque requiritur, ut vasa illa, (quæ aquam hanc divinam continent,) sint optimo & Hermetico sigillo occlusa, hoc est, ut venæ, arteriæ, & ipsa corporis substantia, ne sit plus justo densa aut rara, aperta & perspirabilis: aliàs enim inde sequeretur aut tardior, aut celerior spirituum attractorum, expiratio & dissipatio.

Cognitio nutritionis, adeoq; humorum utilium ac inutilium ex anatomia vini.

Totam œconomiam nutritionis & exinde genitorũ humorum optimè illustrat historia de vino, quam exempli loco declarare libet quo ad certam, perfectamque earum rerum cognitionem quivis attentus pervenire queat. Nec magni hic facimus præsumptiones, rationes probabiles, vel etiam authoritates, sed demonstrationem nostram in ipsis sensibus fundabimus, ut & ea quæ à nobis dicta sunt, & videri possint. Cui si quis porrò obstinatiùs contradicere non erubescet, illud Averrhois occinemus: Plus valet unica experientia, quàm plures rationes. Experientia autem fit sensu: & qui sensum negat ille pœna sensus (ut ne quid gravius dicam) dignus est. Quid? quod ipse quoque Aristo-

ristoteles omnis demonstrationis, etiam illius τοῦ διότι fundamentum in sensu esse dixerit, quis huic porrò repugnare audebit?

Ergo exemplo assumamus vinum, cùm & illud exempli loco sumpserimus alibi. In hoc quàm quæso, apertè, quamque manifestè apparet, ejusmodi separationes, & excrementa fieri? & propria quidem sua natura hoc facit, ut tantò faciliùs ex analogia hac quam habet cum nostro sanguine constet natura alterutrius, atque utriusque.

Ex depuratione enim vini cognoscimus anatomiam vitalem nostri sanguinis: ex eadem innotescit quinam sint spiritus nostri innati, ætherei, ut & calor noster nativus, & humor radicalis: quæ duo corpus nostrum fulciunt, vitamque tuentur, & quorum adminiculo alter alterius opus habet: cùm humidum illud radicale sit pabulum ac fomentum caloris, atque idem hic calor illius humidi beneficio subsistat. Ita hæc duo undique spiritu perfusa, & quasi connexa, diffunduntur in omne corpus.

Eodem hoc exemplo innotescet distinctio humiditatis vitalis nutrientis, ab inutili, & excrementosa.

Denique constabit in effluentium genere, quænam sint humida, & quæ sicca; quæ ex ijs naturæ nostræ obesse, aut prodesse possint. Ex qua quidem sanguinis anatomia plus proficiet (ut ego quidem arbitror) docilis lector, eo ipso, quòd & humores illos quatuor, ex quo sanguinem constituunt, referamus & certa quadam analogia conferamus. Sed ad rem tandem accedamus.

Quando igitur vinum paratur, uvæ torculari primùm exprimuntur racemi, at pelliculæ & acini separantur, abjiciunturque. Mox sordibus, & recrementis inutilibus, partim hominum industria, partim ab ipsiusmet vini natura rejectis: Vinum in cados infunditur, atque dolia. In his digestione facta atque ebullitione, simul etiam fœculentas illas crassioresque superfluitates suaptè vi separat atque ejicit. Quo facto, vinum jam ferè factum est, & potui aptum, atque nutritioni. Prima illa vini artificiosa præparatio (quæ vinaciorum separatione, & expressione fit), nobis repræsentat quodammodo præparationem frumenti, in qua & farina, & palea separata, reliquum in farinam conteritur, ut nutritioni magis fiat idoneum: ita in ore nostro prima fit separatio carnium ab ossibus, & talium ejusmodi. Expressio autem fit ore, atque dentibus: mox masticatione ritè peracta cibus in ventriculum devolvitur, ubi est prima nutrimenti nostri præparatio analoga cum prima illa vini atque frumenti; respondetque id, quod stomacho committitur, ei vino, quod in dolia primùm infunditur, & farinæ jam factæ. *Concoctio.*

Dein-

Deinceps in ſtomacho altera fit naturæ operatio: Illud enim quod concipit ſtomachus concoquit, digerit, hoc eſt omnis generis ſimul mixtos cibos, ſicut vinum in ſuo dolio, aut aliud quodvis genus potulenti, ex melle, fructibus, hordeo, aut aqua, cui varia incoxerint, parati. Stomachus itaque dolium illud naturæ eſt, in quo non tantùm ei demandata materia coquitur, atque digeritur, ſed ab ea quoque ſeparantur fœces tartareæ, & quicquid in eo eſt excrementitij per ductus à natura ad id deſtinatos. Tandem multa purificatione peracta ſanguis fit depuratus, rubeus fons & origo ſpirituum vitę noſtræ: haud ſecus, ac vinum ritè purificatum cæteris ferè, quæ nutritioni, ac reſtaurationi vitæ noſtræ deſerviunt, præfertur. Sed pergamus.

Concoctio 2. Ex hoc vino arte & vel leviſſimi caloris interventu per vaſa circulatoria, ut vocant, extrahitur ignis naturæ, quem comitatur humidum radicale: nempe aqua vitæ, ignea prorſus, atque ætherea, ac verè eſſentia quinta, tota ſpiritualis, & naturæ ferè incorruptibilis. Simili prorſus ratione, beneficio ignis naturæ, & per circulationem quæ à calore cordis atque hepatis fit, elicitur ac generatur in nobis ignis ille vivificus, ſtipatus atque fotus proprio ſuo humore unctuoſo & radicali, qui eſt aqua vitæ, ac verum atque vivificum illud nectar, quinta eſſentia, & ſpiritus æthereus ferè, incorruptibilis fautor atq; conſervator vitæ noſtræ.

Illud etiam in prædicti vini operatione notandum hîc obiter occurrit, quodq; animadverſione quidem & admiratione dignum eſt, nempe quòd duo trésve ſolùm carbones accenſi ſub ampliſſimo vaſe, ſeu cacabo impoſiti (quod viginti, vel plures vini heminas contineat) calefaciunt ipſum vinum, viniq; ſpiritum ad deſtillandum promovent: cùm ex illo minimo calore, vel multo minor aquæ portio vix tepefieri queat. Sed quod admirandum magis aut notatu dignum eſt, dum ille vini ſpiritus per colubrina, ut vocant, nempe per canales aut fiſtulas æneas oblongas & retortas, ad hancque deſtillationem aptas tranſcendit, eas, ut & ingens aquæ frigidæ plenum dolium, & ab igne ſatis remotum (in quo prædictæ fiſtulæ manent) adeò calefacit, ut vix quis manum admovere queat. Quod ſanè ingenti calori, quem vini ſpiritus per prædictas fiſtulas tranſiens aquæ frigidæ impertit, tribuendum eſt: nam dum totus extillarit vini ſpiritus, etiamſi ſub prædictum vas ignē multò vehementiorem adhibeas, calorem tamen illius aquæ in dolio contentæ ſenſim extingui & refrigerari percipies. Quod ſanè nobis in mentem inculcare debet, quænam ſit caloris noſtri emphyti ſeu ſymphyti proxima cauſa & origo: quippe hic *calor ex continua & perenni circulatione ſpiritus vivifici ſanguinis noſtri in nobis excitatur.* *Calor in homine unde?* Hæc aqua vitæ dum tota tandem à calore quodam interno ſeu externo & violento deſtilla-

ſtillata, aut temporis progreſſu penitus aſſumpta eſt, jam proculdubio caloris illius vivifici extinctio tandem apparet, morsque frigida ſubſequitur. Sed ut ad rem redeamus: Poſt extractionem veræ ac genuinæ aquæ vitæ, ſeu ſpiritus vini (qui eſt tota illa puritas trium principiorum hypoſtaticorum) cujus liquor mercurium, flamma (q̃ promptè concipit) naturam ſulphuream, acumen verò, & vis eximiè guſtum feriens, ſpiritum ſalis armoniaci repræſentant: magna reſtat copia phlegmatis, ſeu liquoris mercurialis, qui continet quidem aliquid adhuc ſpiritus vini: at quod reliquum eſt, nihil eſt aliud quàm aqua inutilis, quæ mox vapeſcat atque corrumpatur. Simili quoque ratione poſt extractionem aquæ vitæ ac verè ſpiritualis ex ſanguine noſtro, reſiduus manet in corpore humidus, & humectans ille liquor, quem partim alimentoſum partim excrementoſum diximus. Reſtant ultimò, præter prædicta, fœces, ſeu reſidentiæ tartareæ, & nitroſulphureæ, quæ in ſe multas fœtidas impuritates, ut & magnam ſalis copiam continent. Impuritates oculis, & tetri fœtores naribus ſatis ſuperque ſe produnt, dum diverſa ex his olea vehementi igne extillantur. At ex fœcibus calcinatis ſal elicitur, idemque fixum cum proprio phlegmate. Sal iſtud volatile efficitur cum ſale armoniaco volatili in proprio ſpiritu, ſeu aqua vitæ contento, procedendo, ut jam docuimus. Similiter & in ſanguine præter ſpiritum illum vitæ, & liquorem mercurialem (quę duo revera ſeparari ab ipſo ſanguine, & ad oculum oſtendi, poſt digeſtiones convenientes, in calore Bal. mar. qui fit analogus calori naturæ, ut meliùs & faciliùs conſtet, quomodo idem calor eademque natura in nobis eaſdem faciat operationes & ſeparationes) præter illa duo, inquam, quædam conſiſtentia mellis liquidi inſtar reſidebit in fundo, in qua mellita conſiſtentia multas impuritates invenies, quas oculis & naribus percipies, ſi ad ignem cinerum calori febrili analogum materia prædicta exſiccetur. Quippe qui nidorulentus ac nitroſulphureus ille fœtor manifeſtè in nobis cauſat meteora ignita tam ſuperiori, quàm inferiori corporis parte, aliaque innumera ſymptomata parit, ut oſtenſum eſt alibi. Sic ignis quoque vi, (haud ſecus, ac ex vino) ita ex fœcibus, & tartaro ſanguinis, ſeparari poſſunt ſulphura atque olea picis in modum craſſa atque tenacia: adhæc tanto fœtore abominanda, ut ne præſens quidem præ abominando illo odore ſubſiſtere queas: ex quibus multa ſymptomata in corpore noſtro ſuboriri poſſe quilibet facilè colligere poteſt. Quo peracto, reſtabunt cineres ex quibus elicitur ſal, quod (virtute ſalis armoniaci naturæ) effici poteſt volatile, atque fieri id quod Lullius appellat lunariam majorem, ad imitationem operis vegetabilis. Admirandum prorſus eſt hoc opus, ex

Tria principia in ſpiritu vini.

ex quo fit vera mumia, medicina universalis, verusque balsamus naturæ conservans atque restaurans. Atque hæc est vera atque vitalis anatomia sanguinis, quem non temerè, sed verè, & manifesta demonstratione, & quasi ad oculum ipsaque adeò autopsia innitenti ostendimus magnam habere cum vino analogiam: cùm verus philosophus æquè ex uno, atque ex alio (licet alterum majus artificium requirat) norit separare aquas vitæ penitus spirituales, quæ impetentia dicuntur: præterea liquores mercuriales tam utiles, quàm noxios, quæ humectantia: deniquc halitus & fuliginosas exhalationes, quæ effluentia appellantur.

Quod si igitur in vino, quo indies utimur ad nutritionem corporis, eoque puro & claro post separationem spiritus ejus, videamus tot res heterogeneas, tamque impuras: quanto, quæso, plures solidioresque impuritates deprehendemus in tartaro vinorum dolijs atque cadis adhærescente, atque ex fæcibus & residentia vini ejusdem? Qui eximiam illam tartari nigredinem, (quæ manifestatur in calcinatione ejus) separationemque spiritus ejus atque olei rubri, nigri, & fœtidi, quæ per destillationem fit, norunt, atque intelligunt, hi luculenter satis testari, fidemque facere poterunt, quantus fœtor insit in ipsius sulphure: quanta item sit acrimonia ejusdem met. tartari propter sal, quod ex ipso extrahitur, atq; oleum, quod fit ex resolutione ejusdem salis tartari.

At hercle in ejusdem vini fœcibus, præter jam dicta, longè impuriora, fœtidiora, sordidioraque depræhenduntur, ut norunt plus satis illi, qui propter calcinationem earum, ut efficiant cineres, quos vocant clavellatos, extra urbes in campos atque loca remota concedere coguntur, propter ingentem earum infectionem, atque fœtorem, quo & ipsa loca vicina infici solent.

Quid igitur mirum, si in sanguine quoque nostro post separationem veri spiritus, reperiantur tot res heterogeneæ, tot impuritates tartareæ, fœtidæ atque sulphureæ? quin inquam, eo etiam magis plures sordes insint, atque fœtores in pluribus heterogeneis chyli partibus, ex quibus primum ortum compositionis suæ, sanguis ipse traxerit?

Tartarus ille est viscus sanguinis, qui vasis viscerum adhærescit. Jam verò fœces chyli nihil aliud sunt, quàm tot, tantaq; diversi generis excrementa ipsius alimenti in diversis corporis partibus existentis. Atque à natura omnino digeri, evinci expellique nitrosulphureæ illæ & tartareæ impuritates cum non possint, viscera offerciunt, unde gravissimorum morborum seminarium, atque proventus, ut vel hinc, si liberè fateri velimus quod res est, cum magno Hippocrate dicere cogamur morbos, & radices, & semina in corporibus.

ribus habere. Quod ex prædicta vini & sanguinis analogia evidentissimè patet. Nam apparentibus innititur fundamentis & ad sensum patentibus signis ceu terminis quibusdam, neutiquam verò imaginatione quadam dubia effictis.

Et quemadmodum videmus vernis temporibus, quando natura flores suos protrudit, vini fœces ipso vino permisceri, istud conturbare, & sæpè corrumpere. Quemadmodum in calore eximio Solis aut æstatis æstu, pars calidior sulphurea ejusdem vini nempe spiritus exhalare potest, & solet, unde ejusdem vini corruptio consequitur. Ita quoque ijsdem planè temporibus fœces, & tartarea illa colluvies sanguini nostro permixta eundem pervertit, atque corrumpit. Unde morborum occasio, atque proventus multiplex. Nam & ab externo, & ab interno calore dissipato spiritu sanguinis, atque separato, necesse est illum corrumpi, cui sanè corruptioni, & ab ejusmodi quidem causis obortæ, omnino plurimorum quoque morborum causa accepta ferenda potius, quàm nudis, & simplicibus illis qualitatibus.

Sicut itaque docuimus in separatione veri spiritus vini (qui nectare cœlesti, ac spirituali vitæ nostræ symbolizat, uti dictum) plurimas ejus impuritates demum innotescere: ita prorsus, ac eadem ratione fit cum tritico, cum fructibus, & ex his paratis potionibus & cibis, & in universum cum rebus omnibus vegetabilibus eodem modo procedendo, ut de vino diximus. Habent enim & illa non levem cum sanguine nostro proportionem, juxta illud: *ijsdem nutrimur quibus constamus*, & vice-versa haud malè dicas, *ijsdem constamus, quibus nutrimur*. Participat autem alterum altero magis, vel de hoc, vel de illo, exempli gratia, spiritu, liquore mercuriali, sale, fœcibus, fœtidis & inutilibus excrementis: quæ ratio, quòd ex hoc, aut illo cibi genere laudabilior, aut illaudabilior sanguis generetur.

Ex hydromelite itaque (ut hoc exempli, & quasi superpondij loco addam) ex defruto, ex cervisia, & similium potionum generibus, eorumque fœcibus easdem præparationes, & s. parationes tam laudati liquoris, quàm fœcum, eodem planè modo, ut de vino docuimus fieri possunt: nec aliter ex his eliciuntur principia, & partes heterogeneæ, quàm ex illo.

Denique ex omnibus ijs, quæ nutritionem præbent homini, ex quorum præparatione, atque separatione, facta demum cum sanguine nostro analogia longè fœlicius, ac melius morborum fontes ediscere poteris, quàm si, (ut vulgò consuetum) ad qualitates recurras, atque humores, & contemplatione quadam ingeniosiori, quàm veriori morborum & symptomatum causas & origines perquiras, atq; decernas.

Vt ea quæ prolixius hactenus dicta sunt, brevibus contrahamus.

1. De sanguinis & vini collatione exemplum attulimus : quo, quanta sit inter ea analogia , proportio & affinitas , satis superque luculentis rationibus ostendimus.

Ut enim vinum clarescit ac defœcatur in suis vasculis: sic sanguis noster in suis venis contentus, sedimẽta sua deponit & exuit.

Ex vino, lento calore, aqua vitæ elicitur: sic ex sanguine, lento & naturali cordis calore extillatur, fitque aqua vitæ, nempe spiritus vitalis : ex quo animalis spiritus sumit originem, quique circulatione per balneum maris naturale cerebri perficitur, non secus, ac ex aqua vitæ spiritus vini artificioso maris balneo prolicitur, qui longè aquâ vitæ subtilior & spirituosior est, ut cujus gutta effusa citiùs in auram evanescat, quàm in terram delabatur. Sic spiritus animalis subtilitate vitalem , in arterijs contentum, longè superat & excellit.

Quum autem ejusmodi tentamus extractiones, spirituum videlicet vini : quæ anima est illius , magnam phlegmatis copiam, eamque invalidam, & nullius virtutis, licet conspicere, quæ subsidit in imo, post spirituum extillationem. Sic in sanguine, præter illum spiritum aut aquam vitæ naturæ humanæ, comperitur etiam magna phlegmatis quantitas, humoris videlicet pituitosi, prorsus itidem inutilis.

Præterea in vino, præter phlegma destillatione eductum, fæx quædam flava aut rubra conspicitur, sulphuris & salis nitri plena , mediocriter volatilis : quod idem in sanguine deprehenditur, si destillatione tentetur : idque est, quod bili, quam à sanguine natura separat, aptè comparari potest : cùm utraque fæx prorsus nitrosulphureæ substantiæ sit. *Bilis.*

2. Humoris melancholici & aceti comparationem instituimus. Etenim. Si integram vini Anatomiam complecas, licebit tibi præterea copiosam ejus fœcem liquidam intueri : ex qua acetũ fiat ab artifice, quod naturalem melancholiam acidã & ponticã aptissimè refert, quę in sanguine subsidit: & ex qua materia natura acetum suum exprimit & elaborat, humorem scilicet melancholicum. *Melancholia.*

Porrò, post aceti in formam liquidam extractionem, remanet quędam fęx aut tartarus, usq; adeò acer, niger & ardens , ex salium vitriolatorum copia, quam continent, ut ex tantilla illius in aquam inspersione ea prõptè tota acetata reddatur. Quod etiam in sanguinis anatomia observare licet, ex utriusque analogia : siquidem ejusmodi aceti fæx atræ bili, quam vocant, & adustæ respondet: non quòd ea talis ex adustione evadat, ut plerique scribunt: sed ex mercurialium & sulphurearum substantiarum separationibus : quarum commixtione sales antea in suo statu & officio temperati continebantur : qui soli ex separatione

ne

ne relicti, sese ipsos exacuunt & efferunt.

Magna est ejusmodi vitriolatorum saliū copia in multis vegetabilibus, quibus nutrimur, & ex quibus elaboratur sanguis: sed præsertim in vino: cujus mater, scilicet, vitis plus, quàm vegetabile ullum aliud, metallicos terræ spiritus haurit & depascit. Hinc fertur bacchus amare colles & petrosa loca, ijsq; delectari: q multis alijs vegetabilibus non contingit, quinimò ex vino ipso si phlegma detrahas, & in igne etiam violentissimo coquas & recoquas, nunquam tamē ipsum ad eam salsuginosam naturam adducas, nisi quid salis fortè in se retinuerit, quod, liquido humore evaporato, reliquum corpus acrius reddat, & mordacius sit. Plegmata aut humores nostri nihil per se continēt adustione salsuginosi. Nemo enim tenetur dare, quod non habet: nec qualitas substantiam generat, ut alibi diximus.

3. Tartareas feces examinavimus. Nimirum tartareas fœces, omni humore spoliatas, acetarius lucri cupidus, vi ignis calcinat, ciner esq; suos clavellatos dictos præparat, idque in remoto secessu, ne videlicet vicina loca aut urbes fœtore tetro inficiat, fœcibus ejusmodi usq; adeò impuro & putido sulphure scatentibus. Ex his cineribus fit sal tartari, fit ex sale oleum, fiuntq; lixivia, sapones varij, varijs rebus extergendis apti utilesque. Eadem operatio etiam fit in sanguine, in cujus ultimis & aridioribus hypostasibus exhalant, vel mediocri etiam igne, usq; adeò fœtentia & exitialia sulphura, ut vel integræ regioni inficiendæ satis sint, si tanta earum copia suppeteret, quanta vini fœcum habetur.

Ut autem in fœcibus vini ejusmodi sulphura & salia reperiuntur: sic in pomatio, pyratio, cerevisia, & id genus alijs potulentis & esculentis similia insunt: quibus cùm vescamur, & ex ijs sanguis noster elaboretur: similibus quoq; is potitur & inficitur: siquidem nullæ non fœces & tartarea excrementa crassiora ijsdem substantijs mercurialibus sulphureis & salinis scatent: quæ non, nisi vino defœcato separatæ, cerni possunt: Atq; hujusmodi substantiæ humorib. pituitosis, biliosis & melancholicis, ijsque præternaturalibus comparantur, quæ seorsum à sanguinis massa subsidunt. *Ex tpla alia*

N. 3.

Sensus est actio qua sensilium notiones intervenientibus sensoriis concipiuntur.

Sensibus accidit somnus ceu requies sensuum ac vigilia ceu eorundem exercitatio.

De quibus in Diætetic prolixè.

N. Somnus quomodo generetur, vid. supra c. 26.

Causa somni genuinà, malè statuitur frigus.

Quercet. ad Riolanum: Arguis, Inquit, quòd somnum sulphureo spiritu soporifero, non frigore doceam conciliari: tu verò benignam ἀνατμίασιν in causam vocas, ignarus

 quid

quid ἀνατμίασις sit, & à quibus spiritibus proficiscatur, naturam parentum redolens. Nec tantùm ἀναϑυμίασιν, sed frigus etiam soporis aut somni causam esse dicis. At si quæram ex te quid sit frigus, putabísne te bellè respondisse, si dixeris esse qualitatem? At qualitas ut accidens nec per se subsistit, nec ex se ipsa oritur, sed à substantiali virtute, aut spirituali essentia proficiscitur, non secus ac pomi aut pyri color, aut sapor, aliævé qualitates ejus, non ex se ipsis, sed ex spiritibus pomi essentialibus proficiscuntur: nil moror hîc dialecticas tuas distinctiones, q̃ mihi quàm tibi sunt notiores, & quas admitto ubi opus est. Hoc te docet hyemale frig⁹, & calor æstivus, ab astris aut stellis spiritibusq; frigidis quæ ad præsentiã solis refers, ignarus *proprietatum stellarum Solem comitantium*, & earum quæ vicissitudine sua post æstatem hyemem introducunt.

N.4.

Motus est actio quæ spirituum animalium beneficio ac musculorum auxilio perficitur.

N.1. Motus calorem inducit, quatenus spiritum vitæ æthereũ ignis vitalis pabulum motat ac agitat, qua agitatione flamma adeoque calor incenditur, non secùs ac flamma augescit, si aqua vitæ inflammata, agitetur: quin & ipsamet agitatio per se calorem excitat, quatenus spiritum flagrabilẽ attenuat, ac subtiliat. Unde ignis potentia inibi latitans subinde suscitatur. Ut videre licet in affrictu lignorum solidorum quo continuato, calescunt ligna, flammamque vel per se exerunt.

N.2. De differentiis motuum corporis agitur in Diætetica.

N.5.

Imaginatio est concepta notionis impressio.

Impressio hæc fit rem sibi certo persuadendo, vel cum consternatione, animique commotione eandem concipiendo.

Ergo prout impressio illa validior ac fixior fuerit, ita impressa notio seu phantasma validioris est potentiæ, imo tantæ nonnunquam, ut in fructum corporeum abeat, nævumque introducat.

N. De motibus animi prolixè actũ est in Diætetica.

De actione interno-externa seu generatione.

Generatio est actio, qua microcosmus semen ad producendam sobolem generat.

N. Semen esse animatum, id est, vitâ seu animâ præditum supra demonstratum est. Hinc quæreret forsan quispiam, unde illa animatio sit?

℞. Dubius sanè hæreo, quid respondeam, attamen cum citra salutis jacturam in physicis ejusmodi solutionibus errare liceat, speculationes meas ea de re communico: semen in testibus humido corporeo ac spiritu constare authumo, sed nondum anima sive vita perfusis ac accensis. Accensionem autem fieri, ipso oblectationis actu, quo debilitas suboriri solet, accensionis ejus testimonium non leve. Et huc re-

spe-

ſpexiſſe videtur Hippocrates lib. de genit. Ubi ſemen ex humido univerſo proficiſci ait, quod in corpore cõtinetur, ubi id quod validiſſimum eſt excernatur. Quinimo notum eſt Philoſophis animationem ſeminis macrocoſmici calore ſeu influentiis cœleſtib ſolis præcipuè animari, quidni & ſemen microcoſmicum influentijs ſolis microcoſmici?

N.7.

De Actionibus externis.

Actio externa microcoſmi eſt, qua producit ſive oriri ac emergere in ſuo corpore facit aliud quid à ſuo genere alienum.

Sic emergũt lumbrici, culices &c. Simili ratione ac occaſione emergũt ſpiritus ſive ſeminales rationes morbificæ. Hæ enim ſub parte mater alii rei naturalis quaſi in abyſſo delitescunt, niſi data occaſione, vitioſę culturæ ac actionis emergãt. Nim. cultura mala violatur pportio, proportioneq; violata emergũt malefici illi ſpiritus ſeu facultates, exerunt vires inſurgunt adverſus ſpiritum ſeu balſamum nativum eumq; laceſſunt, adeoq; turbam introducunt, quæ propriè morbus dicitur. Et hæc turba aut major aut minor oritur pro differẽtia ac enormitate proportionis illius violatæ; aut indolis rebellantis. Sunt enim nonnulli ſpiritus ſummè iniqui ac nocivi, v. g. ſpiritus naturę venenatæ, arſenicalis, napelloſæ &c. alij mitiores, aliį naturæ mediocris,

(o)

CAP XXIX.

De Exiſtentia.

Exiſtentia hominis eſt diſpoſitio, quæ reſultat ex principiorum mixtione, qua ea exponuntur certæ quantitati, numero, figuræ temperamento &c.

Ideo. Exiſtentia conſideratur quoad qualitates ſeu facultates, tum quoad ſchema.

Eſtq; tum contracta, tum explicita, tum retracta.

Contracta eſt in ſemine.

Explicita in progreſſione ſua, qua in regiones certas membra diducuntur.

Retracta eſt, quando homo in ſua principia revertitur.

Regiones in homine ſunt 3. Infima, media & ſuprema. Dicuntur & ventres.

Regio infima abdomini ſubeſt, continetq; officinas nutritivas generativas, genusq; venoſum.

Regio media pectoris eſt, vitalis officinæ aula, arterijs circumſcripta.

Regio ſuprema ſenſuum domus eſt, nervoſoq; genere expanſa.

Nota. In homine triplex mundus perpendendus eſt in tres partes apertè diſtributus, arctiſſimè tamen copulatas & probè unitas, caput videlicet, thoracem & inferiorem ventrem. Qui quidem inferior venter partes generationi ac nutritioni dicatas complectitur, elementari mundo & inferiori reſpondens.

Intermedia pars, thorax ſc. aut pectus ubi ſedes cordis poſita eſt, motuũ omnium fontis, vitæq; ac caloris refe-

QUERCETANI REDIVIVI Pathologia.

Cap. I.

De Indispositione Corporis humani.

PATHALOGIA *est pars Artis medicæ, de indispositione humani corporis invenienda seu enucleanda.*

Tradidimus hactenus principia seu fundamenta ad cognitionem artis medicæ necessaria: Fas igitur erit ad tractationem ejusdem artis descēdere, prædictaque fundamenta ad thesin ut dicitur applicare. Thesis igitur sive propositum cum duplex objiciatur, affectus videlicet corporis humani tum enodare, tum emendare, adeoque sanitati consulere; idcirco & partes duas statuimus: Pathologiam & Therapiam.

Indispositio est sanitatis molesta transpositio, seu est humanæ naturæ transpositio vitæ cum molestia contrarians.

Condidit creator hominem, collocavitque in hortum Heden, id est, in ἡδονὴν sive in dispositionem, qua rite administratis actionum functionibus gaudio oblectaretur. Condidit autem & labilem, lapsuique molestias destinavit, ut à lapsu ac ἀνομίᾳ deterreretur. Siquidem ergo homo propria voluntate Diaboli blanditiis assentitus atque à tramite recto lapsus sit, destinatas lapsui molestias, vel sponte acquisivit: Mortem videlicet præsentissimam, homini, puta spirituali: moribundum curriculum; cum morte tandem sub secutura homini naturali.

Moribundum hoc curriculum etsi respectu creati illius primævi curriculi indispositio merito dici possit, ita tamen ex misericordia ac clementia homini prospectum est, ut rudera oblectationis illius pristinę obtinuerit, quibus frui datur si functiones ad huc concessas rite perfecerit: sin minus; molestiis econtra torquetur.

Non absimili modo, quo idem Deus actiones bonas (bona opera spiritualia) spirituali oblectatione ac gaudio præmiatur; mala opera econtra, spirituali tristitia conscientiæ ac molestiis spiritualibus, quin

& corporalibus nonnunquam cruciatibus punit.

Indiſpoſitionem illam ſi morbum vocare malueris, non errabis modo vocis ambiguitatem obſerves, qua diverſimodè uſurpata comperitur.

1. Generaliter pro indiſpoſitione deſcripta, denotatque quicquid homini intrinſec' moleſtiam procreat, ſive id ſit cauſa morbi proxima, ſive morbus in ſpecie ſic dictus, ſive ſymptoma.

2. Specialiter pro morbo in ſpecie ſic dicto, quatenus ſimilarium intēperiem, diſſimil. malam cōformationem, ac utrarumq; partium vitiatam continuitatem refert.

3. Specialius pro affectu ſeu ſtatu p.n. à radicalibus Tincturis, ſeminariis ſcil. rationibus, principiorumque hypoſtaticorum facultatibus ad ἀκρότητα exaltatis, producto.

4. Specialiſſimè pro certo aliquo graviori morbo v.g. pro peſte, Epilepſia, &c. Sic dicitur: Er hat die böſe Kranckheit / morbo ille malo laborat. Item: Er hat die Seuche / id eſt, die Peſt.

1. Significatio Hippocratis propria eſt 2. Dogmaticorum. 3. Hermeticorum. 4. Vulgi. Hinc variæ quoque morbi definitiones.

1. *Morbus eſt conflictus (bellum) balſami nativi cum ſpiritibus noxiis, quo actiones læduntur, adeoque moleſtia procreatur.* Vel

2. *Morbus eſt noxia ſpirituum diſpoſitio, qua actiones læduntur.*

3. *Morbus eſt impreſſio quadam ſeu ſpecies balſamo nativo à ſpiritibus noxiis impreſſa. qua balſamus male diſponitur, adeoque ad actiones naturales obeundas impotens redditur.*

4. *Morbus eſt ſtatus, quo principiorum mixtio violatur, exiſtentia tranſponitur, potētia ad actiones ineptæ redditur.*

5. *Morbus eſt partium viventium corporis humani ad actiones naturales exercendas impotentia ſeu ineptitudo ab earundem conſtitutione præter naturam ortum habens, vel ſecundum Galenum: Eſt conſtitutio partium p.n. vitiata functionis cauſa.*

N. Morbi nomen ſive ab Hebraico מאר aut מרה, ſive à latino mors, ſive à germanico mörb oder mürb derivare libuerit res eodem recidit, Singula enim hæc morbi naturam aliquatenus delineant. מאר moleſtum eſſe, ſeu dolore afficere ſignificat: מור amarum eſſe מרת contriſtare, rebellare: quaſi morbum dixeris, rebellem, contriſtatorem &c. Cum quo convenit Hippocrates qui morbum dicit ὅ τι ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον quicquid hominem contriſtatur, de quo paulo poſt. Latinis morb' quaſi mortis pes ac prodromus audit, neq; enim quis morti propior vulgariter ęſtimatur, quam morbo correptus. Germanicū mörb / mürb, ſi de homine dicatur, fere idem cum morbo eſt de valetudinario communiter dici ſolet: Er iſt mürb / id eſt, bawfällig / kranck / 2c.

Species indiſpoſitionis ſunt 1. Principiorum invicem ἀμετρία. 4. Exiſtentia violatio. 3. Actionum læſio.

Ametria principiorum eſt, quando unum

unum aut alterum è principiis p. n. praecellit ac molestum est.

Estq; ametria illa elementalis, hypostatica, vel specifica.

Elementalis est, ubi principium elementale aliquod p. n. excedit. Hinc oritur crassities & siccitas, si principium excesserit terreum; tenuitas, humiditas; ubi liquidum abundaverit: caliditas ubi p. n. calor auctus fuerit, &c.

N. Excessus caloris in homine potius hypostaticis principiis adscribendus esse videtur, quam elementalibus. Idem judicium sit de frigore.

Ametria hypostatica est, ubi principium aliquod hypostaticum p. n. praecellit, sive id sit acerbum, acidum, amarum, austerum & ponticum, salsum, dulce, sulphureum seu inflammabile.

Ametria specifica est, ubi aliqua proprietas, peculiaris humanae naturae noxia exaltatur ac praecellit.

Cognitio ametriae ex anatomia sacchari & mellis.

Ex illa, quam Isacus Hollandus nobis describit, interiore sacchari & mellis anatomia, quot quaeso depromuntur essentiae ac qualitates, & q̃ variae, quas inibi occultari ne sagacissimus quidē ac subtilissimus qualitatum combinator, mente concipere potuisset? E saccharo enim, colore albo ac odore suavi praedito, certa distillatione, tantae proliciuntur nigredines, abominandiq; foetores, ut tam gratum ac suave fuisse ipsorum domicilium, nullus non stupeat & miretur.

Quis etiam sub adeò grata utriusq; tam sacchari quàm mellis dulcedine, tam violentam latere putaret acrimoniam: ut etiam solidissima quaevis metalla (quale est aurum) quacunque aqua forti vel regali promptius penetret, ac celerius perfectiusque dissolvat? Atq; haec sunt, in quorum desperatam alias cognitionem, nos introduxit interior, ac vitalis rerum anatomia, per quam spiritus vitales & activi, quibusdam veluti compedibus in profundo reconditi & devincti, in manifestam lucem producuntur & exolvuntur.

Ut ergo ad propositum revertamur: benevolum utique lectorem rogatum cupimus, ut omni praejudicii umbrâ procul abire jussâ, aequa mentis trutina perpendat, quae de naturali horum spirituum tam inter se conjunctione, quàm de artificiosa eorundem ab invicem separatione, ipsorum item matricibus, videlicet tam naturalibus, quam de humoribus praeter naturam, deque Tartareis sive crassis, quibus ipsorum multi continentur, substantiis, hactenus proposuimus. Sic enim magnos ac admirandos, tam salutares quam noxios, eorum effectus, candore Philosophico intuebitur: fierique non poterit, quin novo quodam oculos mentis ejus collustrante lumine, penitiorem assequatur dictorū Hippocratis in lib. ejus de antiqua Medicina expressorum, ut & lib.

de flatibus, cognitionem. Ipsemet præterea propositi nostri conscius, nos cum Hippocrate dictis in locis, omnium morborum causas spiritibus malignis, ut & sanitatis conservationem benignis, non temerè assignasse concludet.

Est porro ametria illa principiorum, tum simplicium, tum compositorum inter sese collatorum.

Simplicium ametria est, quando principia simplicia dicta inter sese disproportionaliter in aliquo membro commixta sunt.

Compositorum, cum membra inter se collocata ametria invicem laborant, v.g. cum ventriculus frigidior, Epar calidius, &c.

Existentia violatio est

I. Ratione loci, cum pars 1. nimis aut minus extensa vel arcta. 2. In loco alieno. 3. Cavitatibus necessariis orbata (sive id fiat per obstructionem, constipationem, compressionem, concretionem & subsidentiam.

II. Ratione schematis: cum partis 1. superficies p. n. aspera vel lævis, uti ventriculi interior superficies. 2. Ductus p.n. incurvatus vel rectus. 3. Connexio divulsa vel dissecta v.g. in vulneribus, in diapedesi, diaresi, &c.

III. Mensura ratione cum pars peccat 1. numero, 2. pondere, 3. mensura seu quantitate.

Actionum, læsio est, cum actiones vel impediuntur vel prorsus abolentur, vel nimis agitatius, vel & depravate peraguntur.

Ex superioribus constat, constitutionem hominis absolvi principiis, actionibus atque existentia.

Hæc ergo si bene sese habeant, dicitur sanitas, seu εὐταξία, unde oblectatio; sin male; dicitur indispositio, ἀταξία. unde molestatio.

Sanitatis igitur membra sunt

1. Esse seu constare ex bonis debitis ac sufficientibus principiis.

2. Esse bene defecatum, unde *puritas.*

3. Esse bene ac proportionabiliter mixtum, unde *σύμμετρία, εὐκρασία, temperies.*

4. Esse bene alteratum, digestum, exaltatum unde maturitas.

5. Esse transformatum, id est, in peculiarem proprietatem ac indolē transplantatum, unde ἰδιοκρασία, peculiare cujusque rei temperamentum.

6. Esse bene conformatum, unde conformatio bona, schema bonū, quoad locum, quantitatem, cavitates, connexionem, continuitatem, &c.

7. Posse bene agere seu actiones perficere.

Econtra indispositionis membra sunt.

1. Heterogeneis principiis iisque noxiis esse conspurcatum seu commixtum.

2. Non satis esse defecatum: unde impuritas, cacochymia.

3. Improportionabiliter esse mixtum: unde ἀμετρία, ἀκρασία.

4. Non sufficienter, esse alteratum, digestum, exaltatum: unde cruditas, quæ tamen cum cacochymia ferè coincidit.

5. Esse peculiariter corruptū, unde corruptio.

6. Esse

6. Esse male conformatum, dislocatum, disiunctim, magis, minus, &c.

Cap. II.

De Indispositione humorum.

Est porro indispositio, vel humorum, vel spirituum, vel partium solidarum.

N. Dogmatici occlamabunt, *nullum ab Hermeticis discrimen statui inter morbum & morbi causam, quasi unum & idem sint*: quod absurdissimum dictu est. Præterea addent, *se quoq; ex magno illo Hippocrate didicisse, hominem constare partibus continentibus, contentis & impetum facientibus, & vitia rerum contentarum (quos humores esse dicunt) morborum esse causas: continentium verò partium defectus, morbos esse ipsos: & symptomatum fructus in spirituum impetu & agitatione apparere.*

R. Sed dum ita loquuntur, non advertunt, quid sibi ab Hermeticis responderi possit, ex ipsius Hippocratis libro de flatibus, ubi morbos omnes scribit Hippocrates ἀπὸ πνευμάτων, à flatibus aut spiritibus proxime proficisci. Ubi in exemplum adfert non epilepsiam tantum: sed & hydropisim & febres. Nec non plurimis rationibus & observationibus ibidem probat & sustinet, omnes omnium actionum debilitationes, depravationes & abolitiones, ex potentiis & impressionibus vitalibus spirituum promanare. Quod cum ita sit, quomodo morbos continentibus partibus, aut corporibus crassis & immotis Dogmatici potiùs, quàm mobilibus spiritibus adscribant? quùm ab ipsis, ut suprà dictum est, primò & præcipuè actiones vitientur? iisque solis morbi appellatio propriè congruat? Nam illud, à quo proximè læduntur actiones, morbus appellari debet. Atqui à spiritibus pravis proximè læduntur actiones. Ergo spiritus pravi morbi appellari debent.

Morbus quid.

Porro in spiritibus duo consideranda: Ipse spiritus simpliciter dictus, qui est causa sanitatis vel morbi: vel spiritus bona vel mala constitutio, quæ dicitur sanitas vel morbus. Unde ipse spiritus materialiter sive impropriè, pravitas autem & mala constitutio ipsius propriè & formaliter morbus appellari debet: ut verbi gratia, quando dicimus, febrem esse calorem in corde accensum, ipse calor non est propriè seu formaliter febris, sed intemperies & excessus caloris est ipsa febris: unde febris dupliciter definiri potest, materialiter & formaliter, ut scholæ loquuntur: materialiter, ut febris est calor in corde accensus: formaliter, ut febris est intemperies cordis calida, vel est ametria ex accensis spiritibus sulphureis in corde, ut placet Hermeticis.

Duplex spirit. consideratio, recta seu bona, mala.

Sed objiciet quis, *morbum in spiritibus residere non posse, cùm morbus tantùm partibus corporis inhæreat, ex dogmat. decreto.*

Objectio.

Huic occurretur, cùm corpus nostrum & contentis & continentibus, & unumquodque membrum duabus partibus, crassiore scilicet & subtiliore constare dicimus: crassiore, ut sunt ossa, venæ, carnes, parenchy-

mata: & subtiliore, nempe vaporoso spiritu: ideò dum morbus spiritibus inesse dicitur, etiam membris, & partibus animalis insidere affirmatur.

Sed frustrà nominibus & appellationibus, spreta rerum disquisitione & differentiarum cognitione, inhæremus. Neutrius autem sectæ, partes tueri velim: sed dicam tantùm (ut, quod sit inter illas discrimen, ostendam, & simul rationem afferam, quâ conciliari possint, quod meum est institutum) à dogmaticis jure, nec citra firmas ac validas rationes, morborum causas ab ipsis morbis, & eorum symptomatibus distingui debere, ut quæ nec unum & idem sint, quemadmodum causa & effectus idem esse non possunt: sed essentialiter, seu essentiali definitione differant. Contrà verò ab Hermeticis scribi, hæc tria non differre genere, aut essentiali definitione: sed accidẽte duntaxat: quòd unum sit actu, alterum potestate morbus: quemadmodum sulphur accensum non differt ab eo, quod non est accensum: maturus fructus à non maturo, ipso genere & essentiali definitione. Sed quod unum sit actu ipso inflammatum & maturum; alterum nequaquã, at quod tamen inflammari & maturari potest.

Quod si Aristoteles primo metaph. refellit Megarenses, qui negabant quicquam esse δυνάμει: sed illud tantùm esse aliquid affirmabant, quod esset actu: Ita meo judicio Hermetici possunt nonnullos dogmaticos, in eo, jure refellere, quod nolint causam morbi appellare morbum: quia causa morbi actu non sit morbus.

Humorum indispositio consistit præcipuè in ametria, hinc in vitiosa quantitate, consistentia, loco peregrino, & ratione spiritus, in impedito motu.

Sic peccant humores.

1. Ametria amariore, in qua præcellit sal amarum seu gemmeum.

N. Humor hâc ametriâ dicitur biliosus, cujus generis bilis excrementitia.

2. Ametriâ acerba & austerâ ubi præcellit natura vitriolica & aluminosa.

N. Humor hac ametria dicitur acido pituitosus.

3. Ametriâ acri, id est, æruginosa, porracea: ubi præcellit aliquod vellicãs, veluti sal marinũ piperinũ, &c.

N. Humor hac ametria dicitur bilis æruginosa.

4. Ametriâ acri-acida, erodẽte, id est, atrobiliariâ, ubi præcellit sal tartareum corrodens & mordax.

5. Ametriâ salsâ serosâ; ubi præcellit sal commune. N. Dicitur sanguis serosus.

6. Ametriâ dulciore, v. g. in pituita dulci, ubi præcellit saccharina natura, quæ nonnunquam in Catarrhis deprehenditur.

7. Ametria acidiore, id est, melancholica ubi præcellit sal naturæ armoniacæ.

Sic spiritus qui in humore corporum nostrorum inest melancholico, in tantam sæpe aciditatem & acredinem elevatur, ut non tantum inter

vomen-

vomendum ipso transitu vias exulceret: verum etiam in terram decidens non aliter ac aqua fortis aut vitrioli oleum, bulliat. Non mediocris hujus humoris cum vitriolo affinitas & analogia in causa est, ut vitriolicus appelletur.

Cap. III.

De Tartaro.

AD humorum indispositionem pertinet quoque Tartarus, qui nihil aliud est, quam portio aliqua terrestris cum sale cômixta, cuius vi portio illa terrestris in humoribus liquabilis subinde ab humore secreta concrescit.

N. Hermetis discipuli fatentur quidem, esse in corpore nostro humores frigidos, insipidos, seu merè pituitosos, acetosos, amaros, salsos, retorridos, aut tale quid simile, ut dogmatici perhibent. At non conveniunt cum iis in generationis modo, naturæq; eorum æstimatione.

Primùm enim, inquiũt, humores, si propriè loqui velim*, hoc est, quatenus sunt tales, nihil esse aliud quã substantiam tenuem, liquidam & aqueam: adeoque corpus quoddam fluidum, ὁμοιομερὲς, & alieno termino circumscriptum: quæ tota exhalare possit, vel evaporari à calore: & à se aut in se nihil solidi, nihilq; terrestris substantiæ continere, & ejusmodi sumptum humorem, causam esse non posse compactionis alicujus corporis solidi.

Ajunt insuper multa corpora solida reperiri, quæ sunt omnino terrestris aut arenosæ substantiæ: quæ tamen humor crassus post se relinquit (postquam aquea seu humoralis pars caloris vi evanuit) quæ cum neutiquam cum humore permisceri possint nec humoris etiam vel largè sumpti, denominationem mereri queant.

At illi id tantũ de humoris natura & essentia esse dicunt, quod humido mixtum cum eo coeat, perfectè misceatur, fiatque corpus unum, hoc est, liquidum & fluidum.

Quoniam autem nihil omnino est, quod ea ratione, qua dictum, in aquam transire possit per dissolutionem (ut experientia fidem facit) quod non sit de natura salis in genere: omnino necessarium est, humorem illum, quem crassum appellant, de salis natura participare.

Per salem, non tantum marinum intelligunt, sed & alia multa, eaque diversa salium genera: quæ non omnia salsa, sed & acida & amara & dulcia sunt, ut manna, mel, & saccharum, &c.

Porro salsuginosa ea substantia, quum semper admixtam habeat aliquam portionem terrestrem (licet liquefactiva in ea prædominetur) in homine appellatur tartarum, apto profectò, & apprimè significanti vocabulo: quod inditum est ab analogia, quam humores corporis

ris nostri, atque ipse etiam sanguis, habent cum substantia vini, quod inter omnia vegetabilia plurimum continet tartari. Per tartarum hic non tantùm intelligo eam substantiã, quam liquefactam cum vino recenti turbido adhuc & musto appellato, admixtam esse constat: quæque postea separata tanquam crassior, terrestrior atque impurior abeat in fœces, & subsideat in fundo, quam vini fœces nuncupant. Neque illud tantùm etiã tartarum intelligo, quod temporis progressu à vino secretum, doliorum parietibus adhæret, quodque propriè tartarum appellatur. Sed per tartarum illud potissimum intelligimus hoc loco, ꝗ ꝑpetuò cũ vino liquefactũ, admixtũ atq; conjunctũ est cũ vino etiã purissimo, quodq; colorẽ ei tribuit rubrũ, aut album quemvis. Verùm hoc tartarum per evaporationem, aut distillationem simplicem, vel per ipsum etiam balneum maris mediocriter calidum deprehenditur. Nam residet in fundo, separata ea humoris parte, quæ est liquidior, quæque dissolutum in se tartarum illud continebat, ejusque erat quasi vehiculum.

Hic sanè humor totus albus, & limpidissimus extillat, si vel ex vino rubro fuerit. Substantia verò corpulentior atque rubra, quam tartarum dicimus, in fundo remanet: substantia solida, tantoque durior atque siccior redditur, quò plus substantifici humidi per calorem elicueris.

Nec tantum in vino albo, vel rubro, aut quovis alio defruto tartarum hoc: sed & in nostri corporis humoribus seu liquoribus existit & reperitur.

Nec solùmmodò in chylo, qui proportione respondet musto vini modo extracto ex vindemia: à quo chylo, haud secus ac à musto, plures denuò fœces impuriores atque tarteæ substantiæ separantur. Sed & in sanguine nostro, etiamque purissimo, simili prorsus modo & ratione, ut de vino diximus: quemadmodum ars destillatoria (etiamque ea quæ per temperatissimum ignem fit) ostendit ac patefacit nobis eiusmodi tartarum. Sic quoque Natura igne suo naturali efficere potest, & in dies efficit ejusmodi separationes tartari, etiam per consumptionem partium humoralium corporis nostri: ex quibus dogmatici calculos generari putant. Ex qua separatione mirum quot morborum genera, obstructionum, seu oppilationum interventu procreentur.

Speciatim vero ac præ aliis Arthritis & calculus. Qui morbi ut & ipsimet sentiunt dogmatici, frequentius iis superveniunt, qui hepate sunt calidiore, atque ferventiore, & per consequens ventriculo frigidiore, quiq; multas ingenerãt cruditates & mucositates: ꝗ nõ ritè coctæ atq; digestæ, conferuntur cũ fructibus crudis, ꝗ defectu maturationis debitę & convenientis (quæ fit à calore contẽperato omnia coquẽte & dulcorãte)

rema-

remanent acidi, austeri, acres, acerbi atque crudi. Hi sanè permixti cùm sanguine ac de integro coquuntur à calore naturali, fitque separatio partis crudioris atque tartareæ, quæ postmodum & visceribus obhærescit, variasque causans obstructiones, in articulos protruditur atq; decumbit. Natura quippè cujusvis corporis partis gaudet suo simili: partes carnosæ portione sanguinis magis liquidiore & mercuriali vescûtur: adiposæ & medullosæ ea portione sanguinis delectantur, quæ magis est oleaginosa seu sulphurea. At quum articulorum partes suaptè natura glutinosæ, & mucilaginosæ sint, glutinosum etiam, & per consequens salsuginosum & tartareum poscunt. Quæ partes in qnibusdam naturis, cum vel ob imbecillitatem, vel ob dispositionem innatam, seu hæreditariam, vel ob similem aliam causam, crudam & jam indigestam, tartaream illam materiam, propria & particulari digestione, digerere aut expellere non possint: fit ut illa materia de natura salsa & viscida coaguletur, & articulorum ligamenta, partesque alias sensiles offerciat, atque tandem excruciet. Quæ vera est, atque ex veris, hoc est, naturæ fontib. dolorum atque tophorum arthritidis causa conjuncta atque proxima.

Differentia Tartari. Eadem causa, alia minùs, alia magis excruciat: idque pro natura atq; conditione ejusdem tartari. Nam quemadmodum videmus in macrocosmo magnam esse salium diversitatem: quippè terra nobis producit, & salem gemmæ, qui sali marino proportione quadrat, qui gustu tantùm est salsus, & salem nitri; sapore amaro: salem aluminosum; austero & adstringente: salem vitrioli & armoniacum; acerbo, acido. Itemq; ut nobis producit, sales quosdam alkali dictos, *Sal alcali.* corrosivos & acres: & alios saccaratos & dulces. Ita quoque in microcosmo, corpore inquam humano generatur tartarum aut sal: qui dissolutus solummodò salsum efficit humorem, quem dogmatici pituitã salsam vocãt, aut simpliciter humorem salsum. Aut nitrosus & amarus sal generatur, quem bilis amara refert, atque urina. Aut vitriolatus & acidus, quem pituita acida continet, atque melancholia. Ita etiam tartara sunt aluminosa & austera, quæque salis acrimoniam referunt: ut manifestè patet ex tot contracturarum & adstrictionum nervorum affectibus, & ex tot acrimoniarum, ut dysenteriarum, & variorum ulcerum tam internorum, quàm externorum molestiis, quæ ex diversis salium differentiis, diversa corporis mala producunt. Nec mirandum est ab Hermeticis huic tartarorũ diversitati ista tribui nomina. Cur enim id non faciant, quòd & convenientiora sint, & significantiora: & naturas diversitatesque causarum, ex ipsa natura rerum fidissima interprete meliùs exprimentia? Meliùs hercle morborum tartareorum seu salsorum distinctiones atq; essentias exprimunt, quàm quatuor illi humores, qui sanguinei, pituitosi, biliosi, & melancholici vulgò ap-

pellantur, tum quod nihil exprimãt, quod fit de essentia morbi, tum quod in illis formandis, applicandisq; dogmatici plurimùm fluctuent.

Galenus sanè de pituita salsa decernens, ejusdem effectus modò tribuit calori, modò putredini, modò admixtioni bilis, aut humoris serosi cum pituita. Tam variè huc illuc jactatur fluctib. inconstantiæ. Et meritò certè. Nam si ex rei veritate statuere velimus, nullus humor vel salsus vel acidus, aut alteri⁹ generis saporis. Quippè humor simplex nec salem, nec tartarum, nec calculum efficere potest, nisi sal vel materia tartarea ei priùs fuerit admixta. Quin potiùs ex salis vel tartari coagulatione, quod est in humore, fit calculus, aut tophus, humore nihil prorsus sua natura ad illos conferente. Sal revera, & ipso effectu est in aqua marina, & fontib. plurimis, qui scaturiunt ex terra, sicut patet. Si enim aqua eorum vi ignis evaporetur, tum subsidebit sal coagulatus in fundo: utpotè liquore suo spoliatus.

Nullus humor calculum efficere potest, nisi admixtum salem habeat.

Ridiculum igitur humori simplici, aut calori, effectum salsedinis attribuere: aut ex bile adusta fieri atrabilarium, dicere, quoniam humores in corpore nostro corrosivi apparẽt. Nimis impropriè loquuntur, qui humorem adustum dicunt, non aduritur ullus humor. Nam in exhalatione vel siccum quid residet, vel penitus nihil. Siccum si aliquid in humore fuerit, ut sal, tartarũ, aut terrestris quævis materia est. Nihil, si mer⁹ humor fuerit, & simplex. Sic bilis æruginosa, sic pituita salsa, non quatenus humores: sed quatenus salem acrem, amarum, nitrosum, aut quacunq; ratione pungentem continẽt, qui corrosivos hosce effectus causari possunt, plus minúsve, prout plus vel minùs humiditas adjuncta, fuerit exhausta, atq; exiccata, arthritica symptomata, dolores, & ab ijs inflammationes excitare solent. Quò n. plus humoris ejusmodi, sali aut substantię tartareæ fuerit admixtum, eò magis acrimonia ejusdem contemperatur. Unde videmus mulieres rarissimè arthritidis doloribus divexari, quòd hę sanguinem habeant copiosiore humore refertum atq; contemperatũ. Quemadmodum & in universũ maribus sunt humidiores, ut pateat humorem, non quà humor, sed quà salsus, quà tartare⁹, quà nitrosus, vitriolatus, aluminosus &c. (Neutiquam verò adustus, quum tale quid in humore non fiat: neq; sal aut tartarum humor adustus est, sed quiddã ab humore secretum) ejusmodi morbos procreare posse. Si igitur, quà salsus, quà tartareus, utiq; à sale vel tartaro illud fiet, juxta illud Logicum, *Propter quod unumquodq; tale, illud magis tale*; At propter *salsas aut tartareas substantias* (τὸ propter enim, hoc in loco nõ finem: sed causam efficientem respicit) *fiunt arthritidis dolores, tophi atque calculi*: Quapropter sal & tartarũ corporis humani, seu in corpore humano & genitum & secretum, illud magis efficiet. Analogiam enim inter vinum & sanguinem corporis nostri alibi ostendimus. Nam varia sunt vina pro Sol s & soli dispositione. Alia alijs acriora, acerbiora, austeriora, & quæ

Humor aduri impropriè dicitur.

Mulierum arthritidis minùs obnoxia.

quæ

quæ plus fœcum & tartari ſeponunt. Sic ſecundùm corporum diverſam naturam & temperiem de ſanguine judicandum. Adde etiam, quod notandum eſt magis, in eodem corpore varia eſſe ſanguinis genera, venis ſingulis proprium ſuum ſanguinem & ab aliarum venarum ſanguine diverſum habentibus: quemadmodum paſſim videre eſt in eodem ſolo fontes ſcaturire contiguos, qui natura & conditione prorſus diſſimiles ſunt: Unde etiam fit, ut magna dolorum ſit varietas & diſſimilitudo, etſi ab eadem cauſa ij proficiſcantur: nec ex ſanguinis colore de ſubſtantia & virtute ejus craſsè judicandum eſt, cum propè omnes aquæ, eundẽ colorem referant, ſubſtantia tamen & poteſtate diverſiſſimæ. Is ſanguis, aut is humor, qui magis de natura tartarea participat, magis & citiùs tartareos illos morbos producet. Res à ſimili pulcherrimè elucescet. Proponamus exempli gratia lixivium, quod diverſimodè & ex rebus diverſis parari ſolet: eſtq; aliud alio magis pungens, prout plus aut minus continet ſalis: vel prout iidem ipſi ſales de hac vel illa qualitate magis vel minùs participant. Ita videmus ſales extractos ex cineribus clavellatis (quos vocant) ſeu ex vinearum aut fabarũ ſarmentis extractos, lõgè eſſe acriores, quàm qui ex alijs lignis. Quin imò ſunt multa vegetabilium, quæ aut nihil, aut quàm exiguum ſalis continent: aut ſi aliquid ſit, illud nulla acri qualitate erit præditum, ita ut cauſticum ex eo nullum conficere queas. At ex clavellato cinere, & reliquis ſuprà dictis, non tantùm ſal acer, ſed acerrimus elici poteſt, & indies quoq; ex eo cauſtica parari ſolet. Patet itaq; ſales non fieri à calore ignis, ſed quod jam exiſtat in rebus aqueo humore evaporato, in apertũ dari. Pulchrè illud apparebit, ſi aquã cinerib. affuſam, quam exhalare intendis, identidem deguſtaveris. Nam quò plus aquæ fuerit exhauſtum, eò ſalſa magis fiet aqua & contra quò minùs, eò minùs ſalis aut acrimoniæ imprimi: linguæ. Eadem prorſus ratione, ſicut in diverſis lixiviorum generib. ſales plus vel minus acres, ſalſi, acidi, acerbi, & amari conſpiciuntur: Ita etiam in nobis pro diverſitate vegetabilium, aut animalium, ex quib. nutrimur. Ita ut vel hinc manifeſtum fiat cõſiderantibus, quemadmodum ex cineribus clavellatis, vel ſarmentorum vitis, omnium acerrimus & acutiſſimus ſal elici ſoleat: quod plurimum ejus inſit in vino: ita quoque in homine evenire, qui plurimũ vini ingurgitat. Et ut vini natura plus ſalis continet, quàm omnium reliquarũ potionum: aqua verò omniũ minimum. Ideò rectè ab omnib. ſapiẽtib. medicis, vino ut plurimũ podagricis, & calculoſis interdicitur: ijs p̃ſertim, quorum mali cauſa deprehẽditur eſſe à ſalſa aut acri aliqua materia, & non à gypſea, & ſolummodò frigida, bolcari aut tophoſa. His n. malim vinum generoſum, & minùs tartareũ aqua mediocriter dilutum præſcribere, quàm meram aquã. Habenda eſt igitur temperamenti ratio.

Magna dolorum varietas.

Simile à lixivio.

Nam siquidem mali, partiumque dispositio jam adsit, & exhibeantur quæ ei causæ morbi natura sunt similia, facilè illiciuntur, quę ipsi sunt homogenea. Idcircò cognitum fuit, ut suprà in calidis articulorum doloribus ex salis acrimonia excitatis, vini usum talibus obesse potius, quàm prodesse, quòd malum irritet potius ei suppeditando materiam tartareã, eamque acrem ac pungentem.

Objectio ex Arist. sententia.

At fortè qui hanc meam rationem oppugnant, ex opinione Aristotelis contra me argumentabuntur sic: Causam salsedinis maris tribuit Aristoteles evaporationi tenuioris substantiæ maris, quæ fit à calore, atque attractione radiorum Solis. Sic illi quoque à calore corporis nostri fieri ejusmodi salsedines inferent. Sed corruet utiq; hæc illorum objectio, si simpliciter Aristoteli negavero, calorem Solis salsedinis maris esse causam: quin potius ita statuendũ, Creatorem summum, postquã liquidum à sicco separasset, istud siccum non tam fuisse terram quãdam frigidam, siccam, aridam, aut simpliciter arenosam, qualem depingunt nobis: sed conjunctam cum principio, & balsamo naturæ, & ceu igni quodam vitali calido generante, atq; conservante: Quæ terra fuerit verè elementaris & pura, & de natura salis participans. Sic etiam liquidum illud, seu humidum, non purum putum & simplicem fuisse liquorem, frigidum & humidum, sed lixivium quoddam totius inferioris globi, quod ad sui & piscium conservationem, atque ad ipsam etiam terram irrorandam intra viscera sua continebat: salem metipsum balsamicum, & rerum omnium conservatorem. Nihil itaque huc facit quod adfertur ex Aristotele, maris salsedinem fieri à calore Solis. Nam sanè non fiet, si non sit prius, cum caloris non sit salem efficere,

CAP. IV.

De indispositione spirituum & partium solidarum & potentiarum?

Indispositio spirituum ac aeris consistit potißimum in læsa temperie, consistentia, motu & quantitate.

Intemperies est in fervescentia ac ignea constitione. e. g. In mania, phrenitide, &c. tũ in p. naturali coagulatione, contractione congelatione, v. g. in rigore febrili.

Consistentia transponitur in nimia craßitie, opacitate.

N. His non modo motus læditur, sed & apti spiritns redduntur ad impressiones suscipiendas.

Motus læsio, est vel tetardatio, totalis ve impeditio, vel nimia agitatio.

Quantitas læditur in imminutione, seu inanitione, v. g. si nimium resolvantur, discutiantur, absumantur.

N. Spiritus consideratur tum materiailter in se, sic est: causa morbi tum formaliter in pravitate vel bonitate constitutus sic morbus vel sanitas dicitur.

De

De continentibus seu solidis partibus.

Continentium partium indispositio est 1. ametria in qualitatibus elementalibus, hypostaticis & specificis.

2. Violata existentia.

3. Potentiarum læsio.

Ametria partium solidarum elementalis est, quando pars laborat intemperie calida, frigida, tum humida & sicca, unde pars mollior, durior &c.

Ametria hypostatica est quando principiorum hypostaticorum, proportionalis mixtio violata est, vel etiam, quando membra inter se sunt ametria seu dyscrata.

Violata Existentia concernit præcipuè partes solidas sive continentes, quatenus ea peccant magnitudine seu quantitate, locatione, cavitatibus, superficie aspera aut lævi connexione ac continuatione.

N. Dogmatici affectus p.n. (indispositionem) distinguunt in caussas morborum, morbos ipsos & symptomata. Caussarum officium attribuũt humoribus ac spiritibus, morbos partibus solidis, symptomata, læsis actionibus qualitati atq; excretis. Hermeticis caussarum nomine venit, omne id, cujus vi & efficacia aliqua indispositio introducitur, sive id sit humor, sive spiritus, sive sint partes solidæ, adeoq; unius indispositio alterius caussa esse potest. Nimirum res quælibet pro diversa cõsideratione alium, ac alium notionis terminum adsciscere potest. Hinc nomina ac notiones rebus, non res nominibus ac notionibus (secundis, ut in scholis docetur) sunt adaptandæ. E. g. Imbecillitas seu intemperies frigida ventriculi caussa est chyli crudioris, & impurioris. Epar calidius, acrius (in cujus constitutione præcellit sal acre, piperinum) caussa est sanguinis acris, calidioris, adusti. Etenim qua facultate viscus præcellit, eâ humorem imbuit, simili ferè modo quo vas vinosum mulsam infusam, in hydromel vinosum convertit, vel vas acidum, vino vel musto infuso aciditatem imprimit. Utriusque illius visceris dictæ acrasiæ concurrentes sanguinem generant crudo-adustum, acri-serosum, unde morbi oriuntur periculosi ac curatu difficiles. Nimirum chylus imbecillitate ventriculi crudior, indigestior, impurior, ignescit sive aduritur tenore Epatis calidiore ac acriore, sine sufficiente defecatione accelerata scil. fermentatione. Qua in re sanguini idem accidit, quod musto, sine fermentatione vi ignis suppositi maturato & adusto. Nostrates vocant geseurete Weine.

Actionum læsiones, pro varietate partium variant, unde varia quoq; symptomata. Alia enim sunt, chylosios, alia hæmatosios, &c.

CAP. V.

De Transpositione sanitatis seu generatione morborum, ac primum de Deo.

MEdia sanitatem transponentia adeoque morbum inducentia sunt. 1. Deus.

1. *Deus.* 2. *Angeli.* 3. *Macrocosmus.* 4. *Microcosmus.*

N. Ex præmissis non erit difficile Dogmaticorum ac Hermeticorum doctrinam de causis morborum conciliare.

Dogmaticis causæ morborum tum antecedentes sunt, tum conjunctæ. Antecedētes in externas distinguunt ac internas. Externæ sunt Aër, cibus ac potus, excreta & retenta somnus & vigilia, motus & quies, ac denique animi affectus.

Internæ sunt Humores à natura degenerantes. Hermeticis Entia seu causæ morborum sunt: Ens Deale, Ens Spirituale, Ens Astrale, Ens naturale, Ens venenatum.

1. Ens Deale est ipse Deus, Justo suo judicio homini morbos decernens ac imponens, sive immediatè id fiat ac supra naturam, sive mediante natura.

2. Ens Spirituale seu Pagoycum Diabolicum rectius diceres est ipse Diabolus ex permissu divino, tū mediante lamiarum instructione, atq; veneficio morbos inferēs. Cujus rei exempla non modo vetus ac novum testamentum, sed & experientia quotidiana confertim exhibet.

3. Ens Astrale sunt Astra influentijs suis aërem replentia, eoq; mediante corpus nostrum alterantia, de quo paulò post prolixius.

4. Ens Naturale est ipsa cuiq; homini indita naturalis constitutio sive ea communis sit ac toti humano generi competens, qua ratione tum curriculum humanæ vitæ seculi termino includitur, tum mutatio quædam septenis ac novenis annis recurrēs & propria cuiq; individuo ex parentum semine ac nativitatis constellatione indita.

5. Ens Venenatū dictum est omne quod ex alimentorum digestionibus ac assimulatione ceu inidoneū, impurum, redundatur ac colligit.

Utriusq; sectę assertiones ad tradita à nobis transpositionis media seu causas facilè referri possunt, unde facilè liquet differentias inter utramque potius verbales quam reales esse Dogmaticosq; limitibus solū inhærere naturę, Hermeticos ulterius extra naturæ limites ascendere.

1. *Deus.*

Deus 1. Ex bonitate sua uti omnia ita & hominem creavit in sanitate quidem constitutum, sed labilem, id est, qui pro suo libero arbitrio, quo dotatus erat, labi poterat. Nimirum Deus ut liberrimum agens, libertatis suæ similitudinem homini indidit potentiamque imo & inclinationem ad bonum addidit, malumque sub pœna mortis interdixit. En Dei voluntatem sinceram, qua salutem humanam ab homine excoli cupit, non absolutè quidem & coactè, sed ex concesso libero ejus arbitrio.

Deus 2. Justo suo judicio vel transgressionem puniens, adeoq; sanitatē sive integritatem transponens, sive modo supra naturam id fiat. v. g. per angelos, sive mediante natura: vel transgressores assistentia sua deserens, atq; labi permittens.

N. Trans-

N. Transpositio aut fit modo naturali, aut supernaturali. Modus naturalis est, qui fit à causis & modo naturalibus. Supernaturalis, qui à causis & modo supernaturalibus v.g. peculiari divina dispositione vel veneficio.

Angeli. Duplicis sunt sortis, boni ac mali. Boni ad tutelam hominis adeoq; & ad sanitatem promovendã ut jussi ita & proni existunt. Exemplo sit Raphael Tobiæ cæcitati subveniens. Confer Psal. 91. Quin imo de ea non minus ac de resipiscentia seu sanitate ac salute hominis spirituali, exultant. Transpositionis ergo causa sunt, 1. quatenus transgressores vel deserunt, vel demandatam malorum illationem ceu decretam Dei pœnã, inferunt. Sic Cherubim expulit Parentes nostros, paradyso eamq; gladio custodit. Sic & Angeli pateras malorum super terram effundunt.

Mali Angeli è contra ad perniciẽ hominis proni ac alacres sunt, omnibusq; modis ei retia tendunt, atque ubi permissu Dei nocere possunt, nulli desunt, noxâ s. oblectantes. Nocent autem nõnunquam immediatè, ut docet Exemplum Jobi, ut & plurima alia veteris ac novi Testamenti, alias & præcipuè Sagarum seu Lamiarum maleficio utuntur.

CAP. VI.

De Macrocosmo.

Macrocosmus sanitatis humanæ trãsposita causa est, quatenus ipsemet transpositus & microcosmum transponit.

N. Elementa, quæ ante perfectã & omni benedictione ac virtutũ vitaliũ infinitis dotibus à Deo instructa erant, contrariam mutationẽ patiuntur. Unde fit etiam ut ob maledictionem divinam elementorũ inquinatio & hominis defœdata spurcities & variæ subinde mutationes minus cum natura consentaneæ, hominem inficiant, ac cõtra q̃ tulerat eius procreatio, obruãt, labefactẽt, destruãt.

1. *Quatenus* astra radijs suis aërem transponunt ac noxium reddunt; sive id fiat qualitatibus elementalibus. V.g. æstu, frigore, humiditate aut siccitate, sive proprietatibus ac influentijs peculiaribus, de quibus supra.

Quinimo nonnunquam astra quędam certa suis motibus ac circũvolutionibus certas cõmotiones simpathicè commovent, unde quoque morbi certis temporum articulis repullulãt, sicut videre est in podagricis Epilepticis, colico dolori obnoxijs.

N. Tempore quo vitis floret, commovetur vinũ in dolio, quidni & sanguis & tartarus ex vino in homine progenitus.

Mense Julio turbatur & florescit aqua, sic facilè & sanguis commoveri poterit, præcipuè si aqua potus sit ordinarius.

2. *Quatenus* macrocosmus alimenta transponit, i.e. apta reddit sanitati hominis nocendæ ac derogandæ.

3. *Quatenus* aër noxius est facultatibus elementalibus ad sanitatem humanam transponendã habilibus v.g. caliditate, frig. humid. & siccitate: facultatibus hypostaticis, acribus, acidis, fętidis, nares ferientibus, quales sentiuntur in nebulis fœtidis, ventis, tonitru, fulgure, &c.

Q. Quomodo Aër ac Venti morbos generent?

Aër ac venti introducunt morbos non tam vi caloris ac frigoris, quam ſpirituum morbificorum, quibus calor ac frigus ſtipantur. Hoc ſatis teſtantur frigidi illi Saturni ſpiritus, qui ſiniſtris aſpectibus uſque adeò vel ardentiſſimos ſolis radios, totumque aërem refrigerant, ut ipſum interdum, vel media etiam æſtate conglacient.

Idem teſtimonium nobis exhibent frigidi ſpirituum Atlantidarum aut Plëiadum aſpectus, ex fructuum terrę deperditione, quos frigore ſuo congelant: cum menſe Aprili & circa Maij principium, Sole in ſigno Tauri & prope aſpectum Pleiadum exiſtente, uſq; adeò ſolarem radiorum calorem ſua frigiditate infringunt & coërcent, ut loco temperatiſſimi caloris omnia frigore horreant & gelu.

Videmus è contrario, quando ſol eſt in ſigno leonis atque in ſua exaltatione, prope martialem & ardentem caniculam, cum toto aëre ſolis radios ardentiores fieri: qui tamen frigidis Saturni ſpiritibus ſæpe numero obtunduntur, conſopiuntur & prope extinguuntur.

Quinimo falluntur, qui Ventorum virtutes definiunt ſola caliditate & frigiditate. Sic Auſter, non quia humidus & calidus, caput gravat & replet, ſed quia in illo virtus quædam opiatica à ſoporiferis ſpiritibus inſit illi propria. Hippocrates ideo Auſtrum βαρήκοον νώθρον, καρηβαρικὸν, διαλυτικὸν appellat. Neque aquilo tantum quatenus frigidus eſt, & ſiccus conglaciat, acerbusq; eſt & mordax, ſed quod ipſius proprietates vitriolatæ, acetoſæ, berberiſatæ ſint, eodemmet Hippocrate teſte. Atque hi ſunt ſpiritua.es effectus, qui ex aſtris cœleſtibus perpetuo in hæc inferiora influunt, quorum ſpiritibus uſque adeò referta ſunt omnia, ut veriſſimum ſit iſtud Poëtæ: Jovis omnia plena.

N. Dum vero ſpiritus pernicioſos aëri inſpirato, humoribus corporis noſtri admixtos, non ſolum peſtilentiarum, verùm etiam pluriũ aliorum graviſſimorum morborum proximas cauſas dicimus efficientes haud diſſentientem ſanè habemus Hippocratem lib. de flatibus aliquoties allegatum, ſic concludentem: *Hactenus ergo morborum omnium cauſas flatus eſſe demonſtravi: id enim à principio receperam me facturum. Recenſui enim ſpiritum ipſum tum in alijs omnibus rebus potentem, tum maximè in hominum corporibus plurimum poſſe:* Etenim ſciendum eſt, Hippocratem per flatus nihil aliud intellexiſſe quàm vapores, halitus, fumos, aliasq; ſubſtantias ſpirituales corporibus noſtris concluſas, inſita activitate, ac impreſſionibus vitalibus pernicioſis præditas. Flatuum enim Hippocraticam ſignificationem, vel aëri tribuere ſimplici, vel nudis flatibus (quæ partem diſtendendo ſolum, doloris facilè diſſipabilis nudum ipſi ſymptoma imprimunt) ijsque ſimul omnium

omnium morborum corpora humana possidentium assignare causas, nô Hippocratis certè, sed tyronis alicujus parum in Medicina versati redolet ingenium.

Atq; hæc sanè videtur clavis esse, ad mentem Hippocratis in dicto de flatibus lib. felicius assequendam: quæque simul nostrorum dictorum cum divini Senis placitis, miram ostendit consonantiam.

Qualitates tamen primæ faciunt ad dispositionem morbosam introducendam.

Sic austris continuo ac diu spirantibus omnia ferè ad putrefactionem disponuntur corpora, ut etiam per diuturniorem quæ cœlum involvat caliginem per ver calidum & siccum, per ætatem calidam & humidam & in summa per immodicam quatuor anni temporum inconstantiam, cujus opera à statu suo naturali planè dejiciantur. Idem multò magis provenit ab immoderatione quatuor qualitatum: caloris puta, frigoris, humiditatis & siccitatis, quarum unaquæq; vel sola per se existat, vel cum alijs conjuncta hujusmodi intemperiem exaggeret.

CAP. VII.

De Contagio.

AD *aërem non inepte refertur doctrina de contagio, quod aëre veluti vehiculo utitur, eoq; mediante transportatur.*

1. Ambiguitas contagij.

Contagij nomen tribus natura distinctis attribui potest, ut doctè notavit Mercurialis: Primo idq; propriè ipsi malo seu morbo contagioso. Secundo qualitati venenatæ & malignę per ambientem aërem dispersę, infectionemq; plurium corporum inducenti. Tertiò deniq; ipsi communicationi actuali alicujus morbi contagiosi. Ac in postremâ quidem significatione contagij nomen principaliter à Medicis usurpatur, cum asserunt morbos aliquos per contagium multiplicari.

2. Definitio.

Cæterum qui *Contagij* definitionem, naturam ejus & causas ob oculos clariùs proposuerit & propositam dilucidarit, ex antiquitate nullus fateor repertus est, qui hac in parte considerato lectori ita satis fecerit, ut unicus *Fracastorius*: in quo dicere possis ingenium poëticum, subtilitatem philosophicam, ac experientiam Medicam quodammodo inter se decertasse. Hic namque tribus integris libris quicquid ad contagij naturam per se satis intricatam & caliginosam requiri videtur, quàm plenissimè proposuit; Ac primò statim capite lib. 5. docet. *Contagium nihil aliud esse quàm infectionem aut malignã qualitatẽ de uno subjecto in aliud transeuntem: vel quæ ab uno corpore in aliud transferatur.*

3. Causæ.

Quo posito fundamento, statim causas & principia dicti contagij vel infectionis subnectens, eas primâ divisione dirimit in externas & internas: ac internæ quidem ipsi sunt obstructiones & plenitudines caco-

chymicæ: vel potius malignæ harum plenitudinum qualitates, per ipsam quodammodo moram diuturniorem acquisitæ.

Causam verò seu principium externum ponit aërem dupliciter corruptibilem, videlicet aut à solo qualitatum excessu, aut commixtione putridorum & venenatorum vaporum, qui ita cum eo commiscentur, ut sicut in respiratione nullatenus separari queunt, sic universum respirantium genus labe suâ necessariò conspurcent & inficiant.

4. Differentia.

Quod ad species seu differentias contagij attinet, easdem prædictus auctor in tres classes & membra secernit.

1. Contagiũ per contactum s. simplex.

1. Primam quidem speciem ait fieri per contactum, hoc est appropinquando propius ad eos qui peste laborant, ita ut communicatio mali necessariò inde subsequatur; & hoc quidem propriè *Contagium* dicitur, ratione videlicet illius qui intercedit, mutui contactus. Contagia enim per contactum solum afficiunt, quod contagium ex contactu dicitur, inquit Fracastorius. Cujus rei clarum habemus exemplum in pyris, pomis alijsque fructibus horarijs putrescentibus, & se invicem quàm celerrimè inficientibus. Ac videntur ad tale contagium re ipsa producendum quatuor necessariò concurrere, videlicet: 1. Corpus tangens. 2. Corpus quod attingitur. 3. Materia seu qualitas contagiosa quæ communicatur, & 4. Distantia seu locus in quo fit communicatio.

2. Contagium per fomitem.

2. *Contagium* quod vocant *per fomitem*, sic dictum quod necessariò præsupponat materiam & dispositionem subjecti ad recipiendum venenum, causas & principia agnoscit eadem. Siquidem in prima contagij specie quàm simplicem cognominare placet, mixtio existit magis subtilis & magis spiritualis, quæque per consequens facilè dissipetur: E contrario verò in contagio per fomitem & conservationem, ut mixtio accuratior coalescit, ita in materia magis viscida ac tenaci, atque ad exhalationem & dissipationem subitaneam minus apta radices agit. Unde necessariò contagij semina in ea diutius conservantur. Ac licet hujus secundæ speciei contagij essentia minus sit spiritualis, quàm primæ, tamen quoad generationem & communicationem facilem, non minus exitiosa existit.

3. De contagij ad distans tertia specie.

3. *Tertia & ultima* contagij differentia est dicta *ad distans*, utpote cujus venenum tantæ subtilitatis existit, ut ad sui communicationem actualem contactum minimè requirat, verùm per spacium satis distans communicari possit. Quidam hujus tertiæ speciei alias causas aliaque principia asserere ausi sunt, magis videlicet quàm in prioribus duabus spiritualia: utpote quia minorem in corpore subjecto resistentiam offendat.

Mi-

Minimè verò hoc loco animus est, in hac nostra sententia vel subtilioribus rationibus confirmanda, vel probatissimorum Autorum testimonijs stabilienda moras nectere: idq; unius prolixitatis metu, quæ lectoris studium & memoriam dejicere solet & perturbare, hâc solâ positione contentus : *necessarium utiq; videri , venenum quod citra contactum, etiam per spacium distans ac remotum, corpus aliquod sanum inficit, esse oportere spiritualitatis ut miræ, sic activitatis stupendæ.*

Causæ verò (ut hoc obiter addam) hujus tam subtilis ac quasi astralis penetrationis , adferri solent à doctis sequentes : videlicet tum *propagatio seu generatio* ejus ex humoribus jam corruptis & infectis , qui paulatim , ut contiguos sibi alios pare labe inficiunt , sic tandem per quandam digestionem in miram subtilitatem elevantur : tum inevitabilis ejus simul cum ambiente cui permiscetur aëre , inspiratione & transspiratione intra corpus nostrum attractio. Hæc verò contagij seminaria aëri tam probè accuratèque permixta , intra corpus inspiratione & diastole, facilè quidem introducuntur : verùm ob naturalem meatuum seu vasorum quæ pertranseunt dispositionem & figuram, pari facilitate à facultate vitali, quæ expiratione & sistole fuligines & excrementa foras ablegare consuevit non protruduntur. Cum enim omnis evaporatio subtilis ac spiritualis ex loco angusto egrediens in amplum longè faciliùs dilatetur , quàm contra ex amplo contrahatur in arctum : venæ verò & arteriæ corporis nostri versus principium suum sint amplissimæ, circa verò corporis superficiem, suasque extremitates quodammodo in capillorum filamenta desinant : manifestum esse arbitror contagij fomitem , ad regionem cordis usque facilè posse permeare , & ex ea remeare difficillimè: tum quòd infectio prædicta spiritualis sit naturæ, tum etiam quod cor ipsum spiritibus abundet , tanquam primævus eorum locus, & naturalis origo.

5. *Communicatio per sensus.*

E suprà dictis nulli non satis constat contagij speciem modo enarratam, quam cęteris magis spiritualem asserimus, non tantum per mutuum contactum , ad similitudinem primarum duarum, verùm etiam per sensus reliquos posse communicari: idque ea potissimum de causa, quòd nimirum reliqui sensus majori spirituum abundent copiâ ac vivaciore donati sint subtilitate , sicque dum ad contagij hujus naturam (quæ non tantum spiritualis est, verum etiam spirituali vehiculo, aëre nimirum & vento utitur) propius accedunt, ejus penetrationem longè facilius quàm sensus tactus admittant.

Ac quanta tertij hujus contagij existat velocitas, conjectura facilis esse potest , ubi stupendam illam pestem apud Athenienses à Thu-

cydide depictã consideravimus, quæ ventorũ alis ex Æthiopia in Græciã usq; fuit transvecta, eodẽ Thucydide teste, ut & Ammiano Marcellino lib. suæ historiæ XIX. Itemque Lucretio poëta cujus versus ob elegantiam huc apponere libuit.

Nam penitus veniens Ægypti è finibus ortus,
Aëre permensus multum camposq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde catervatim morbo mortiq; dabantur.

Verùm ne nova cuiquam hæc nostra quâ contagium per nudum aërem ac ventum de regione in regionem transportari posse asseruimus, sententia videatur, audiantur quæso in ejus confirmationem gravissimorũ autorũ consentientes opiniones.

Fracastorius lib. suo quem de contagione scripsit emaculatissimo cap. VI. sic ait: *Quæ ad distans*, inquit, *faciũt contagionem absente etiam primo perdurant nihilominus & in fomite & in aëre, quinimò de loco ad locum feruntur, trans etiam maria.* Et capite XIII. subjungit: *Tum verò tibi cavendum erit, cũ ventos quosdam fueris conspicatus ex eâ regione proferre ubi pestilentia grassatur.*

Porrò subtilis hujus contagij venenum etiam per reliquos omnes sensus corpora posse subire nostra, videlicet *auditum, visum, odoratum, ac multo magis respirationem*: id ex lege contrariorum evadit manifestissimum. Si enim per dictas vias omnes & singulas, causa recuperandæ sanitatis, seu medicamentum morbum intrinsecus latentem oppugnaturum, vel saltem mitigaturum symptomata, subintrare potest: quare non & causa morbifica? Sic Propheta David suavitate suæ lyræ in instanti pellebat seu demulcebat maniam, quâ per intervalla planè hominem exuebat rex Saul. Similiter etiam Tarentulæ venenum cerebro admodum infestum dulci instrumentorum musicorum harmoniâ quàm celerrime retundi ac sopiri notissimum est. Cum igitur per auditum fieri curatio possit, quare non etiam per illum producetur? rei hujus veritas olim sic fuit pervulgata, ut etiam à Poëtis decantaretur: quorum libri ferè omnes referti sunt encomijs versuum, mirabili quâdam virtute dum aures subirent, quamplurima mala abigentium. Horatius non obscurè innuit morbos à veneficijs ortos mediantibus carminibus certis curari posse, dum ait:

Ah! ah! solutus ambulat
Veneficæ scientioris carmine.

Sed ne quis poëtarum ob fabulas, quas sæpe veritati adspergunt, authoritatem extenuando, hanc quoque ipsorum sententiam fabulæ quàm veritati similiorem dicat: hoc insuper adjiciemus, non paucos quoque Historicos gravissimos, adde & Medicos in arte sua expertissimos, maximorum sæpè morborum curationem talibus in versibus collocare. Audiamus quid hac de

de re dicat Vindecianus, vel potius ipse Serenus Sammonicus, vel Marcellus Empiricus;

Sume igitur Medicos pro tempore proque labore,
Ætatisq; habitu summâ ratione paratos:
Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potius, namq; est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Concludamus igitur, si certa quędam incantamenta pellendi morbos vi pollent, quòd ex contrariorum natura, eosdem quoq; infligere valeant.

Verùm enimverò, ut ex animo quid hac de re tota sentiamus non dissimulemus, hæc quæ de incantamentorum vi & efficacia attulimus, ad veritatis ulteriorem indagationem potiùs, quàm quòd eis vim ullam attribuendam putemus dicta credãtur: alibi quippè ejusmodi curandi modos ut fanaticos, impios, & diabolicos ad orcum planè ablegavimus.

5. Receptio per visum.

Contagium verò etiam solo mediante visu seu aspectu suscipi posse, licet à multis incredibile videatur, minore tamen difficultate probatur, idque ducto argumento à minori ad majus. Si enim vitium aliquod per solum aspectum communicari, ac in aliud subjectũm trãsferri possit: quare nõ per eundem visum ab alio subjecto forinseco contagium recipietur? si quidem major longè vis & efficacia ad depromendum & communicandum, quàm ad recipiẽdum requiritur. Ad aspectum verò mulieris menstruo laborantis etiam speculo solidissimo maculas, quæ non nisi magno artificio deleantur, quasi insculpi, tradunt philosophi quàm plurimi. Sed quid multis argumentis opus est, cùm rerum testimonia adstẽt in procinctu. Quis enim nescit ophthalmiam seu lippitudinem morbum contagiosum esse, soloq; aspectu oculi affecti acquiri? ut hîc taceã gravissimorum autorum testimonia; Evagrij videlicet & Nicephori, qui pestem ex solo aspectu infectarum ædium contrahi posse, pari sententia confirmarunt.

6. Per odoratum.

Multò verò facilius suscipi eam per odoratum, quàm modo dictos duos sensus, etiam lippis & tonsoribus notum est. Si enim odorum vis & efficacia, pestis tempore tum ad prę servationem, tum ad curationẽ multum conferat: quare è contrario tetros ac cerebro maximè offensos odores, corpora nostra inquinare, quin & contagii pestiferi vehiculum esse posse inficias ibimus? Norunt omnes halitum fœtentem phthisici alicujus formati, corpus etiam ad pondus temperatum, (si modo tale daretur, & aliquandiu duraret) coinquinare posse: quare igitur idem de pestis contagio, cujus venenum longè subtilius est ac penetrantius, asserere verebimur? ac licet ubi rerum momenta prævalent autoritatibus,

decertare minus necessarium videatur, tamen ex superabundanti, unum atq; alterum huc adferre placet gravissimorum virorum placitum.

Autoritate. Pestem itaq; ex fœtoribus cadaverum, ut post cruentas magnorum exercituum pugnas seu conflictus fermè fieri solet, primordia sua sæpè ducere testatur Ovidius, dum ait:

Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.

Sed cùm Poëtarum authoritas hac in parte admittenda minimè à multis videatur: audiamus historicos. Diodorus Siculus in descriptione pestis Carthaginensis affirmat, Contagii malum mirum ac subitaneum incrementum sumpsisse, ob fœtidas exhalationes tum cadaverum sepulturâ carentium, tum lacuum maritimorum. *Et exemplis historia.* Appianus Alexandrinus lib. 6. de bello Punico sic scribit: *Strages verò ipsis aderat multa, & magno dolore conjuncta, versantibus cum fœtidis & putridis corporibus.*

7. *Per gustum & tactum.*

Contagiorum verò, quæ per reliquos duos sensus, *gustum* videlicet & *tactum* communicantur, causæ maximè existunt evidentes, ideoque ad primas duas differentias potiùs referendæ. Notissimum enim est non minus quàm frequentissimum, eos, qui vel ex eodem vase, nedum eadem vasis parte, post leprosum aut lue Venerea infectum, (ita tamen ut in ore ipsorum efflorescentiæ ulcus appareat) pauco interjecto tempore biberint: simile contagium contrahere. Infans quoque, qui lac nutricis quocunq; cõtagioso morbo infectæ biberit, ore contagium recipit. Multò igitur magis si pestis adsit, utpotè cujus venenum leprâ & Venereâ lue subtilitatem longè majorem ac penetrandi vim obtinet. Per cõtactum verò mutuum, ut hæc eadem mala faciliùs longè, sic pestem communicari seu de subjecto in subjectũ transire posse, ita notum est, quàm quod potest esse notissimum: id enim vel ipsa *Contagii* notatio arguit.

CAP. VIII.

De Microcosmo.

Microcosmus trãsposita sanitatis seu indispositionis causa est, quatenus I. Microcosmus ex maledictione illa divina corruptus est.

N. Cũ Deus infinitè bonus, ac ipsa per se bonitas, summaque perfectio, res omnes in suis specieb. planè bonas & perfectas in hominis usum ac gratiam, ipsum deniq; hominẽ perfectissimis omnib. animæ & corporis virtutib. creasset, qui tam elegãti palatio, & tot tantisq; donis copiosissimè instructo præesset omnibus creatis frueretur: imò & ipse de vitę arbore fructus ad vitæ immortalitatem decerperet, si mãdatis Creatoris obtemperasset: per lapsum autem, in omnibus illis corporis & animi ornamentis, verè proterviam fecisset: factum est, ut justo Dei ju dicio propter suum peccatum non tantùm *humana caro*, sed & *terra cœlique* maledictione divina in eum undiq; conspirarint. *Homo post lapsum miserrimus.*

Hinc

Hinc tàm pellucidi ac splẽdidi intellectûs ejus radii, densissimis tenebris & fœda caligine obducti: cognitio illa in eo rerum omniũ dilucida, & tàm illustris, tetris ignorantia velis funditùs involuta: divina mens, quâ ad imaginem Dei efformatus erat, infecta, & brutis affectibus obnoxia: memoria læsa perturbataq;: omnes deniq; sensus, cũ interni, tum externi, quorum elegantiâ & perfectione, ad cœlum usq; evectus erat, miserè depravati sunt: cumq; is antea illustria in frõte divinitatis insignia gestaret, æternitatis notas ostentaret, ac summi boni, perpetuæ felicitatis, incussæq; quietis pignore lætaretur, in has conclamatas ac calamitosas corporis ac animæ miserias, quibus assiduè cõflictatur, momẽto pceps irruerit, ut ærumnarum mole æviq; brevitate, aliis creaturis longè videatur inferior.

His omnib. inquam, dotib. spoliatus, quantis corporis calamitatibus obnoxius sit redditus, opus est excutiamus, ac quibus defectibus scateant sensus ejus paulisper perpendamus.

Sẽnsus hominis depravati.

Cum enim ejus *aures* semper antea ab omni impedimento liberæ, ad divinarum laudum cantus alacriter paterent, prorsùs nunc ad omnia obsurduerunt & occalluerunt.

Oculi aliâs radiantes, & ὀξυδερκοὶ, & ad omne bonum rectumque collineantes, suffusionibus & cataractis vitiati, aut potius occœcati sunt.

Nares suave redolentes, fœtoribus scatent, meræque putredinis cloacæ, ac impuritatum sentinæ redditæ: gustus prorsus depravatus, loloco suavissimi saporis, nil præter amarum & ingrata fastidia sapit.

Cùm verò manibus ad vitæ fructum perpetuæ decerpendum esset præditus: nunc summa corporis & animi anxietate, eæ ad arandam tellurem, & fodienda terræ viscera coguntur, idque sæpius nullo fructu, & sic sententia Dei: *In sudore vultus tui comedes panem tuum*, quàm verissimè ubique appareat.

Quid plura? Cùm verni ejus temporis flos perpetuò viresceret, nihilque quàm suavissimos vitæ fructus explicaret: nunc sæva hiemis asperitate exarescunt, ac rigent omnia: quæ nihil aliud quàm repentinam senectam, & præproperum vitalium facultatum interitum minãtur. Cum eæ animi gratiæ, affectiones, omni recreatione fælici suaves, in mœrores & angustias degenerarunt: ut nihil non in perniciem tàm corporis, quàm animi nunc concurrat. Siquidem & calore & frigore, fame, sitique, ac aliis id genus infinitis miseriis impetitus homo, perpetuò conflictatur, & miserandâ sorte obruitur.

Corpus ejus cùm alioq. optimâ & pfectâ omnium partium symmetriâ ac temperamento ęquali constaret, nũc prorsus ametria omni, omnib. q; ἀκρασίας generib. dissolvitur, ut nihil nũc in toto orbe calamitosius sit homine: qui

qui pejorem etiam brutis, magisque deplorandam vitæ conditionem sortitus est. Siquidē longè majore quàm bruta morborum numero ac varietate premitur: adeò ut omnium malorum fœdissima sit sentina, quibus ab ipso ortu & incunabulis ad extremum usque senium, tanquam perpetuis comitibus ad terram, nonnunquam etiam ante annos pubertatis, deducitur. Et hæc quidem sunt peccati ac humanæ pervicaciæ stipendia, Dei mandato designata.

Nec homo solùm, sed propter eum *Natura universa mundique elementa* maledictionis divinę pœnam ferunt: unde cibi ac potus magis noxii ac insalubres, quam utiles ac salutares. Quinimo, quo eos habemus copiosiores, aut magis iis ad delicias utimur, corpus recreaturi, eò majorem inde noxam cōtrahimus: ut vel hinc lapsus nostri fructus, hoc est, pœnæ suppliciaque nobis haurienda sint, ea præsertim de causa, quod elementorum corruptiones ac alterationes, cum nostra ingluvie & intemperantia conjunctæ, varia morborum genera procreent foveantque.

Nec ab his tantùm afficimur, hoc est, ab aëre, cibo, & potu, sed ab inanitione etiam & repletione, somno & vigilia, motu & quiete, quæ usque adeò corpus nostrum immutare possunt, ut crebrò valetudo nostra infringatur, eorumque defectu, vel excessu prorsus deficiat vel tollatur. Atque idcircò non naturales meritò dici possunt hæ res sex, non quòd extrinsecus contingant, cùm nihil sit

Res non naturales quid?

non naturale, bonum videlicet ex prima origine, & malum ex contingente maledictione ob lapsum hominis, omnibus creaturis indictâ: sed quod omnia à Natura sua degenerarint.

Semina morborum quomodo in homine?

Hinc insita in nobis sunt semina & radices, ac rerum principia, quæ digestis tēporibus in exaltationem suam adducta, fructus sui generis, hoc est, morbos & symptomata actu producunt.

Atque hac lege, dicent Hermetici, latere in corpore radices, semina, impuritates nitrosulphureas, febriles, vel mercuriales, vitriolatas, epilepticas: quæ maturo & opportuno tempore accensæ, separatæ & exaltatæ, fructus febriles & epilepticos possunt producere, tum in corde, tum in cerebro: utpotè rigores, frigiditates, calores præter naturam: repentinum casum, motus convulsivos, oris & faciei distractionem, & id genus reliqua tum febrilia, tum epileptica symptomata.

Causæ morborum antecedentes.

Has radices Hermetici cum Dogmaticis appellare possunt *causas antecedentes morborum*, febrium, v. g. & epilepsiarum, quæ ubi accendentur, exaltabūtur, & fructus suos producent, erunt etiam morbi, morborumque symptomata.

At si progrediamur ulterius, & causis istis antecedentibus morbi appellationem tribuamus: nihil absurdi inde consequetur: siquidē malorum radices & seminaria, in corpore latentia, ea ipsa sunt, quæ, dū quiescunt, modò breviores intermissiones, febribus: modò epilepsiis, longiores

giores concedunt. At dum exaltantur, in actum proferunt suos paroxismos: ita ut unum & idem sit causa morbi, & morbus. Saltem fatendum est, in illis radicibus malum aut affectum potentiâ inesse: sicut in canis semine, canis potentia inest, in semine erucæ, eruca.

Quin & in febrium intermissionibus, & epilepsiarum silentiis, securè dicimus, hunc vel illum hac vel illa febre laborare, aut epilepsia conflictari: licet paroxysmi sileant. Sed qs hæc inficiabitur, quùm vel ipse Galenus dubitarit, quãdo esset dysenteriæ nomen impositurus: an ipso principio exulcerationis intestinorum, quo tempore nondum prorsus læsæ sunt actiones: an quando prorsus depravatæ sunt? Sed diutiùs, quàm par est, cortici inhæremus.

2. *Microcosmus ex semine corrupto genitus.*

Etenim morbi fixi plerunque in sobolem propagantur.

N. Semen de natura salis participat. Sal enim solus & unicus ex tribus principiis hypostaticis est fixus atque firmus.

Quapropter qui ab ejus vitio fiunt morbi, radices fixas habent, ac proinde plerunque sunt hereditarij, ut lepra, calculus, arthritis & his similes. Reliqui autem morbi, qui à principiorum fluxibilium, aut volatilium vitio, ut à mercurio vel sulphure procedunt, ut sunt omnes catharri & febres, haud ita facilè ad posteros pertingunt. Nam nec semina sua firmiter figunt, nec tam altas agunt radices: quòd tenacius impressas tincturas non habeant. Salis vel etiam sulphuris ejusmodi natura fixi, pulchrè elucescit in plantarum seminibus & radicibus: quarum si vel partes transplantes, facillimè tamen novas agunt radices, atque regerminant: adeoque novos edunt fructus. Quod neutiquam fiet de foliis aut floribus, in quibus liquor, aut mercurius volatilis, & sulphur sive oleum volatile sedem habent. Sed sal fixus perpetuò continetur in radice & in quibusdam caulibus, & surculis medullosis. At sulphur fixum in semine. Quapropter ex his etiam transplantantur omnia vegetabilia. At à mercurialibus, quæ facilè evanescunt, non item: Quemadmodum nec à sulphure volatili præditis cuiusmodi sunt flores & nonnullorum folia.

Morbi hi hæreditari dicuntur proprii, quia sponte & à prima origine nobis sunt ingeniti, aut (ut veriùs loquamur) congeniti: adeoque suaptè natura in nobis pullulant, nec opus est novo aliquo semine ad eorum productionem. Cæteri verò qui non jure hæreditario nobis insunt, vocantur accidentarii & acquisiti, quoniam transplantãtur. Transplantatio autem ista est quoddam quasi accidens generationis, quod facilè superveniat iis, in quibus est affinitas quædam seminis cum natu-

ra illorum morborum, qui hæreditarii sunt, ut arthritidis aut calculi. Et ut proprii illi morbi originem trahunt à causa interna: ita accidentarii ab externis, ut crapula, venere, &c. Proprii sunt permanentes, nisi fortè, ut in declinationibus morborum accidit, semen morbi prorsus exhaustum fuerit, in quibus enim parentibus tandem morbi semina desinunt & ad finem suum pervenerunt, senio cōfecto, nihil morbidum transire potest in liberos hæreditario jure: quemadmodum ex leprosis parentibus, non sequitur semper leprosos nasci liberos, si semen lepræ in postremis parentibus extremo senio confectum exaruerit.

Omni enim morbo suus præscriptus est terminus. Accidentarii seu acquisiti morbi, sunt transeuntes.

At tanta est horum cum illis affinitas, atque similitudo, ut facillimè degenerent in illos, ita ut effectu rei extrinsecus advenientis, fiat effectus naturæ, seu uti loquũtur Græci, ex affectu in διαθέσει affectus in ἕξει.

Haud secus namque ac radix balsami vitæ nostræ in perpetuo vigore conservatur à perpetua illa irroratione aquæ vitæ illius generalis, atque purissimi balsami radicalis, qui in omnibus rebus alimentaribus consistit, ac nobis per nutritionem ad conservationem prorogationemque nostri impertitur, juxta illud Hippocratis: ex iisdem nutrimur, ex quibus constamus.

Ita vicissim quando prædictus balsamus noster cōtaminatur à quadam admixtione impura rerum alimentarium, fit ut plurimis morbis atque symptomatibus præbeant occasionem, & generationis causam: tantoq; id magis, si vitale nostrum semen, atque principium vitæ nostræ fuerit inqnatũ ab impuris istis tincturis, atque impressionibus fixis, quæ morbos hæreditarios ingenerant per continuam illam propagationem, qua manifestè apparet vigor seminis earum.

Transplantatio morborum.

Morbi contagiosi eximiè nos docent rationem trāsmutationis morborum, quemadmodum & ii qui ætatibus sunt proprii, certisque temporibus aut locis invadunt, ut non malè statuant, qui etiam morbis sua semina, suasque radices inesse ajunt, quibus repullulent. Ecquid, quæso, similius, & magis ad mentem atque sententiam Hippocratis proferri potest? Is enim scribit in libro suo de flatibus, morborum omnium modum unum esse, nempe eum qui ex seminibus atque radicibus proficiscatur. Quicquid igitur in parentibus continetur, quod firma, eademque spirituali impura, morbida, maligna tinctura seu impressione balsamum illud radicale, vitale semen, humanæque naturæ radicem afficere

aut

aut inficere potest, transplantatione, hæreditaria malum in posteros trăsfert.

At si morborum impura illa semina, non ita adeò profundas radices egerint: vel si balsamum humanum adeò potenter non occupaverint: vel si ope naturæ, & interno illo balsamo separentur, vel artis ministerio ab externis remediorum specificis balsamis debellentur, aut etiă suŭ vitæ terminŭ assequuta fuerint: podagrici podagricos, leprosi leprosos non semper generant. Nă his mediis morborum radices fixæ, atq; inquinatæ eradicantur, impuraque semina purificătur, vel senio suo extinguuntur. Quæ morborum eradicatio, atque purificatio radicum, atque seminum infectorum interdum fit beneficio terræ, nempe matricis mulierum robustarum, bono temperamento, optimaque valetudine præditarum. Unde fit, ut licet patris semen ejusmodi vitio morbido sit inquinatum, istud tamen emendetur à vigore laudati balsami radicalis ipsius matris, ne à patre calculoso calculosi, aut arthritico arthritici generentur.

Et quod magis est, etiam tales generant interdum, qui ne his quidem morbis sint obnoxii, vel ad eos proni, atque proclives. Et è contra fieri potest, ut à patre sano, vegeto, & laudatum semen contribuente, proles tamen morbida, aut morbis hæreditariis obnoxia procreetur: nimirum patris semine concipiente vim illam malignam morborum, quibus mater divexatur.

Sanè verò semen tritici, licet laudatum alioqui, si in terram non bonam conjiciatur, in zizanium abit, aut certè frumentum illaudatum: quod tamen denuò cŏjectum in terram bonam, pristinam naturæ bonitatem acquiret.

3. *Microcosmus actionibus suis vitiosis semetipsum transponens.*

Microcosmus porrò transpositæ sanitatis suæ causa est, vitiosis suis actionibus.

N. 1. Ut prima causa transpositionem illam primævam promerens ac introducens fuit actio vitiosa; Evæ scil. pomi vetiti; ita subinde adhuc corruptionis ac transpositæ sanitatis causę potissimæ sunt vitiosæ actiones. Hæ proveniunt à facultatibus nostris, in primo illo actionis vitio fundatis, transpositis atq; corruptis.

N. 2. Actiones illæ ut patet è præcedentibus sunt respiratio, & huic affinis transpiratio seu exhalatio; nutritio, & huic subserviens excretio ac retentio. Sensuum administratio aut quies, Imaginatio, motus corporis ac animi.

Hæ actiones quo nobiliores sunt, eò pejores & nocentiores inferunt transpositiones, si indecenter, id est, malè administrentur.

Vitiosæ autem sunt actiones si peccetur in excessu, in defectu, in modo agendi.

1. *Nutritio læsa.*

In *Nutritione*, si peccetur in defectu, imminui sanguinem necessum est, atque subsequi atrophiam, vel aduri humores.

In excessu sanguinem crudiorem generari constat, adeoque austerũ, acerbum, phlegmaticum caco-chymicum.

In *modo agendi* si peccetur varia oritur indispositio.

Quin & assumpti alimenti ratione nutritio plerunq; læditur.

Cum itaque læsiones nutritionis acciderint, varia atque inutilia redũdare excrementa necessum est, unde quoque molestię balsamo nativo variæ creantur. De quibus supra prolixius.

2. *Ventilatio ac Respiratio vitiosa.*

Si interceptio generalis illius & secreti aeris corporis nostri, nec non ambientis, quo minus libero inspiret & expiret, (quæ operatio naturæ virtuti propria est, nunquàm non eiusmodi functiones per cordis & arteriarum motũ exercens) hoc inquam aeris impedimentum, vel à duriori cute, nec satis perspirabili, vel ab aeris ambientis frigidiore intemperie, aut ab alia ejusmodi causa allatum, multis variisque morborum gravissimorum generibus excitandis radices & fomenta præbet. Quod etiam præstant & vasorum nimia plenitudo & feces ac tartara humorum, dum vasa opplent & obstruunt, hacque ratione Euripos, hoc est, fluxum ac refluxum quotidianum spirituum remorantur ac interpellant: unde varii halitus & fumi excitantur, corrumpuntur, incẽduntur: qui internas variorum affectuum & gravium symptomatum causas suscitant: febrium sc. inflammationum internarum, cachexiæ, cardialgiæ, hystericæ ac soporiferæ affectionis & aliorum infinitorum id genus.

3. *Exhalatio per poros vitiosè sese habens*

Supra in microcosmi anatomia demonstratum est corpori nostro inesse cum partes puriores ac utiliores, nutritioni humanæ inservientes, tum impuriores ac excrementitias; quæ excretioni destinentur. Et cum hac excretione simul aliquid spirituum bonorum calidique nativi exhalare ac discuti, adeoque pro diversa hac excretione ac discussione leniore scil. vel violentiore, corpus ad senectutem deduci. Nimirum violentiore resolutione ac excretione necessum est senectutem anticipari, atrophiam induci, lampademque defectu nectarei illius olei vitæ nostræ extingui. Hinc mors sequitur præmatura, & quodammodo violenta: Violentiæ tamen causâ ob occasione interna, oborta. Sicut videre licet in hecticis & similibus.

4. Ex-

4. Exhalatio vitiosè administrata in defectu.

Si quotidianę exhalationes excrementitiæ in corpore retineantur & coërceantur, quo minùs expirẽt, aut ab ipsa corporis cacochymia, aut à temperamento vitioso, aut ab ætate debiliore, aut à tempore & regione frigidiore, aut ab obstruente victus ratione: hæc sexcentorum morborum in corpore procreandorum ansam & materiam præbent.

5. Sensus malè administrati.

Sensuum ratione quomodo morbi generentur, videlicet vigiliarum aut somni excessu, fusius in Diætetica recensetur.

6. Motus.

Motus corporis nimius; ut è præcedentibus constat, agitat spiritus, agitando calorem accendit, adeoque spirituũ consumptionem causatur, & balsami nativi debilitationem.

Motus spirituum si intercipiatur, sanguinis putrefactio suboritur.

De motibus animi fuse agit Diætetica.

7. Imaginatio.

Imaginationis vis in generandis morbis maxima est, vide cap. 28.

CAP. IX.

De causis proximis Indispositionis in genere.

Causa quibus proximè indispositio introducitur pro eius varietate, variæ quoque existunt.

Etenim alias causas, agnoscit violata existentia, alias ametria. Quinimò ametria elementalis diversas causas obtinuit ab hypostaticâ & specificâ v. g. vulneris causa proxima est instrumentum vulnerans, combustionis, calor adurens: frigoris gelu: Verum cum nostri propositi non sit omnium morborum genera perlustrare, sed tantum discrepantias Dogmatico-Hermeticas præcipuè attingere, potiora morborum genera solum libabimus, in quibus maximè discrepant.

Galenus.

Itaq; ut in causis morborum enodandis à Galeno incipiamus. Hic jacto fundamento, quod corpus humanum ex quatuor constructum sit elementis, cum omnes omniũ morborum causas nec non medicamentorum facultates ad qualitates primas, secundas, tertias ac ad materiam ipsam revocasset, percepissetq; rem sic minus feliciter succedere, nec instituto ac votis respondere, tandem ad occultas proprietates totius substantię confugit. Quas cum non posset satis aptè enucleare, ne videretur carere rationibus eas ad crasim & mixtionem elementorum certam revocavit.

Hermetici.

Hermetici aliquid aliud in cõpositione & structura corporis humani, quam elementa & eorum qualitates, h. e. calidum, frigidum, humidum, & siccum rimantur, liquorem nempè mercurialem, sulphur & salem omnis generis virtutibus, facultatibus ac proprietatibus prædita principia, ex

quibus infinitæ varietatis colores, sapores, odores & id genus alia promanant, facilè perpendũt, singula *principia, à temperie sua aut aliorum consortio excurrentia, morbos varii generis in corpore procreare*, ut: Si *sulphur* imoderatiùs luxuriet, varias inflammationes, varii generis febres inducat præter alios affectus narcoticos, ac soporiferos, quos suscitat sulphur narcoticum ex spiritib. narcoticis ac inebriantibus, quos in se continet, & per totum corpus luxuriando diffundit. Quod facilè percipitur in nimia vini potatione meracioris aut potentioris, in esu panis multo lolio permixti, nec non usu crosi, camphoræ, succorum papaveris, hyoscyami, cicutæ, aliorumq; opiaticorum: quæ soporiferis suis sulphuribus, non frigida sua qualitate, somnũ cõciliant.

Ex *mercurii* etiam acidis ac acribus vaporibus comperiunt, epilepsias, apoplexias, paralyses, & omnia defluxionum aut catarrhorum genera subinde procreari, qui quidem affectus, si veneno aliquo, aut malignis ac contagiosis spiritibus stipentur, non possunt non Epidemicos morbos Eudemic. venenosos ac contagiosos invehere.

Si *sales* diligenter excutiunt, deprehendunt ex illis erosiones internas, apostemata, ulcera, dysenterias, hæmorragias, quoties ex sedibus suis excurrunt, & ab aliis principiis secernuntur, aut naturæ modum excedũt, nasci ac vim corpori inferre, unde etiam, h.e. ex eorum resolutione, ardores urinę, stranguriæ, & id genus alia membris suscitantur incommoda. Siquidem juxta diversorum salium varietatem, diversa etiam ulcerum, apostematum, erosionũ genera: per ponticum, austerum, ac acerbum eorum spiritũ, ut & variæ colici doloris species, inducuntur.

Horum etiam *salium coagulatione* discunt, tophos calculos, scirrhosos articulorum tumores & nodos, ac infinita obstructionum genera, unde innumeri morbi nascuntur, progenerari. Qui quidem coagulati sales aut tartara, cum nunquam careant mercurio & sulphure, crudis, incoctis ac impuris, si quoque lasciviant, & ad summum suæ malignitatis gradum ascenderint, juxta varias suas naturas ac proprietates diversos affectus complicabunt ac commiscebũt, qui singulorum principiorum qualitates ac vires, simul tamen involutas æmulabuntur.

De morbis rerollaceis seu schematicis ac materialibus.

Nolim tamen ire inficias, quin ex qualitatibus elementaribus, in corpore nostro diffluentibus ac excedentibus nasci queant morborum quædam genera, rerollacea Chymicis dicta, qualia etiam ab excrementitiis ac fæculentis humoribus vel retentis vel superabundantibus proficisci potiùs ex hujusmodi elementis, quàm principiis certum est. Etenim ex flatuum simpliciter aereorum & spirituosorum copia, ex aqueis serositatibus, nec non terrestribus fæcibus, varias affectuum species procreari

ercari indies videmus: attamen ejusmodi morbi exiguas & parùm firmas radices agunt: tincturasque habent momentaneas ac parùm fixas, ut quos etiam facilè sit vel levissimis ac elementaribus remediis abigere, iisque calidis, frigidis, humidis & siccis, ut verbi gratia, acri flatus in intestinis conclusi, & sua distentatione colicos dolores parientes, multo negotio carminativis, ut vocant, clysteribus discutiuntur; serositates aqueæ & superfluæ humiditates medicamentis exsiccantibus absumuntur: inflammationes ex terrestri & simpliciter crassa materia, nitrosulphure coruscante profecta, simplici refrigerante auxilio extinguntur.

De Morbis specificis seu formalibus.

Dicemus porrò cum Fernelio, quosdam morbos verè ac prorsus esse occultos, quos idē trans naturā esse asserit: qui ex influxibus cœlestibus progignuntur, quibusvè aliquid velut divinum, aut saltem præ aliis vulgaribus morbis singulare ac peculiare quid observatur: Quod Medici τὸ ἦθος vocant, & Hippocrates τὸ θεῖον: quales sunt astrales & ætherei affectus, qui certis quibusdam hominibus accidunt singulari quodam astrorum influxu, aut cœli constitutione, aut maligniorum planetarum concursu: sub quo pleriq; nati sunt: qui idcirco ex suorum ascēdentium radicibus, naturis, ac proprietatibus variis, fructusque congruos opportunis temporibus, aspectu suo & radijs producentibus variè afficiuntur.

Ejusmodi morborum causę ut admodum abditæ, ac imis penetralibus infixæ, unà cum individuo nascente natę, similia suæ naturæ medicamenta, hoc est occultissima virtute prędita, & ut cœlestes spirituales, ac æther ei affectus, sic spiritualia quoque ac æthérea remedia postulant; quæ aliunde quàm ex tribus principiis in spiritualem naturam adductis peti possunt. Huc pertinent & morbi, qui sacra pagina docente, ad peccatorum nostrorum castigationem divinitus immitti referuntur. Sic enim inquit Dominus: ***Si in decretis meis ambulaveritis, dabo vobis pluviam suo tempore: si autem non audiveritis me, constituam super vos tabem, pestilentiam, & scabiem quæ non possit curari, & dabo vobis cœlum sicut ferrum, & terram sicut æs.***

Hipprocates.

Hippocrates ab Hermeticis non est alienus in morbis aliquid inesse divinum statuit illudq; τὸ θεῖον in primis Medico esse observandū. Quin & *lib. de antiqua Medicina*, postquam repudiavit quorundam hypotheses, qui plus æquo crasi & elementorum qualitatibus tribuebant: cumq; ipse secus agnovisset varias saporum differentias, rebus à natura insitas, quæ ex crasi elementorum proficisci non poterant, aliam subdit rationem, qua ortus & causas morborum investigarit, easque dulci, acido, acerbo, amaro, & id genus aliis saporibus adscripserit, ac morborum curationes ex eadem familia peti & absolvi debere constanter asseveravit.

Non

Non n. inquit, sic eum neq; humidũ, neque calidum, neq; frigidum, neque aliud quicquam ex his putaverunt hominem lædere: sed quod in uno quoque forte & natura humana potentius est, quodque non possit superari, hoc ipsum lædere dixerunt, & hoc auferre quæsiverunt. Fortissimum autem est inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeo rebus vigor ac summum. Hæc enim & in homine inesse viderunt, & hominem lædere: Inest enim in homine amarum & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque & robur.

Hic sane ut vocibus Amari, Acidi, Acerbi, Dulcis, Salsi, Spirituum nostrorum principia matrices & semina: sic vigoris summi copiæ ac roboris vocibus activæ, vitalesque ipsorum clarè satis exprimuntur impressiones.

Nunquid hæc magis favet Hermeticis opinio, majoremque eum illis consensum habet, quam Galenica illa, qua modo facultates ejusmodi crasi arrogat: modò ad occultas proprietates revocat, cum ea tribus illis solis hypostaticis principiis tribui debeant? q; videtur agnovisse ipse Hippocrates, etsi principiorum illorum nomina tacuerit. Quid enim aliud nobis dulce illud Hippocratis exhibet, quam sulphur aut liquorem rerum oleaginosum, quẽ copiosè semina obtinent omnia, utque semper oleosa appareant? Quid repræsentat aciditas, præter mercurium, quem ferè semper diximus aciditate illa stipari, à quo fermentantur & condiuntur omnia? Quid nobis acerbum & amarum demonstrant, præter qualitates ac proprietates salibus debitas? Quibus ipse Galenus reliquos sapores vendicat.

Constat igitur, Hermetica illa tria principia nõ fuisse Hippocrati ignota, licet aliis terminis nobis illa explicaverit. Atque hinc simul elucescit, theoremata ac fundamenta eorum non recens esse jacta ab huj' seculi Doctoribus, & planè nova esse, cùm originem suam ab ipso Hippocrate, vel altiùs etiam accersiverint. Nec tamen prorsus potissimum attigit scopum Hippocrates: quod non tantùm sensu gustus ejusmodi sapores, quales sunt, sese exhibeant: sed longè accuratiore internæ naturæ anatomia, cuius peritus est verus Chymicus, vitaliumque facultatum omnium rerum perscrutatione ac investigatione, eorum originem nobis in penetralibus rerum latentium: ac simul efficacissimas virtutes spagyricus dissecat, ex tribus illis Principiis, sale, sulphure & mercurio omnia dilucidè oculis subiiciens. Quæ à quovis etiam ex iis, quæ antea à nobis dicta sunt, facilè perspici possunt: nisi quis luscus aut cataractis suffusus, aut planè cœcus ista pervidere non possit.

CAP.

CAP. X.

De causis proximis morborum δυναμικῶν, seu virilium.

DElibatis hactenus in genere causis morborum proximis, secundū Galenum, Hermeticos atq; Hippocratem, operæ precium est, morborum δυναμικῶν, id est, hypostaticorum ac specificorum causas trutinare.

Ergo

Causæ proximæ morborum δυναμικῶν, (virilium) sunt balsami seu spiritus nativi debilitatio atque spirituum morbificorum exaltatio.

N. Omnes ægritudines inde proficiscūtur, in corpore nostro, in quacunq; corporis parte insideant, quod Balsamus naturæ, vita & mumia illic deficiat.

Spiritus morbifici sunt, qui in corpore nostro balsamum nativum quoquo modo molestant, vellicant, irritant, irretiunt, infestant. Dicuntur & Tinctura seu radices seminales morborum.

Nota.

Constat ex sententia quadam venerandi senis Hippoc. nos constare continentibus, contentis & impetum facientibus. Qua contextus serie probari ac demonstrari certissimè potest, ab Hermeticis actionum omnium sive bonarum, sive pravarum & vitiatarum corporis nostri causas attribui naturis potiùs quibusdam & substantiis efficacibus; *Unde omnes actiones prodeant.* astralibus, spiritualibus, omni saporum, odorum, colorum, aliarumque virtutum genere præditis: quas non imaginatione, sed reipsa investigare licet, in tribus illis hypostaticis rerum omnium naturalium, vegetabilium scilicet, mineralium & animaliū principiis, sale nempè, sulphure & liquore mercuriali: quàm nudis illis caliditatis, frigiditatis, humiditatis & siccitatis qualitatibus, aut intemperiei simplici, vel cum materia conjunctæ, *ut bona dogmaticorum pars cum Galeno sentit & docet.*

Dogmatici enim ut dictum est sæpius, docent, ex frigidorum & calidorum humorum occursu, alimentisque frigidis aut calidis, intemperiem frigidam aut calidam in nobis generari. At Hermetici, mutata rerum vice, non qualitates, sed substantias & materias quasdam benè temperatas aut intemperatas, qualitatibus illis saporum, odorum, &c. efficacibus dotatas; quas radices vel seminales tincturas appellant: quæque in spiritualib. solummodò corporibus, omni propè magnitudine, corporeisq; impuritatibus destitutis, interdum latent: interdum verò copiosos impuritatum fructus, sive cōtinēter & sine intermissione, sive per circuitus producunt. *Seminales tinctura substantia qualitatib. efficacibus dotata.* Ex occursu ergo illarum substantiarum vel acidarum, vel acrium, vel ciborū, qui istius naturæ sunt participes, generatur aciditas vel acrimonia, ex qua actiones lædantur, juxta Hermeticorum doctrinam. Sed hoc adjungunt, nisi in frigidorum aut calidorum usu ad-

fuerit cherionium, ut appellant, vel δύναμις quædam, seminali & spirituali tinctura prędita, morbũ in corpore non permanere, nec relinqui posse. Quam δύναμιν in acribus, sallis, acidis, piperatis perpetuò adesse, & reperiri testantur.

Velle igitur in βουλιμίᾳ aut appetẽtia ciborũ inexplebili: q̃ hippocr. λιμὸν dixit simpliciter, quæ *canina appetẽtia* rectius quàm fames dici debet, intemperiem frigidam cogentem & exprimentem, vel caliditatem resolventem accusare, ut *Gal. 2. aph. tom. 1. Paul. lib. 2. c. 51. Aet. ser. 9. c* 1. & *Avic.* 13. *tr. c.* 12. faciunt nonnullis in locis, futile est, & inanis ratiocinationis. Idcircò etiam iidem ipsi authores, iisdẽ in locis, coguntur attentiore studio causam ad humorum acidorũ vitia, sive ii phlegmatici sint, sive melãcholici, referre. Quam Hermetici veriùs, aptiùs ac perspectiùs aciditati cuidã famelicæ tribuunt, seu spiritibus vitriolatis insaturabilibus, à quib. in acerbationem & rabiem suam exaltatis, repentè & uno momento, quicq d est non molliorum tantùm, sed durissimorum etiam ciborum, nec non ossium, lapidum ac metallorum vel solidissimorum, devoratur & conteritur.

Causa Bulimiæ.

His spiritib. ventriculus struthionis, ferrum concoquens, abundare creditur. Quarum virium ratio non aciditati simpliciter tribuenda, quatenus frigida aut alia est: at quatenus spiritibus ejusmodi famelicis gravida & prægnans, utpotè salibus armoniacis & vitriolatis, naturâ voracib., stipatur, & iis acuitur. Citra hos enim nulla aciditas, frigiditas aut caliditas, huic operationi par esse possit: siquidem in solis illis spiritibus aciditatem comitantibus, & in ea contentis, tota vis ejusmodi reposita est.

Atqui hi sunt spiritus, quibus solis Hermetici omnem vim ejusmodi operationum concesserunt, & ex quorum materia quamplurimos, in nobis morbos procreari asserunt.

Spiritus malefici quomodo balsamum nativum infestent?

Spiritus porrò sunt infesti, vel sola vi hypostaticis principiis propriâ, vel usu aciditate, austeritate, acerbitate, acrimonia, amaritudine, inflammatione, &c. Vel insuper peculiari aliqua ac specifica vi noxia:

Nimirum.

Spiritus pro diversa, quam vel metallorum vel vegetabilium gerunt, idea, diversos tam internos quàm externos generant morbos.

Sic spiritus qualitate acida prædi ti, consequẽter morbos acidos & frigidos inducunt, eosq; diversos pro diversa aciditatis differentia, qua cũ Vitrioli metallici, vel Aceti, Limonũ, Berberis, aliorumque vegetabilium aciditate conveniunt.

Simile quoq; de reliquis spiritib. scil. austeris & adstringentib. ad qualitatem vel Aluminis rochæ, vel Acacię magis appropinquantibus, sit judicium.

Sic spiritus, quos à symptomate q sensui tactûs imprimere solent, *formicantes* dicere possis, magis accedunt

dunt ad qualitatem *Aluminis* plumosi, vel *Triticarum*.

Acres. Spirituum qualitates acres ac pũgentes, magis participant de similitudine salis Alkali vel Aronis.

Inflammabiles. Facultas spirituum *inflammatoria*, magis ad Sulphuris communis, vel Olei alicujus, vel Gummi, vel Resinæ naturam appropinquat.

Qualitates spirituum *amara* cum sale Gemmæ, aut Aloë.

Vomitiva, & pestifera, cũ Arsenico, Antimonio, vel cum Aconito, & Napello, majorem habent similitudinẽ.

Sic Spiritus venenati, v.g. Arsenicales & Napellini ex aliis etiam corporibus emanentes spiritus aëri, quo vivimus sæpè permixti, eosdem inibi producunt fructus venenatos & symptomata, quæ illud venenum, v.g. Arsenicum minerale, aut Napellus vegetabilis.

Q.1. Qui fiat, quod alii facilius, alii difficilius à spiritibus, morbificis, v.g. venenatis & pestiferis afficiantur?

℞. Spiritibus dictis, pro diversitate humorum, fœcũq; tartarearum & corruptionum, mineræ, seminarii, fœcundæq; matricis instar, substernuntur.

Inde fit ut illi qui hujusmodi corruptorum humorum sentinam gremio occultant: humorum inq̃ quos spiritus morbifici, v.g. Arsenicales, Napellini &c. sua tinctura infecerũt, vel qui ad eam facili occasione suscipiendam, præ aliis magis sunt dispositi: pestis venenum faciliùs longè recipiant.

Cùm enim ex quatuor causis quæ ad omnem actionem necessariò requiruntur, sint du[illegible] insigniores: agẽtis nempè ad actionem producẽdam sufficiens robur, à spiritu morbifico, v.g. venenato pestem inducente prodiens: & dispositio patiẽtis, ab humorum exorta corruptione, quam perniciosi ac morbifici pestiferi spiritus comitantur, qui non secus ad pestem suscipiendam sunt proximè dispositi, quàm pulvis tormentarius, aut aurum ardẽs, ad ignem concipiendum, solo motûs beneficio promovetur.

Cur aurũ ardens potius quam alterũ flãmam concipiat. Sed quemadmodum Aurum illud ardens magis aptum est ad flammam concipiendam, quàm pulvis tormẽtarius vulgaris: cum tale aurum illam solo motu, & absq; igne in se admittat: sic *quædam corpora magnis morbis, v.g. febribus aut igni pestis sunt obnoxia, aut certè minus*, pro varia humorum corruptorum quibus abundant ratione: quique eò celeriùs, vel tardiùs suos effectus producunt, quò velociorem nacti sunt maturitatem, vel tardiorem.

Q.2. An venena aliquandiu in corpore possint delitescere, & unde id?

Quædam venena deprehenduntur in suis matricibus & seminariis paucis diebus, alia per annos plurimos, latitantia. Quod certè nulli alii rei adscribi debet, quam venenorum quorundam qualitatibus, quæ citiùs aut tardiùs suos fru-

fructus proferunt: aut saltem proprietatibus matricum quibus continentur, atque fertilitatibus: prout exemplo fructuum è diversis locis citò vel tardè emergentium, satis abundè confirmatur.

De lue venerea Fernelius refert, posse eam ad duodecimum usq; annum in corporis nostri interioribus latere absconditam. Quod etiam in variolis evadit manifestiùs, quæ licet passim in puerili ætate contingant, aliquando tamen post vigesimum aut trigesimum annum emergunt, in iis præsertim quorum corpora ab hoc contagij genere nondum depurata fuerunt. Idem prorsus de peste sit judicium, ad cujus corruptelam suscipiendam, alii præ aliis magis sunt ob humores corruptos dispositi.

Quædã variolæ post longos annos recrudescũt

Cap. XI.

Methodus productionis morborum.
1. Transpositio seu corruptio universalis.

PRimus fons ac origo omnis mali adeoque morborum est vitiosus pomi vetiti esus, Diaboli persuasu peractus, quo primi nostri parentes toti naturæ, inprimis autem humanæ corruptionem promeriti sunt.

Transgressionem hanc punivit Deus, ceu justus Judex naturę transpositione ac degradatione, qua spiritus, potentiæ sive seminales rationes beneficæ ad vitam conservandam facientes, debilitatæ; maleficæ, mortem maturantes quæ depressæ antea erant, sunt productæ ac corroboratæ. Et hæc prima transpositionis facies est.

2. Transpositio seu corruptio universalis.

Prima illa corruptionis facies ulterius transposita ac corrupta est per diluvium, quo itidem natura, quæ adhuc ex primæva illa corruptione augescens supererat, (ut apparet ex augescentibus subindè humanæ vitę curriculis) ampliùs deteriorata est, & in continuam senescentiam transposita fuit. Et hæc altera notabilis naturæ transpositio.

3. Transpositio particularis & collectio seminum morbificorum.

Universalibus hisce transpositionibus, res quælibet ac præcipuè homo adeò transpositus est, ut non modo in se ad corruptionem dispositus, sed etiam ad actiones vitiosas pronus sit: quin & res omnes, quibus ad vitæ sustentationem uti tenetur, corruptæ, corruptionem illam innatam juvant.

Semen universali illa corruptione seminales corruptionis rationes secum portat, imo nonnunquam supervenienter, parentum vitiis acquisitâ corruptione ulterius hæreditariaq propagatione corruptum est, aut infelici astrorum facie ac influxu corrumpitur.

Nu-

Nutrimentum ac aër ſcatent tincturis noxijs. Homo ipſemet ad actionum vitioſam adminiſtrationē uti pronus, ita potentiam in actum deducit, adeoque & ſemet non raro ulterius tranſponit ac corrumpit. Hinc colligitur loco materiæ aptæ & ad nutritionem ac ſuſtentationem requiſitæ, materia inutilis & inidonea, omnigenis rationibus ſeminalibus, tum bonis tum malis, non minus ac macrocoſmus, unde materia illa ſurrogatur, referta, atque in indolem humanam aliquatenus tranſmutata, vel & peculiariter corrupta hominis illius natura tranſplantatur.

4. *Exaltatio collectæ materiæ ac ſeminum morbificorum.*

Materia illa collecta, quia à natura ſubigi, progredive nequit, retrogredi nititur, idque per corruptionem qua res quælibet progredi neſciens in chaos revertitur. In hac corruptione ſegregantur partes miſcibiles ab invicem, ſeminaque inibi latitantia occaſionem expectatam arripiunt. Hinc id quòd fortius eſt aſſimilat ſibi id quod debilius, adeoq; paulatim viribus accreſcens, balſamum nativum pro ſua idæa adoritur ac vellicat. Balſamus vero econtra hoſtem ſuum, vel corrigere vel ejicere vel tranſplantare & ad ejectionem adaptare conatur.

Secretio porrò dicta ac corruptio fit diverſimodè non modo pro majore vel minore debilitate naturæ, ſed & pro diverſâ materiæ ſive humoris & inibi contentorum ſeminum ſpecie ac idæa. Hinc fit 1. Corruptio ac ſecretio, qua partes illæ ſimplici alteratione, ſine inſigni exhalatione alterantur, & ſub majoris poteſtatem rediguntur, quod inde ad ἀκρότητα exaltatur, vel inſuper vi accedentis miaſmatis interveniente fermentatione tranſplantatur, ut in fermentatione panis.

2. Fit alteratio ſeu corruptio, qua partes volatiliores ſubinde exhalāt, partesque circumjacentes afficiunt, veluti in corruptione cadaveris, in putreſcentia herbæ.

3. Datur corruptio, quâ partes ad ebullitionem & inflammationem evehuntur; veluti conſpicere licet in conjunctione aquæ fortis & ferri ſeu cupri: in cōmixtione olei antimonij ac ſpiritus alicujus mineralis acidi; in confuſione olei ex ſanguine microcoſmico per Retortam prolecti, ac ſpiritus nitri, qua excitatur ebullitio cum calore paroxiſmo febrili nō abſimilis. Cum econtra ex confuſione Spiritus ſeu ſalis volatilis ex eodē ſanguine prolecti, & ejuſdem Spiritus nitri, qua vitrum continens frigeſcere incipit ac ſi glacies manibus tangatur. De quibus egi in libello meo de febribus epidemijs.

N. Methodum hanc generandorum morborum paulò aliter ante annos paucos luſu poëtico comprehendi eoq; clariſs. D. D. Ludovico von Hornigh/ affini meo tractatum de peſte edenti ſum gratulatus. Luſum cum hunc ſubjicere placet.

Facultati concessa est cuique voluptas,
Merces si bene agat, sin; data pœna dolor.
Hinc varia ut SVMMI virtute creata facultas:
Sic merces varia est, pœnaque sic varia est.
Vtraque eò major, quò dignior ipsa facultas.
Pœnaque eò pejor læsio quò gravior.
Scilicet omnigenis Macrocosmus viribus extat,
Atque hinc sympathicis his Microcosmus homo.
Triplicis hæ classis: perfectum est omne triunum:
Vis calida hinc acris, denique vis propria.
Vis eadem calida est, ac communissima cunctis
Quâ sine nil agitur, qua sine cuncta jacent.
Vis acris aut penetrans fermentativaque virtus
Est varia, ut variam propria nempe cupit.
Propria vis uni speciei sola dicata est
Actu: alias plures namque latere queunt.
Vis calida est propriè commissa pedissequa vitæ,
Corpori at est acris: spiritui propria.
Est igitur proprijs communis spiritus hospes,
Obtinet ast centrum quaque sibi proprium.
Ceu loca Rex tribuit varijs diversa ministris.
Nempe suum peragant è quibus officium.
In mundo hæ vires insunt communiter illi
Spiritui: at stellam quaq; tenet propriam.
Hinc vibrant, radios sparguntq; subinde per orbem
Fructiferos, vires omnigenæ unde fluunt.
Materia hæc crassa, dum nempe feruntur ad imum
Susceptæ omnigeno semine cuncta replent.
En, Natura suis ut viribus undique missis
Semina producit: semina facta fovet:
Terminus ast cunctis his concentratus homo stat
Ceu complementum fasciculusque brevis.
Spiritus humanus quare tot viribus audit
Prægnans, quot dictus magnus is orbis habet.
Hæ variè è membris vibrant hinc inde per omne
Corpus: nam centro sunt ea facta suo.
En mirum! mundo quæ concordantia utrique!
Vtrumvis, mirum, mira catena ligat!
Ergo hinc, si grave quid fit respondetur & illinc:
Chordâ una pulsâ consonat æquisonans.

Et

Et sonus hic talis , qualis pulsatio; nempe
Si bona, lætificans, sin mala tristificans.
Vis tristis latet imbellis, nec prodit in actum:
Namque nocens serpens serpere jussus humi est.
Ast exaltatò si fit transgressio prava.
Stridet id in mundo, stridet in aure Dei.
Hinc punitivam quoniam traductus in iram
Et Deus & mundi spiritus omnigenus:
Vipera humi reptans lethales arrigit aures,
Vis sumit vires debilis ante jacens.
Imbellis surgit trahiturque potentia in actum
Semen fit turgens: hinc dolor hinc lachryma.
Ipse, jubente Deo, turgescit spiritus, atque
Immemor officij semina prava fovet.
Matrix seu stella seu sublunaria certa
Sint, oritur tandem noxia progenies
Noxia seu sit sola suis, seu viribus obsit
Transplantata novis: seu sit utrinque mala.

Et paulò post de pestis generatione.

Hoc motu pravo (scilicet spiritus illius) quoq; vice à noxia mota
Exilit in semen, fructifer unde vapor
Hic patriam primam repetens, ubi læsio facta,
Fit causis primis apta nocere suis.
Sis mater species conceptas gignit, adaptat
Imprimit & forti phantasia soboli.
Sic faber ut faustæ sibimet res qualibet extat
Fortunæ: infaustæ sic eademque faber.

Cap. XII.

De Locis affectis, eorumque cognitione.

Locus affectus dicitur, unde indispositio pullulat, vel ubi stabulatur.

N. Hermetici longè aliter, & de loci natura & proprietatibus ac Peripateticorum plerique sentiunt: qui mathematicas disciplinas rebus naturalibus adaptare conantur. Apud Hermeticos enim Elementa, matricis, agri, ventriculi, minera, loca sunt rerũ non otiosa: Sed suis proprietatibus dotata, quæ vitam alimentumq; suppeditãt, suis locatis & contentis, i.e. seminibus ex quibus tandẽ fructus producãt, quos in penetralibus recõditos asservãt. Quot igitur in corpore humano ventriculi quot foci, mineræ, matrices elemẽtavè, seminũ vitaliũ proprietatib. prædita: tot morborũ quoq; sunt loca. Et quæcunq; semina sanitatis vim cõtinent,

nét, eadem morborũ radices sibi insitas quoque habent. Sanitatis enim & morbi idem esse subjectum, certissimum est, ita ut alterum ab altero, ex uno & eodem loco, juxta contrariorum legem ac disciplinam pellatur & extrudatur. Et hæc est loci apud eos receptio, medicæ arti, ipsiq; curationi accommodatissima.

Differunt autem inter se loca, subtilitate, spiritualitate, crassitie, coagulatione, vita & potestate.

Cæterum, pro rerum differentia & conjunctione, diversitas erit in loco: longè enim aliter in terra esse dicitur truncus cariosus & rancidus lapis demortuus, vitaliq; spiritu destitutus: & longè aliter arbos, radicibus & fibris suis terræ infixa, & hauriens ab ea, tanquam matrice suum alimentum. Longè ab his etiam dicetur esse mineralis quidam spiritus in abyssis terræ delitescens ad tempus digestum, unde anniversariæ repullulationes novarum generationum, & origenes transplantationum dependent. Sic & in corpore humano differentias locorum demonstrant lapis in vesica vel renibus coagulatus: Podagricorum tophi in articulis: Sed primariò in mucilaginibus, in quibus vigent spiritus & tincturæ salium.

Cæterum loca morborum alia facilius per corporeos analogismos, sensuum beneficio, perquiruntur & cognoscuntur: Alia difficilius: facilè quidem ab actione læsa, ab excrementis, à doloris specie & situ, à tumore alijsque symptomatibus & signis, à morborum proprietatibus proficiscentibus. Hac ratione cognoscimus, Spiritus arsenicales, corrosivos sese in membranas, arterias, venas, musculos, pectoris insinuasse, ibique pleuritidi pestilenti materiam suppeditasse: quum id nobis facilè appareat ex tussi, dolore pungente, viribus statim prostratis, sputo, cruento purulentoque. Quemadmodum & in intestinis adesse ejusmodi arsenicales sales ostenditur ex pestilenti dysenteria, quam suscitant: ex perpetuo tenesmo & egerendi cupiditate, illo sale arsenicali ea loca erodente, vires confestim dejiciente, excrementa nigra, fœtida ac purulenta reddente, nec non dolores gravissimos, pungentes & lancinantes inferente.

In alijs quibusdam morbis, citra signa, eorum loca facilè deprehenduntur, quæ etiam ab ipso ægro demonstrari possunt. Cujusmodi est podagra, strumæ, cancer, omnesq; alij sub aspectum cadentes affectus. Quamvis autem cancrosæ radices fructus suos quandoque ad faciem, interdum ad pectus, & ad mamillas protrudant: quod sanguine tenuissimo & salibus volatilibus refertæ illæ partes, ut plurimum nutriantur. Aut quamvis strumosæ resolutiones ad collum evehantur, & ibi efflorescant quod isthic glandulas, venas, domesticis mercurialibus liquoribus, aluminosis & aronicis scatentes, suæ progenituræ opportunas, nanciscantur. Denique quamvis podagricæ tincturæ, ad articulos, mucila-

cilaginosos fructus suos propellant: nihilominus istorum morborum, licet etiam manifestorum, mineræ & radices sensum effugiunt, & occultæ manent. Et quamvis illorum maturi fructus percipiantur: exordia tamen itinerum & progressiones nequaquã perspectæ sunt: sed penitus latent: ita ut & fontes ac origines ejusmodi fructuum aliunde petendæ sint, quã ubi suos fructus, & eorum tincturas ac impressiones propagant.

Morborum autem Astralium sive Spiritualium loca difficilimè elucescunt: ac longè alia ratione disquirenda sunt. Ejusmodi enim morbi, una cum vitalibus tincturis, toti in dissolutionem diffluunt: non secus ac in meteoris & superioris globi generationibus videre est.

Cap. XIII.

De Signis.

Signa sunt principia cognitionis, quibus tum indispositio, tum locus ejus cognoscitur.

Fontes quibus in cognitionem eorum devenire datur varij sunt: peti enim possunt signa 1. à principijs eorumque proprietatibus, de quibus passim & præcipuè supra c. 7. & 8. ut & in pharm. Spagyr. c. de dignotione 2. Ab actionibus & has subsequentibus mutationibus. 3 Ab existentia & hujus comite conformatione, locatione, quantitate, connexione, &c. si vel simpliciter ea contempleris, sive analogicè, i. e. per analogismos consideres. Nimirum omnia in analogiam esse collocata constat.

itaque

Hermetici quomodo ex contemplatione macrocosmi, ejusq; meteororum, uti & ex anatomia generationis ac destillationis vini, aceti & simil. in cognitionem microcosmi hujusque meteororum per analogiam deveniant, passim traditum est.

Locorum itidem signatura capite præcedenti delineata est.

Restat ut Dogmaticorum semeiosin intueamur. Penes hos in omni morbo tria cuivis medico explorãnda, animoque complectenda esse ex Galeno dogmaticorum illo coryphæo, & reliquis omnibus, est in cõfesso: nempe διάγνωσιν, πρόγνωσιν, & θεραπείαν: dignotionem vocãt, prognosticationem, & sanationẽ. Quippe nullus affectus deleri aut curari potest, nisi probè prius cognito morbo, ut tantò magis in ejusdem dignotionem vestigandam nobis sit incumbendum. At ipsa διάγνωσις non tam morbi naturam, quàm partem affectam, affectionisque causas demonstrat & patefacit.

Hæc tria cognoscuntur tribus διαγνωστικῶν signorum generibus: quæ pathognomonica, epigenomena, & epiphænomena à Græca schola dicuntur. Illa quę sunt propria, & ἀχώριστα, morbi speciẽ semper detegunt: hæc super venientia, & super apparentia dicta, tùm magnitudinem indicant, tum morbi motum: brevitatem nempe, aut longitudinem detegunt.

Nec sanè secus, ac effectum ipsum & partem affectam dignosci par est. Harum siquidem ratione diversa, nec rarò multum evarians instituitur curatio, ut ex Gal. de locis affectis in scholis docetur. Meritò sanè: postulat enim illud partis natura, temperies, situs, sensus & præstantia seu dignitas.

Pars affecta speciatim *quinq; signis* quasi notis, & proprijs characteribus (τεκμήρια Græci vocant logici) dignoscitur, *actione læsa, situ doloris, proprietate, excretis, & accidentibus proprijs*: ita ut non parum in re medica profecerit, qui & affectum, & partem affectam optimè dignoverit.

Cognitio causarum.

Ut pergamus: Neutiquam satis sit medico *morbum, morbiq; subiectum*, hoc est, *partem affectam* dignovisse, sed ulterius progredi, & ad *causarum* tam *externarum*, quàm *internarum*, (sub quibus *antecedentes*, & *conjunctas* comprehendo) pervestigationem penetrare eum decet, si sapiat. Nam ut *antecedenti causæ* debetur *præcautio* sic & *conjunctæ curatio*. Sed & etiamnum progrediendum ulterius in pervestigatione qualitatis ipsius causæ, sitnè simplex, & *nuda intemperies* (ut vocant) vel *materialis, humoralis, terrestris*, vel *spiritualis*, nempe *flatuosa, halituosa, vaporosa, aut ejusmodi*.

Et licet secundum Galenum, omne tulerit punctum, qui affectum, affectam partem, affectusq; causam præclarè noverit, non negligenda tamen, aut sicco pede transeunda signa prognostica ex tribus fontibus hausta: nempè à corporis habitu, aut à charactere, figura, & colore ejusdem: potissimum verò faciei: ab actionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus: ab excrementis tam universalibus, hoc est, ab universo corpore derivatis, quàm particularibus. Horum namq; signorum prognosticorum ope, tempestates prævidemus & naufragia, quæ ægrotantibus imminent, aut supervenire queunt. Nec videmus tandem, sed confidenter prædicimus, atque prognosticamus de boni, & sinistri judicij eventibus: adhæc calumnias declinamus maledicentium: nostræ sic consulentes reputationi: ægri, assidentiúmque confidentiam interim erga nos magis ac magis obfirmantes, remediorum denique dignitatem, qua par est ratione tuemur, nevè nostra incuria, vel oscitantia ab imperitis, rerumq; ignaris profanentur. Nam ut multis possunt esse præsidio, sic desperatis medicinam facere vetat medicorum prudentissimus Hippocrates.

Sed satis de Pathologia.

QVER-

QUERCETANI REDIVIVI Therapia.

Cap. I.

De Therapia definitione ac distributione.

Therapia est pars artis medica de taxia humana naturali tractanda & excolenda, seu ad oblectandum disponenda.

N. Cum Deus hominem post reliquas creaturas bonum condidisset posuit eum in hortum Heden ob ortu, id est, in statu oriendi, è quo subinde cultura ulteriori ad ἀκμὴν ascendere deberet, ductu ac doctrina tum ipsius creatoris, tum rectæ suæ rationis. In bonitate illa præcellebat sanitas, cui opposita fuit mors ac morbus.

Itaque

Tractatio seu cultura taxia est bona conservatio seu exaltatio; mala præcautio seu emendatio.

Media culturæ sunt

1. *Deus.* 2. *Angeli seu mundus angelicus.* 3. *Natura Macrocosmica.* 4. *Ipsamet natura microcosmica.*

Cap. II.

De Conservatione seu exaltatione sanitatis in genere.

Media sanitatis conservandæ exaltandæve sunt.

1. *Deus.*

Sicuti Deus hominem ex sua bonitate bonum ac sanum creavit: ita quoq; ex sapientia sua omnia ordinavit ut faciant ad hominis sanitatē conservandam & excolendam, quin imo ex prudentia sua sanitati pręmiū voluptatem sc. destinavit. Et hæc omnia sub conditione debitę culturę, observantiæ ac obedientię. Cum autem hic rerum status ita transplantatus sit, ut pro sua justitia ac severitate omnia deteriorata sint supplicare oportet Dei misericordiæ, gratiæ & omnipotentię, ut sanitatem nostrā nutantem ac vacillātem ex bonitate sua producat, omnia ad eandem cōservādam disponat, eaq; ratione nos voluptate sanitatis pedissequâ oblectet. 2. *Angeli.*

Angelis bonis injunctá esse cōstat hominis tutelam, quo minus in lapidem

pidem impingant, Jacturamq; sanitatis incurrant. Muneris autem hujus administratio quia cum conditione commissa est, si viam debitam i.e. vitam secundum voluntatem Dei peragamus, omni studio niti oportet, ne tramiti indecenti inhereamus blanditijsque mali angeli aures præbeamus. Et quia è contra malus angelus vitæ nostræ quotidie insidiatur, atq; instar truculenti leonis nos ambit noxiumq; suum rictum in perniciem nostram distendit, cui resistere ex nobis ipsis impares sumus. Ideo perorandus quoq; Deus est tutelaribus suis angelis bonis nobis adsit, Jacturamq; illam intẽtatam arceat.

3. *Macrocosmus.*

Macrocosmus medium est sanitatis confirmandæ, Quatenus 1. influentijs suis fortitudinem homini cõfert, sive id fiat in conceptu partuve, sive subsequenter revolutionibus ac aspectibus familiaribus. 2. Quatenus aeris dispositio sanitatis conservationi apta est. 3. Quatenus terra ac aqua habitationem præbent sanitati convenientem. 4. Quatenus alimenta profert, medicamentave ad sanitatem conferentia.

4. *Microcosmus.*

Microcosmus facit ad sanitatis propriæ conservationem. 1. Si actiones suas ita instituit dirigitq; ut inde natura recreationem percipiat, non oppressionem, actiones dico: Nutritionem, Respirationem, Excretiones ac retentiones, sensuum actiones aut quietem, motum corporis ac requiem imaginationem animive affectus. 2. Si medicamenta, alimentave medicamentosa ubi opus fuerit adhibuerit.

N. Hæc omnia classe sex rerum non naturalium communiter comprehenduntur, de quibus prolixè agitur in Diætetica.

CAP. III.

De conservatione sanitatis in specie per breves regulas.

PRælibatis sanitatis conservandæ medijs in genere; breves regulas subjicere placet quas tum in sanitatis conservationem, tum in morborum communiorum curationem usui aptare licet.

1. *De animi passionibus.*

Quilibet sive integra sanitate, sive morbo obnoxius: omnium animi perturbationibus atque imprimis tristitiæ & iræ vicijs renunciabit, & earum declinabit occasiones.

Hoc astantes quoque ministri summè vitare debent, ne earum incurrendarum occasione[illegible] sive sano, sive ægro ullam præb[illegible]t. In hunc finem cum hilaribus & facetis hominibus assiduè versabitur: cumq; oblectationibus ac animi jucunditate cibum sumet, nullis serijs aut gravioribus curis animum fatigans, quibus perturbetur.

Nec statim post pastus negotijs publicis aut domesticis etiam seriò incumbet, ac ab omni lectione ac scriptione abstinebit, quæ animum vel tantillum distrahunt. At per semihoram saltem à cibo oblectabit se jucunda amicorum con-

consuetudine, vel seorsim amœnis & latis cogitationibus animum pascet.

2. *De Aëre.*

Habitandi locus & domus sanitati cõgrua eligenda.

Habitatio illi seligenda fuerit, sive in urbe, sive ruri, si fieri possit, quæ puro, claro & sereno aeri pateat: hoc est, ut in urbe sitam habeat domum, quæ vicorum & compitorum amplitudine rideat, nullis verò viarum angustiis prematur, nec plebeculæ, aut operariorum hominum strepitu personet: Quæ etiam opportunior fuerit, si amœnis areis & hortis stipata sit.

Ruri verò situm in colliculo aliquo, aut in spatiosa planitie, circumquaque aperta, prospectus amœnissimi, domicilium erit quærendum, ab omnibus monticulis, nemoribus & paludibus liberum: cujus apertiones versus orientem aut septentrionem spectent, si fieri possit. In summa, cui istarum rerum copia fieri potest, is ut sanitatem tueatur, vitamque protrahat, ejusmodi domicilia, quæ libero aëre, eoque salubri potiuntur, sibi comparet: siquidem singulis momentis hauriendus est nobis aër: Abstinemus verò multas horas à cibo & potu: quorum non tantâ, quantâ aëris necessitate premimur. Idcircò saluberrimè ille deget, qui saluberrimum perpetuò aërem habitabit & hauriet. Sed de his abundè in Diæteticis dictum est; resq; multis ac variis exemplis comprobata.

Aëris salubrioris utilitas.

At præter situm domicilii, *curandum etiam est, ne sordibus aer alioqui saluber, domesticis, ut fœtoribus, fimis, stercoribus inficiatur:* prætereà, ut *ad exorientem solem domus fenestræ quotidiè aperiantur*; eoque statu omnia contineantur, ut ad sanitatem omnia vergant. Ipseque Dominus fervores solis, & post ejus occasum crepusculum, devitabit, quod nonnullis in locis aliquando periculosius, interdum minus noxium deprehenditur, quod diligenter etiam observandum est. Atque hæc de aëre.

Tempus observandũ.

Quod ad reliquam vivendi rationem pertinet, (quæ potentibus & opulentis congruit,) brevem hanc addiscant lectionem. Inopibus enim & mechanicis hominibus, ac omnium facultatum vacuis frustrà imperetur: ut quibus curtior suppellex, quàm par sit, ejusmodi vivendi rationem deneget.

Opulenti igitur & divites, ut sanitatem tueantur, sequentes vivendi regulas observent:

3. *De agendis ante prandium.*

Primò longioribus diebus, *hora quinta aut sexta matutina, surget: paulò post alvi sarcinam deponent,* quã quotidie mediocriter laxam, assidueque vel cibis mollioribus, vel arte conservabunt. Sic autem ea temperabuntur, ut modò jusculis ex oxalide, borragine, lactucis, violarũ, malvarum, cucumerum, melonum, suis temporibus vigentium summitatibus, ex butyro recenti, vel oleo olivarũ, vel ex pullo gallinaceo, vitulinacarne, & id genus aliis, coctis, alvus mollis reddatur: At si imbecilliora sint ista, infusione sennæ, in vino albo aut aqua, per frigidum & citra ebullitionem facta, cujus cochlear

Vt alvum perpetuè liberè fluat diligenter prospiciendum est.

unum aut alterum prædictis jusculis addi potest, ut reddantur purgationi aptiora, vel cassię bolo aut clysterib. alvus moveatur, aut suppositoriis: vel eorum loco tragemate rotũdo Verdunensi podici immisso, idem pręstetur. Hac enim ratione una atq; altera, vel plures etiam sedes dejicientur: cujus tragematis loco globulus aut pillula ejusdem quantitatis & rotunditatis, ex alumine rupea concisa, apto adaptabitur, quæ sedem unā provocabit: eaq; si emundetur, & rursum podici imponatur, idq; sæpius repetatur, toties sedem unam aut alteram leniter excitabit.

Sic alvum laxam conservent opulenti necesse est, ut sanitatem sartā tectam tueantur, obstandumque ne in plures dies illa adstrictior maneat.

Caput pectendum. Post exoneratam alvum à syncipite ad occiput, caput pectendum & fricandum, quod primum erit hominis post somnum exercitium: idque satis diu præstandum ex pectine, linteis & spongiis, dum caput omnibus suis sordibus sit expurgatum. Utile etiam fuerit inter pectendum simul obambulare, ut cum manibus & brachiis, pedes & crura unà exerceantur. Aures pariter suis sordibus emundentur, nec non dentes ex radice bismalvæ præparata, & pulvere corallorum rubeorum, ad id etiam aptato, ac sepiæ osse, mastice, rosis rubeis, & salis gemmæ modico, consperſi, fricentur, ac detergantur. Qui si nigrore deformes, & excarnes fuerint, prius diluendi erunt aqua ex sale marino, alumine, vi ignis extracta, & cum modico mellis mixta: aut spiritu sulphuris acido, melle ad justam proportionem excepto, perfundendi, vitatis inter fricandum gingivis. *Dentifricium.*

Manus lavandæ. Repurgatis sic accuratè dentibus, lavandæ deinceps erunt manus frigidâ æstivis: & tepidâ, hybernis diebus. Quæ, ut firmæ & constantes reddantur tremorique minus obnoxiæ, aqua vino albo, cui intabuerint per noctem salvię folia, erit temperanda.

Cum porrò multi nobiles tam viri quàm mulieres manibus delectētur candidis, delicatis ac mollibus, (ut mundities sorditie longè gratior est) in hunc usum præstò fuerit, quæ sequitur, pasta.

Massa ad dealbandas manus.

℞. Seminis papaveris albi lib. ij. amygdalarum amararum, pinearum aā. unc. j. seminis sinapi drac. ij. spermatis ceti unc. j. ß: talci ad perfectam albedinem calcinati, ut tenuitate volatilem farinam æquet, unc. ß. Ex his omnibus fiat pasta, de qua ad fabæ quantitatem, aqua ore excepta, diluta, manus fricabuntur ad tempus: quæ postea lotæ & linteo exsiccatæ chirothecis hœdinis tegentur.

Oris collutio. Eâdem aquâ simul fuerit ex usu os colluere, cui addatur vini albi modicum, in quo, ut supra, duo aut tria salviæ folia macerentur. His, inquam, accuratè os erit colluendum: dentes confirmabuntur, & ab omni corruptione vindicabuntur: Ac simul nares & cerebrum purgabuntur, si in errhinum aptentur, & ter vel *Errhinum ad purgandas nares.*

vel quater hauriantur. Mucus enim narium sic facilè prolicitur & deturbatur.

His præstitis opulentus ille & nobilis vir, qui ab omni alia vacabit cura, quique ruri præsertim habitabit, post cultum Deo vel in privatis ædibus, vel publicè in templis exhibitum, per ambulacra & areas suorum hortorum expatiabitur: serta ex variis floribus odorifera colliget, quibus nares & cerebrum spiritusq; recreabit.

Qui si jam senex & catarrhis fuerit obnoxius, utile fuerit, (quo cerebrum sua pituita expediatur) ab illo mandi salviæ, aut lauri folia, aut aliquod aliud ejusmodi masticatorium ex sicca Necotiana præsertim, concinnatum, quo projiciatur, & expuatur pituitosus humor. Sic ambulatio per duas horas continuata, vel ad primos usque sudores, opportunissima fuerit, quæ eò melior reddetur, si in aprico, aut sub dio facta fuerit, non tectis ambulacris, sed aperto aëre.

Masticatorium.
Deambulatio.

Qui si satagit rerum domesticarum, operarios suos poterit invisere: Quin & equilia sua lustrabit, equosque magna voluptate conspiciet curari, conscendi & exerceri, si nobilis est, aut non parvæ notæ dominus.

Nec canes venaticos omittet, ex quibus seliget sibi gratiores, quibuscum inter ambulandum colludat, & iis sese oblectet. Huic si magis arrideat insterni equum, quem conscendat & exerceat, aut ex eo, potius quàm pedibus, ob infirmitatem ambulare malit: id quoque fuerit commodissimum, quod modò hoc die præstabit, modò altero: Nũc lusui pilæ, modò leporis venationi moderatè: modò rapacium alitum volatui & disciplinæ incumbet. Denique ea exercitationum genera deliget: quibus sese nobilitas solet oblectare, ac sic sanitatem fovere. Quæ quidem exercitia, jejuno potius ventriculo & matutinis horis, quàm aliis obeunda sunt. Atque his factis cibum sumet, unius horæ ad summum, idque inter decimam & undecimam.

Vana exercitia.

Quod ad cibos attinet, eosque varii generis, qui solent mensis apponi, sive in prandio, sive in cœna, eos paulò pòst recensebimus, & de illis seorsim dicemus, ut omnia ritè & ordine explicentur.

4. *De agendis post prandium.*

Sumpto prandio, os colluendum mero: manus aquâ mundandæ: dentes non ferro, sed lentiscino dentiscalpio, aut ex libanotide, aliove aromatico ligno detergendi. Sed meminerint inprimis omnes, post cibum agendas esse Deo gratias, qui omnibus istis ad sanitatem nostram & vitam facientibus, solet benedicere, si agnoscatur, ut par est.

Multis in locis ad sigillandũ stomachum, & concoctionem eduliorum juvandam, offertur anisum conditũ. Quibus verò delicatior & debilior est stomachus, arridet pulvis digestivus, ut vocant, ex fœniculo dulci,

Pulvis digestivus. dulci, coriandro præparato cum succo cydoniorum, ex corallis præparatis, conserva rosarum ficca, tantillo masticis, & paulò majori cinnamomi quātitate, cum duplo sacchari rosati in pulverem attritis. Vel istorum loco usurpantur crusta panis, duo aut tria salviæ folia, parum anisi & saccharum rosarum, ex quibus fit pulvis, ex parvo cochleari, in hunc usum facto, deglutiendus.

Non statim à pastu ex mensa surgendum, sed per dimidiam horam jucundis confabulationib. recreandus est animus: aut ne indulgeatur *Lusus à prandio.* somno (qui statim à prandio noxius obrepit) fallendum erit tempus, vel foliorum, vel aciei, vel tabularum lusu, & id genus aliis oblectamentis mitioribus. In hunc usum musica quoque vocum & instrumentorum, quibus ea arridebit, commodissimè admittetur: Quæ quidem exercitia ad duas horas non plures usurpabuntur.

Sed cum nemo sit ab omnibus curis & negotiis liber, licet posteà iis secedere, qui privatim aliquid meditari volent cum voluptate, sive fuerit scribendum, sive legendum, sive domestico alicui negotio incumben- *Exercitium ante cœnā.* dum, aut aliquid aliud agendum: Nec ante horam quintam egrediendum ad corpus exercendum, ne fervidiore æstu, qui tunc longè remissior est, valetudo lædatur: quo tempore, ante cœnam, deambulationibus erit indulgendum, in amœnissimis quibusvis locis, ut nemorosis ad sextam usq;, quæ opportuna est cœnæ hora.

De agendis à cœna.

A cœna, æstivis & longioribus diebus, licebit porrò aliquam horam miti deambulationi concedere, vitandumq; serotinum crepusculum, quibus noxium est: nec expectandus erit solis occasus, ad repetendam domum: ubi in aulis aut cubiculis perficietur ambulatio. Hora nona aut circiter cubile petendum est: Cujus ante ingressum multis in locis offertur potiuncula cum frusto panis.

De cōmessationibus. Multi hanc bibendi consuetudinem in lecti ingressu damnant: quod hujusmodi potus inchoatam jam coctionem remoretur: dicuntque perinde fieri, ac si quis in ollam ferventem, frigidam injiciat aquam, qua fervor & ebullitio minuitur, & prorsus extinguitur: Alii verò laudant: Ego neutram partem sequor absolutè.

Quibus enim naturâ stomachus frigidior est & delicatior, quiq; præterquam in utroque pastu, non nisi cum molestia edunt & bibunt, ab his potiunculis abstineāt: Qui verò potui adsueti, & fervido, stomacho, cōsuetudinem sequantur: præsertim si à siti insomnem ducant noctem: cui malo facilè occurrent, si aliquantulum biberint, hoc est, moderato potu ad sedandam sitim, non intemperato, usi semel fuerint, alioqui excessus, qui multis in locis nimium familiaris est, summè vitandus.

De somno & de cubitu.

De somno capiendo. Strata sint in quibus decumbitur, non plumea, sed lanuginosa, qualia sunt, quæ vocantur matelatia, ne renes

nes nimio plumarum calore incalescant, & ad lapidem generandum opportuni fiant, ubi etiam ante somnũ orandi Deum meminerint. Decubitus sit modò in hoc modò in alterum latus: Mediocris sit lecti opertura: neq; ultra sex, aut septem horas somnus protrahatur.

Atque hac vivendi regula, quàm supra obiter in compendium contraximus, (cibo & potu exceptis) præsertim uti possunt nobiles, opulenti, mercatores, aliique quib. auctior fortuna & opum copia suppetit: singuliq; pro fortunarum suarum modio, eam usurpare & sequi debeant, ut fructum inde aliquem reportent: ubi etiam circumstantiarũ omnium habenda erit ratio, locorum, temporis, ætatum, & id genus aliorum, ad hæc pertinentium.

CAP. IV.

De cibo ac potu.

Quemadmodum ad conservandam ac prorogandam vitã, nihil utilius magisvè necessarium est temperantiã ac sobrietate: sic contra intemperantiã, (quæ dicitur medicorum nutrix) aut ingluvie ac ebrietate nihil perniciosius.

Hæc idcircò vitia nunquam satis sunt hominib. execranda & detestanda. Ubi enim tanta spurcities vitiorũ ejusmodi, mundum ingressa est; statim hominis deformitas & miseria apparuit, qui cũ inter creata omnia, (utpotè creaturarum omnium designatus princeps) esset perfectissimus, ideoque inter omnia animalia temperatissimus ac integrę sanitatis: intemperantia sua successu temporis factus est animalium omnium miserrimus: ut qui longè pluribus ac gravioribus, quam reliquæ omnes simul creaturæ, morbis sit obnoxius.

Fuerunt certè patres nostri prisci seculi longè temperantiores, ut qui planè lacte, melle, fructibus, herbis contenti, luxum & delicias hodiernas respuerint & detestati sint. Hinc fit, ut salubrius vixerint, & diutius.

Et quanta isthæc luxuria est? quantus excessus, ut fercula ferculis, acetaria acetariis, fructus fructibus, cruda coctis, & in prima & secunda mensa, tertia etiam superaddantur? Pisces, carnes, recentes, salsi, variorum generum assa, elixa conchylia, turdi, ac (ne quid excidat) multa farciminum, minutalium, placentarum operis pistorii genera, uno & eodem epulo ingurgitentur, aut ad multam satietatem vorentur? Quis ignorat ex tanta ciborum varietate in ventriculo promiscuè congesta infinitas turbas excitari, dum alia citiùs, alia tardiùs mollescunt, & in corpus dividuntur, (ut venerandus scribit Hippocrates) Hanc ob causam scripsit Plinius, simplicem cibum homini esse utilissimum, contra verò ingluviem ac intemperantiam detrimẽtosissimam ac perniciosissimam. Hinc etiam Seneca dicebat, *Diversa Cibaria inquinant, & non alunt.* *Cur simplex cibus saluberrimus.*

Hæc utique vitia, vel multis etiam barbaris innotuisse satis constat,

ſtat, qui cum perniciem hujuſmodi intemperantiæ, vitæ ſuæ & valetudini infeſtam agnoſcerent, ab ejuſmodi ingluvie ideò abſtinebant, ut ſanitati conſulerent: non ut Dei mandatis, quem nullum noverant, obtemperarent. Tales fuerunt *Samanai populi, Brackmanni, Eſſai, ex Iudæorum ſtirpe oriundi*, ut ſcribit Joſephus.

Perſæ olim tanta moderatione & ſobrietate uſi ſunt in ſua victus ratione, ut (quemadmodum ſcribit Xenophon) apud ipſos non ſolum expuere & emungi, & flatus plenos videri turpe haberetur: ſed etiam vel mejendi, vel alterius alicujus ejuſmodi rei gratia, euntem aliquo conſpici: quod præſtare non poſſent, ut addit idem Xenophon) niſi & modico nutrimento uterentur, & humorem laborando ita conſumerent, ut aliò quopiam ſecederet.

Arabū natura

Idem de Arabibus ſcribit Jovius, Frugi, inquit, in convictu ſunt homines: nulla cibi intemperie vires alunt: temperantiâ valetudinem tuentur, multaq; exercitatione: ad invictum robur habiles artus confirmant.

Quæ inter Græcos emicuit magna ſobrietas, apparet ex legibus, quæ inter primos Athenienſes & Lacedæmonios ſeveræ in luxum & intemperantiam à Lycurgo & Solone ſancitæ fuerunt: quæ quidem longo ſatis temporis curriculo inter illos viguerunt: at ubi delitiæ in eorum Republica irrepſerunt, aliorumq; Græcorum, utpotè Ionum (quos Valerius Max. primos ſecundorum ferculorum, hoc eſt ſecundæ menſæ & bellariorum inventores fuiſſe narrat) exemplis corrupti, ſe reſq; ſuas miſerè perdiderunt: ſic Spartana civitas (ut idē ſcribit Valerius) ſeveriſſimis Lycurgi legibus obtemperans aliquandiu civium ſuorum oculos à cōtemplanda Aſia retraxerat, ne illecebris Aſiaticis capta ad delicatius vitæ genus delaberentur. Ceteri verò Græci pariter ad immodicos ſumptus, & omnia non neceſſaria voluptatis genera deflexerunt.

Priſci Romani inter alios populos apprimè erant ſobrii. Nam (ut ait Plinius) in agris hortos ſuos habebant, & ex hortis vivebant: damnantes pulmentatia, quæ alio egerent pulmentario. Horti maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentq; ligno, unde & acetaria dicta. Tandem tamen (ut poſteà videbimus) ſic intemperantiæ & deliciis addicti fuerunt, ut planè eſſent illis enormis ac monſtroſus luxus, & immoderatæ comeſſationes occaſio interitus & excidii.

Exempla ſobrietatis.

Satis in genere de ſobrietate ſcripſimus: videamus nunc, quam præclaris multis ac celebribus viris privatim ea cordi fuerit, ut eorum exemplis diſcamus eſſe frugi.

Zeno Cittiæus, & Ariſtippus Cyrenæus, uſque adeò frugalitatem ac temperantiam coluerunt, ut ex illo natum ſit proverbium, Zenone temperantior eſt: hic vero qui Socra- *Exemplum ſobrietatis.*

tis

tis fuit discipulus, non tantùm abstinens: sed abstinentia ipsa dictus.

Hæc sunt quæ de Socrate scribit Laërtius, cum ab amico admoneretur; quod excepturus hospites, tenuem admodum fecisset apparatum: Si boni sunt, inquit, satis erit: si mali, plus satis: frugalitate certè, & temperantia sua effecit, ut cum Athenas pestis sæpenumero exagitaret, ipse nunquam ægrotarit.

Epaminondas, ut scribit Cœlius, inter hujus ordinis frugi laudatos viros, sobrietate & temperantia summè claruit: cujusmod. fuit etiam Cato & Cicero inter Romanos, ut ex eorum vita à Plutarcho descripta satis liquet.

Effectus sobrietatis.

Ut tandem hominum frugi ac tẽperantiam colentium finiamus exẽpla: atq; doceamus quam utilis & necessaria sit in conservationem vitæ frugalitas ac sobrietas: utque porrò Ethnicorum exempla nobis præluceant: quæ nos, ut verum Deum cognoscentes ac colentes, ad officium revocent, nec patiantur hisce virtutib. inferiores, imò superiores, subjiciemus tandem illustrem, si quæ sit, in hoc argumentum historiam, ab Adriano Berlando enarratam.

Historia in sobrietatis laudem.

Is de quo agitur, vocabatur Pyrrhiniculus Vasco; qui peregrè iter faciens, cum ad meritoriam tabernam venisset, & apposita esset cœna omni ex parte olitoria, cum vino dilutissimo: omniaque administrarentur quàm parcissimè: finita cœna, jussit ad se vocari medicum, ad mercedem capiendam. Igitur Caupo cum respondisset; Ecquid, malum, in viculo agresti medicum requiris. Ibi ille: Num, ô bone, te ipsum ignoras? quo sit igitur merces operæ suæ par, medici pretium accipe, non cauponis: Sensit autem (addit Adrianus) frugalitatem sobrietatemq; optimam hominis esse medicinam.

Exempla intemperantiæ.

Jam verò ostendamus, qui sint intemperantiæ effectus: à qua præter valetudinis interitum, nihil aliud expectandum est. Hos autem effectus patefaciemus contrariis gulosorum ac ebriorum exemplis, quæ in mediũ producemus: ut appareat quam turpis, fœda ac ingloria illorum adhuc memoria fœteat, & proinde ejusmodi tam horrenda vitia tanquam pestilens venenum fugiamus ac detestemur.

Quanta isthæc vecordia atq; insania est, nos in voluntarium interitum, quem nobis imminentem cernimus, præcipites dare? At quid aliud est, quam in exitium voluntarium ruere, ingluviei & ebrietati indulgere?

Cleomenes intemperantia sua enormi ac fœda ebrietate, quib. inter Scythas versando (comessationibus ac compotationibus deditos) assueverat, tandem variis obrutus est morbis, immaturè senescens: arthriticis cruciatibus distortus, & omni ratione sæpius destitutus, ac mente alienus. Gens enim illa Scythica usque adeò intemperans ac vino addicta est, sive sint viri, sive mulieres, ut non tantum ad gut-

tur usque hauriant, & cum voluptate revomant: at vestes etiam suas tam grato liquore perfundant, praeclarum hoc ac beatae vitae genus existimantes, ut scribit Coelius. Haec vini perfusio κατασκεδάζειν dicebatur, quasi aspergere, ut vult Suidas.

Ex simili vitio Lacides quidam, philosophus, paralysim incurrit, qua interiit. Quin & Q. Ennius septuagenarius, pari vitio deditus cum magnis cruciatibus & arthriticis doloribus intemperantia & ebrietate cõtractis miserè vitam finivit: de quo sic scribebat idem Coelius:

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Aristoteles in politicis mentionẽ facit immensi Syracusanorum luxûs, addens Dionysium minorem nonnunquam ad nonagesimum usque diem, ebrium perseverasse, atque ob eam rem caecutientibus ac vitiosis oculis fuisse. Atq; haec sunt mala, quae ingluvies & ebrietas corpori procreant.

Et ut animum quoq; attingamus, in prima acie illos collocabimus, qui monstra potius quam homines dici debent: ac imprimis legamus apud Ælianum & Herodotum praeclaram, scilicet Mycerini cujusdam Ægyptii, mortem: cui cum vaticinium Latonae è Bute urbe afferretur, brevitatem vitae praedicens, oraculum eludere volens, tempus duplicando, noctes adjiciens diebus, vigiliasq; agens poculis indulgebat.

Quin & memoranda ac faceta duo Epitaphia in gulosorum ac ebriorũ totius orbis principes conscripta, Timocreontem Rhodium, & Bonosum Hispanum, adjiciamus: prioris Epitaphium hoc ferebat:

Multa bibens, & multa vorans, mala multaque dicens
Ipse viris, jaceo Timocreon Rhodius.

De posterioris verò origine Valer. Aurelianus Imperator, solebat facetum hoc dictum proferre, *Non ut vivat natus est, sed ut bibat.* Cuspinian⁹ aliiq; de hoc guloso monstro, has laudes praedicant: *Quantum*, inquiunt, *bibit, tantum minxit: nec unquam pectore, aut vesica gravatus est, veratro crapulam eijcere solitus:* imperium in Gallos arripuit, victusq; à Probo, laqueo vitam finivit. Tunc quidem jocus extitit, Amphoram pendere, non hominem.

Legere licet apud Ciceronẽ & Plutarchum, quanta ignominia & dedecore exceptus Antonius Triumvir, qui nimium potus, dũ munus suum publicè obiret, coram universo populo Romano, crapulam turpissimè, & maximo pudore evomuit: gremiũ suum totumq; tribunal incoctae coenae frustis, vinumq; redolentibus replevit.

Notus bibulis est Philoxenus Euricidis filius cũ suo collo gruis, ut tradit Theophilus: & quidam Melanthus, ut scribit Athenaeus: ipseq; Aristoteles in libris Ethicorum.

Alii fuerunt, qui terra mariq; has delitias quaesierũt: summum bonum in hac sua voluptate collocantes.

Talis

Talis fuit Archestratus quidã, de quo idem Athenæus lib. 2. c.2. qui non minori studio, ubi singula edulia optima nascerentur, in gastrologia sua exposuit, quam qui descriptiones orbis & navigationes aggrediuntur. Hunc Chrysippus Philosophus, ducem fuisse Epicuro, ejusq; discipulis, testatur.

Hujus farinæ fuit quidam Suitrigalus, Lituaniæ dux, qui nullum unquam iter peregrè suscipiebat, quin dispensatorem percontaretur, an librum quem de arte coquinaria cõponi curaverat, secum ferret. Cœna ab illo in sex horas ad minimum protrahebatur, ferculis non minus CXXX. utebatur, ut testatur Æneas Sylvius lib.2.com.in Panormit. At hæc de gulosis, vinoque & ingluviei deditis, egregia facinora ab authoribus, fide dignis, enarrantur: quorum fama in æternum illis dedecori futura est.

Sed duobus istis gulæ principibus hujus generis comitem addamus, Apicium quendam Romanum: quem scribit Seneca Minturnam profectum, ut squillis vesceretur: Alexandriam ut astacis: in Africam transmittens squillarum causa, ubi nullas reperit, provinciam execratum, atque ita regredi instituisse, ne unquam terras illas attingeret. Atque hæc totius gulosi aliorumque similium gloria, scilicet, percelebris est.

Omitto sponte enormes apparatus, ac sumptuosiora, aut potius monstrosiora Imperatorum Vitellij, & Antonini Heliogabali convivia, ex sacrorum piscium jecinoribus, murænarum lacte, Phasianorum ac pavonum cerebellis, Phœnicopterorum, pavonum, & lusciniarum linguis, atque id genus inauditis ac insusitatis, maximorumque sumptuum edulijs parata atque confecta: quibus illorum mensæ replebantur, ut refert Suetonius, nec non Cœlius lib.28. cap.4. ant. lect.

Hæc duo exempla duorum summè gulæ, ebrietati, ac intemperantiæ addictorum, superaddidimus, ut tanto magis ab hoc vitio abhorreamus, unde tot corporis animique mala progignuntur: frugalitatemque ac sobrietatemq; amplectamur, quibus & vita, & honos hominum frugi conservatur.

Cap. V.

De emendatione indispositionis ac primum de Deo & Angelis.

M*Edia, seu causæ antecedentes indispositionis emendandæ, sive morborum curandorum sunt*

1. Deus.

Deus creavit hominem ex bonitate sua bonum quidem & sanum, sed labilem quoque. Labilem dico non modo in transgrediendo peculiari illo vetito, sed & in minoribus aberrationibus, videlicet in alimentatione, motibus corporis ac animi, & similium. Lapsibus igitur minoribus & minores molestiæ fuerunt destinatæ;

natæ; ô summa bonitas! ô ineffabilis sapientia! ô incomprehensibilis prudentia!

Cæterum ut lapsibus diversis, diversas pœnas sancivit; ita quoq; eosdem pro sua displicentia, Justitia ac severitate non potuit, quin pœnas diversimodè exequeretur: adeoque lapsum hominis interni morte præsentaneâ vi decreti: quo die comederis morte morieris; hominis autem externi errores, utpote illos minores, non morte quidem præsentaneâ, sed morbis mortem denique illaturis punivit. In quo sanè non minor quoque Dei sapientia, prudentia ac malitia emicuerunt, dum Justitiæ executionem, ita moderatur, ut homine interno morte subitanea mortuo, hominem externum aliquandiu superstitem esse voluerit, quo internus regenerari posset. Misertus enim est generis humani ut statim remedium homini obtulerit, semen sc. mulieris, quod caput serpentis sit contriturum, mortem morte redempturum, adeoque regenerationem peracturum.

N. Sic Deus humani generis misertus est, ut bonum, quod rebus creatis ante culpam hominis incluserat, non prorsus maledictione sua deleverit: sed varijs usque adeò impedimentis intricari voluerit justo judicio: ut non nisi sublatis obstaculis quicquam nobis prodesse possint: nocere autem plurimum, nisi arte & diligentia medica corrigātur: ut scilicet malum ab eis separetur, bonum verò naturale sincerum ac purum extrahatur, quod in usum hominis juxta Dei institutum cedat. Atq; hic ingenium Medici & solertia elucescit, si eas debitè depuratas ægris præscribat ac administret: æger verò rectum Medici Consilium sequatur, & ad eas ritè excipiendas se cōponat.

2. *Angeli.*

Angelos ceu ministros Dei optimi maximi nonnunquam ad morborum concurrere docet exemplum Raphaelis Archangeli, qui vel à sanatione Raphael q. Deus sanandi seu Archimedicus denominatur.

Obsecrandus igitur est Deus, ut medicamenta, quæ pro bonitate & sapiētia sua errorum læsionibus corrigendis ordinavit, peccatiq; displicentiâ, justitia ac severitate transposuit, noxijsq; facultatibus productis obruit, velit sua libera misericordiâ, gratiâ clementiâ ac potentiâ rerum vires beneficas & medicamentales roborare, maleficas & venenatas deprimere, quo ad reparationem homini concessam commode adhiberi naturam confortare, hostesq; naturam inquietantes debellare valeant. Et quia cognitio seu intellectus noster simul obscuratus est, quo minus in rerum scientiam, applicationem aut puri ab impuri separationem penetrare liceat, velit intellectum illustrare, tenebras fugare, lucem accēdere, ut in penitiorem earum cognitionem pervenire possimus, idque modo ac medio sibi viso ac probato.

Cap. VI.

De Macrocosmo & Microcosmo.

Macrocosmus ac Microcosmus varijs itidem modis ataxia emendandæ sub-

subveniunt. Hos tamen tribus claßibus comprehendere vulgare est. Diatæticâ, Pharmaceuticâ, Chirurgicâ de quibus suis locus ulterius.

N. Vulgariter media emendendæ sanitatis tribus classibus includi dico cum insuper experientia doceat, nõ paucas medicationes fieri. 1. Per imaginationem microcosmi ac macrocosmi, quam Gamahæam vocãt. Testis hujus meæ assertionis esse poterunt non paucæ melancholicorũ restitutiones, quæ factæ sunt certa imaginatione melãcholicis fuco impressa. Quinimo sunt qui exist mant & rebus alijs v. g. metallis cera & id genus alijs per imaginationem certã & fixam induci posse quandam medicandi virtutem, qua etiã alijs prodesse possit. Hujus rei non possum, quin historiam referam quæ hic Frãcofurti accidit, dum opus hoc sub prelo fervet. Vocatus fui ad puellam septimestrem, quæ paroxysmo epileptico erat correpta, singulis horis revertente. Multis eo die sed frustra adhibitis, tandem circa vesperam commendatus fuit à quadam adstãte annulus multoties in simili casu cũ successu adhibitus. Asportantur igitur duo, brachioq; dextro alligãtur, quo facto non redierunt paroxysmi. Die postero, cum ægrotam visum redirẽ, relata mihi res est, annuliq; monstrati, uterq; erat metallinus, sine figuris vel cæsuris; nisi quod alter frustulũ alicujus radicis introrsum contineret. Approbavi rem si citra superstitionem sit peracta, annulosque aliquandiu alligatos relinquere jussi, quod factum, cum itaq; post octiduum ægrotula planè curata crederetur, ablati sunt annuli. Quid fit? paulò post redierunt paroxysmi. Advocatus igitur denuò annulos ablatos iterum adhiberi suasi, quo facto, rursus à paroxysmis libera evasit, & adhuc annulos carpis alligatos gestat.

Huc referendæ videntur curationes, transplantatoriæ dictæ. E. g. si herniosus per fissam quercu lam germinantem trahitur, & fissuraque illa coalescente sanatur. Si arthriticus, arthritide vaga vexatus, plantatione certæ arboris, certis circumstantijs (forsan ad firmandam imaginationem) peractâ, à doloribus liberatur, si arbuscula itidem creverit, ac germinaverit, & similium.

Gamahæorum impressiones simili planè modo fieri autumò, quo mater gravida, impressionem imaginatione gravi (v. g. consternatione, timore, & similium) conceptam, fœtui suo imprimit.

2. Per curas physico-magicas, cũ sanguinis vel sudoris ac excrementorũ beneficio morbus transplantatur aut curatur. V. g. cum sanatur vulnus situ gladij vel ligneoli cruore vulneris conspurcati. Has & similes curationes fieri arbitror, identitate spiritus, qui in sanguine actuosus in cruore sopitus. Nimirũ hicce litu suscitatus & q. cibatus spiritum illum in sanguine ad consolidandum corroborat, idque vi spiritalium effluviorum, quæ spiritu universali suscepta inter utrumq; recurrunt.

CAP.

Cap. VII.

De medijs seu causis proximis emendandæ indispositionis, & primò de corroboratione.

EMendatur porrò indispositio naturæ debilitatæ, corroboratione, atq; hostis naturam infestantis debilitatione seu debellatione.

N. Per naturam intellige balsamum, seu spiritum nativum

Corroboratio Balsami nativi primas in emendatione illa obtinet.

Nam si morbus ex ipso Galeno est affectus contra naturam actiones lædens: utique contrarius est balsamo nostro radicali, & nectari vitæ nostrę, quod nihil est aliud quàm eademmet natura: aut certè instrumentum ita ei assistens, atq; conjunctū ut absq; hujus adjumēto, nil moliri, nil agere aut perficere possit. E. sive jam functiones sint immunitæ, sive depravatæ, sive prorsus abolitæ, hoc fieri aliter nequit quin dictus noster balsamus radicalis aliqua ex parte sit oblæsus, cum certum sit omnes laudatas functiones ab eo proficisci. Hic ille est, qui φύσις ἀνθρώπȣ Hippocrati dicitur: Hic ille dispensator, faciens alimentorum attractiones, expulsiones, mixtiones, separationes, coctiones. Huic idem Hippocrates prædictas corporis nostri functiones omnes, & singulas potissimùm attribuit. Non quod idem noster balsamus radicalis in se atque sua substantia suscipere possit alterationes, atque pati, cùm sit de natura ætherea, cœlesti, ac proinde quodammodo incorruptibili: sed quod eius actio retardetur, vel impediatur obstaculis quæ ininternis membris atque visceribus delitescunt, quæque ipsi pariunt negotium atque molestiam. Hæc morborum est occasio, hic ortus, hoc præcipuum fundamentum. Quare ut partes communis scholæ suscipiam atque defendam, sic statuo. Si ejusmodi morbus occursans sit extirpandus, primò omnium naturam in integrum atque pristinum suum statum, atque laudabilem esse restituendam. Ad quem sanè scopum omnes nostræ cogitationes collimare debent. Prospiciendum itaque, ut primò auferantur obstacula. Ad quod discipuli Hermetis Trismegisti respondent, hoc totum abundè præstari ac perfici posse sola restauratione balsami radicalis: quippe à quo omnis actio atque ipsæ etiam crises salutares dependent: cui si, ut convenit, subveniatur, fore, ut æger vel unica hora plus solatij percipiat, atque tantò id magis, quum idem balsamus vitæ adjutus balsamica illa medicina, atque stipatus audentiùs hostem sit expulsurus: atque id brevi admodùm, quod alia illa tritaque infundendarum potionum & medicinarum caterva, ne multo quidem tempore, & vix tamen tandem ægrè præstare possit.

Ne verò quis existimare possit, nostra hæc esse inventa, eadémve temerè

rè à nobis prolata, audiamus quid idē Galenus præter ea, quæ supra attulimus referat in libro suo decimotertio methodi. *Præcipua (inquit) intentio medici esse debet ad naturalem statum reducere laborantem, & quòd cæteris neglectis una adhibenda cura est, ut illud conservemus, à quo agendi facultas procedit. Hæc autem consistit in calido innato, quod dum validum est, nec impeditum, corpus innoxium conservat, ita ut quicquid corpori accesserit præter naturam, quod sit amovendum, semper calido naturali valido egere, indubitatum axioma sit.*

Et quamvis in externis morbis, & in quibusdam aliis nihil conferre calor naturalis videatur, ut in amotione carnis super excrescentis in vulnere, vel distantium labiorum vulneris reunione, tamen conjunctio & carnis generatio, & cicatricis inductio non fiunt nisi ab ipsomet calore innato. Hæc Galenus, & rectè.

Enimverò sanè omnes ejusdem sectatores, (ut ne quicquam de authoritate tanti coryphæi derogem) ultro dicent atque fatebuntur, verè atque omnino esse naturam, adeoque vivificum illud balsamum radicale, quod omnes ejusmodi salubres edit functiones, quam naturam & hîc & suprà ex Galeno merito diximus veram & genuinam medicatricem omnium morborum: sed catenus, quavis arte atque ope medicinæ illius balsamicæ adjuta, excitata, corroborataque natura, expellere possit, domare aut exturbare omne id, quod ei molestum est, sive contrarium. Idem prorsus sanè & nos statuimus.

Nihilominùs tamen & illud quoque concedendum est, eandem naturam esse principium, & quasi primum movens omnis curationis: quippe absque cujus robore vel vigore omnis medicina inutilis est atque frustranea: Natura quippe sibi semper est similis ac eadem, nec nunquam in nobis otiatur, sed in perpetuo versatur negocio, jugiter agitans, motitans, atque vegetans, donec obstaculo multiplici impedita segniùs illud præstet atque infirmiùs. Quæ sanè obstacula, seu adversitates, illa met ultrò propriisque viribus avellere & superare conatur, aut etiam ejicere: rerum cum ei res sit cum hoste fortissimo, aut certè cum pluribus hos utique longè faciliùs atque citius expugnabit si artis subsidiis obfirmata, armisque sibi convenientibus instructa contraire possit audentior, majorique cum confidentia, robore atque securitate.

Media corroborantia è classe antecedentium petita sunt, tum supernaturalia, tum naturalia.

Inter media corroborantia naturalia excellunt *Diætetica* corroborantia, de quibus in Diætetica: Et *Pharmaceutica*, corroborantia scil. medicamenta ac inprimis balsamica eorum natura, Quinta essentia dicta. Hinc author *Querc.* officium medici est, inquit, vitalibus, potentibusque remediis morbos illos radicales in corpore, ex semine genitos eradicare. Hoc autem fit *ope vitalis cujusdam* balsami, quod veræ medici-

næ firmum fundamentum, morborumque omnium vera est medicina, modò ab omnibus impuritatibus separetur & debitè præparetur. Hoc est, illud vitale balsamum, hæc unica, & vera medicina, quæ ad omnes corporis affectus, tum præservationis, tum curationis ergò exhibetur.

Hanc Fernelius in suo opere de abditis rerum causis subolfecit, dum probare conatur, in natura esse quiddam divinũ, atque præstantius, quàm quod ex vulgatis illis elementorum qualitatibus insurgat, illudque occultam proprietatẽ appellat. Quam si cognovisset esse in natura, (ut discipuli Hermetis illud norunt) certè hanc rem manifestam, & quæ verè in natura est, atque subsistit, diviniori alicui principio non ascripsisset. Ansam verò, & quasi fundamentum cur ita sentiret atque statueret, ex plurimis *Hippocratis, & Galeni locis* desumpsit. *Hippocrates* namq; libro de *Antiqua medicina*, repudiatis antiquorum hypothesibus & fundamentis, (propterea quod caliditati, frigiditati, humiditati, & siccitati omnium morborum causas ascripsissent) inquit: omnia à vi quadam, & facultate, ἀπὸ δυνάμεων proficisci: quibus etiam curationem morborum acceptam refert. Et alibi scribit, τὸ θεῖον divinum quiddam esse. Quicquid autem per hæc intelligat Hippocrates [*l. de Diæta.*] nihil tamen revera id aliud est, quàm ipsamet vera absolutaque prædicti balsami natura: cujus virtute vivunt, virent, vigentque omnia: & sine quo mortua, & extincta jacerent. Hanc materiam secretiores philosophi appellant quintam rerum essentiam, elixir, aurum potabile, lapidem, cœlumque philosophorum, diversissimis quidem nominibus, eandem tamen rem intelligentes. Quintam essentiam dicunt: quòd sit aliquid, quod non ex crasi quatuor elementorum resultarit, sed aliquid præter hæc, & quasi τὸ θεῖον quiddam, sive autorem rerum omnium, qui eam creavit, spectes: sive admirandas ejus virtutes, atque effectus, non temerè ab elementari corpore promanare percipias. Elixir vocant, quòd sit ad vitam conservandam, morbosque depellendos, incomparabilis medicina. Aurum potabile verò, non quòd ex solo auro, & semper ex eo fiat, (fit enim ex omnibus rebus, quæ sub cœlo sunt, ut mox docebitur) sed κατ' ἐξοχὴν sic dictum, quòd ejus præstantiam adæquet. Lapis vocatur, non ut ille, cujus contactu metalla transeunt in aurum: (hoc enim avaritię inventum est, atque opus, non medicorum, vel medicinæ) sed propter perpetuam, atque invictam durationem, aut *quòd de natura sit salis*, salis, inquam, rerum vitæ, *in quo tanquam durissimo, firmissimoq; corporum fundamento reliqua virtutes conquiescunt.* Cœlum denique philosophorum, quòd elementorum naturam longè transcendat. Balsamum quoque meritò eam materiam dicunt, quòd sit quædam

natura

natura radicalis, fons actionum, & fœcunditatis, cujus beneficio elementa concordi mixtionis ratione vinciuntur, & in cujus facultate seu virtute, vera & universalis est omniũ morborũ medicina, sanitatis restauratio, corporum renovatio, atq; conservatio: denique id, quod vigorem, & potiendi facultatẽ præbet omnibus naturæ rebus. Et quamvis hæc materia spiritualis, cœlestis, invisibilis, & occulta, atque iccircò rationi magis, quàm sensui subjecta, vix seorsim reperiri possit: attamẽ eam, & esse, & à vero philosopho haberi posse, alibi specimen familiarissimum exhibebimus.

Enimverò sanè, ut àrtis beneficio corporea spiritualia reddi possunt: sic rursus etiam spiritualia corporea, vel astralia, ut vocat Paracels. invisibilia, visibilia, & quæ modò in orco Hippocratis, vel nocte Orphei vel puteo Democrati occulta jacebant, nunc manifesta fieri possunt: deniq; quieta mobilia, & econtrà.

Hoc incorruptibile balsamum in corruptibilibus rerũ fœcundis seminibus præsertim, & reperitur, & conservatur. Atque hic maximè locum habet illud Aristotelis: *Ex corruptione unius, alterius fieri generationem.* Semen namq; terræ injectũ quodammodo putrescit quidẽ, aut saltem corrumpitur, hoc est, digeritur, atque resolvitur: at radicalis, seu balsamicalis ipsius substantia, quæ in vitali, & spirituali quadã humiditate otiosa antea delitescebat, & in qua totius virtus, atque potestas seminis vigebat, nunc prodit, seq; in conspectum dat. Ut vel hinc satis superque manifestè pateat, balsamicam illam substantiã, quam incorruptibilem jure diximus, non corrumpi, sed perfici, novumq; corpus inde procreari. Quod si constet solam naturam per se talia præstare posse, ipsiusq; solius beneficio, spirituale à corporeo, incorruptibile à corruptibili, invisibile à visibili, & denique purum ab impuro separari posse, quid eadem præstet adjuta beneficio, atq; dexteritate artis? Maximè verò cum majus quiddam, & præstanti⁹ fieri cõspiciamus in ipsiusmet naturæ operationibus, si debitũ, & legitimum artis ministerium accedat, ut fit in agricultura, cum terram optimè præparamus, ipsamq; stercoribus & urinis animalium (in quibus salia balsamicalia continentur (impinguamus, quò & ipsa terra, ipsaq; semina fertiliora reddantur. Tale quiddam sanè inest rebus omnibus, ac ita quidem inest, ut à philosophis ac veris artificibus medicis sagaci industriâ eiici, & in perfectionis, puritatisq; summum gradum reduci possit. Atque hoc illud est, quod medici, ac philosophi Hermetici propriè, & per excellentiam medicinam appellarunt.

Aliter.

Curatio & restitutio defectuum, quib. sæpe languescimus, neququã in sola crasi ex mixtione elementorũ, neq; in solis qualitatib. primis, caliditatis, frigiditatis, humiditatis & siccitatis, ita est, sed poti⁹ illorũ defectuũ, sive effectuũ causæ ac remedia balsã-

radicali cœlesti, quintæ auxiliorum essentiæ adscribenda sunt, spiritibusque mechanicis ei insitis, quos Paracelsus scribit in abysso naturæ esse reconditos: qui certis temporibus proferunt sese in generationes medicamentorum: nec abolitis medicamentis destruuntur, sed in abyssis suis quiescunt, aliquandiu, nulloque naturalium rerum interitu extinguuntur.

Quæcunque igitur ad curationem requiruntur, in spirituum potestate omnia continentur, sive ut loquuntur Aristotelici in potentiâ essentiali, ex qua rerũ omnium facultates, non autem ex ipsa crasi promanant.

Hi ergo spiritus balsamici quia corporibus inclusi sunt crassis, debitè sunt eruendi & dignoscendi. Docent ergo Medici illi quod res est, omnes actiones naturales à spiritibus proficisci, in illisque principiorum scientiam inesse, ita ut quemadmodum morbi ad generationes perducuntur, resolutione vaporum & spirituum alimentorum impuritates morbidas in se continẽtium, & in anatomiam humanam invehentium; sic morbidos illos spiritus & tincturas corrigi & ejici non posse, quàm aliorum spirituum ope. Etenim spiritualia spiritualibus, ut corporea corporeis committenda sunt. Necesse est igitur ut in remediorum præparatione spiritus à corporibus & mortuis qualitatibus separentur, quod nõ fit infusione, coctione, simplici, & id genus crassis artibus, sed spagyricis putrefactionibus, solutionibus, coagulationibus, distillationibus & circulationibus, ut purissimæ tãdem spirituales substantiæ emergant, tincturas suas & proprietates firmiùs retinentes, virtutibus hac præparandi ratione auctiores: sic spiritus resolvendi vi præditi, constringendi, purgandi, vomitionem, urinas, sudores proliciendi, imò etiam generando somno, doloribus demulcendis & fluxionibus sistendis, idonei & apti, his præparationibus potentiores in suis proprietatibus evadunt, firmiùs & constrictiùs in centrum suum colliguntur, ac sese in virtutes admirandas contrahunt. Quas autem virtutes possident, eæ sunt quæ ex tribus principiis promanant, sale, sulphure & mercurio, quæ alioquin exiguæ sunt, aut nullius etiã effectus, si in compedibus sui corporis perpetuò maneant, nec in spiritualia astra resolvantur. Etenim quæcunque ad curationem requiruntur, in spirituum potestate omnia continentur, sive ut loquuntur Aristotelici in potentia illa essentiali, ex qua rerum omnium facultates non autem ex ipsa crasi promanare diximus. In hoc Medici scientia posita est, ut spirituum discrimina & proprietates optimè cognitas habeat, & singula singulis adaptare norit, non in medicando tantùm, sed & præparatione, siquidem ut arctiùs cum corporibus conjungantur, cum corporei, quodammodo tardi, ac crassi non usquequaque penetrant, aliam præparandi rationem laboriosiorem requirunt, quàm quæ in corporibus etiam subtilioribus medicamenta usurpantur.

Præ-

Præterea cum alii ſpiritus ſalium proprietates, alii ſulphurum, alii mercuriorum referant, ii quoque & in medicando & præparando varietatem requirunt, ut cruditiſſimus dicatur is Medicus & perfectiſſimus, qui horum omnium ſcientiam callet. Non igitur boni Medici officium verſatur in cognitione tantùm morbi, ſed remediorum potiſſimum debita præparatione & adminiſtratione, ut ſanitatem inde conſequatur. Quorſum enim morb. cognoſcatur, ſi curandi ratio ignoretur? at faciles curationes pronuncio; modò morbus ſit cognitus.

Q. An ſal, ſulphur & mercurius ſeparata ab invicem ſint utilia ad medicationem.

Sal, ſulphur & mercurius extracta & vi ignis ſeparata nativo temperamento ſpoliantur, atq; idcircò inutilia ſunt ad curationē morborum medicamenta.

Reſp. Quaſi temperamentum ex modo miſtionis ortum ſit rei forma, quæ non niſi cum materia conjuncta quicquam præſtare poſſit. In confeſſo eſt actiones à formis proficiſci, quæ ex principiis ſuis internis emergunt, corporaque ſua vivificāt, & motib. ſuis nativis exercent, ut ex definitionibus allatis naturæ & animæ docuim'. Quorſum igitur ſi forma aut ſpiritus ſolus eſt, qui omnia movet, generat, format & vegetat, ſanat, conſervat, ad temperiem corporis recurris, quæ, ut diximus, nulla eſſe poteſt, quam quæ à forma i inducta eſt, ut morborum remedia inde eruas. Nunquid ipſe fateberis formā ſeparatam à corpore, à quo impediri ſolet, plus virium habere, quàm corpori affixam? Si vel tantillum naturales facultates corporis noſtri eſſes ſubodoratus, quæ ex cibo & potu virtutes, quibus reficiantur, coctionib. digeſtionibus, & circulationib. variis eliciunt, & à corporibus ſecernunt, an dubitares in ſpiritibus ſolis, non in temperie corporum', quæ nihil q̃ ſtercus ſunt, vim omnem ineſſe, eoſque eſſe humores naturæ ab impedimentis ſuis ſecernendos: ut validè operentur? Nunquid vel idcirco videas factum eſſe corpus, ut arcanum in ipſo concludatur? arcanum autem in quo vis omnis ineſt, ab ipſo corpore extrahendum in uſum? Nonne ex cortice nucleus extrudendus eſt ut abjecto corpore in uſum veniat? in quo etiam nucleo quanta eſt corporis impuritas, quæ à natura ſecernitur, dum in primum ens ſuum nucle' redeat, & ſic validè operetur? Sic cùm in forma aut ſpiritibus medicamentorum, hoc eſt mercurio, ſulphure & ſale, vis omnis medendi lateat, cur ars iſta à ſuis impedimentis & impuritatibus, ut naturam eo onere expediat, non liberet & enucleet?

Cap. VII.

De ſpeciebus corroborationis.

C*orroboratio illa ratione medicamētorum tum univerſalis, tum particularis eſt.*

Univerſalis eſt, qua balſamus noſter univerſaliter, id eſt, ſine reſpectu certi alicujus

 enim

cuius visceris roboratur, idque Medicina illa universali.

Ad hanc quidem rem præstandâ medicina illa balsamica, quæ exquisita præparatione naturam acquisivit purissimam, vivificam, spiritualem, roborantem, atque homogeneam naturam quæ nulla exceptione longè accommodatior efficaciorque est, q̃ reliqua illa medicamenta vulgi medicorum, nulla arte, nulla industria aut dexteritate præparata. Quæ quoniam cruda adhuc, impura & crassa, terrestrique impedita sunt crassitie, naturæ potiùs multum facessunt negocii, quæ antequam horũ malignã qualitatem eruat, cruditatem decoquat, terrestremque crassitiem atque impuritatem secernat, succumbit pri' q̃ auxilium aliquod recipiat atq; solatium. Et ne à similitudine nostra digrediamur, applicemus jam dicta ad ignem, de quo antea locuti sum'. Quemadmodum itaq; videmus ignem multis cineribus obrutum, & ne aerem quo nutritur concipiat, impeditum, facillimè suffocari: eundem rursus excitari, si quis admota manu, diductis cineribus, eventilatisque, quæ restant, scintillis, liberum aeri præbeat aditum: hic causa refocillationis, excitationisque ignis tribuitur ei, qui semotis cineribus manum adhibuit; cum nihil aliud fuerit quàm merum instrumentum restitutionis ignis.

At principale efficiens consistit in ipsomet igne, quẽ frustra hercle ille dilatârit, aut eventilarit, si penitus fuisset extinctus.

Quapropter soli igni residuo revificatio illa (ut ita loquar) tanquam causæ primariæ, proximæ, atque intrinsecæ tribuenda, interveniente tantum extrinseco ventilatore, tanquam instrumento.

Rursus, quemadmodum frustra facis, si ignem langvidum, ac vix ac ne vix quidem scintillantem multo carbonum mortuorum obrutu citò resuscitare velis: citius enim suffocabitur, quàm in pristinum vigorem accendetur.

At si carbones accensos apponas, mox eundem adaugebunt, nec metus amplius erit ullus extinctionis.

Simili prorsus ratione præcipua virtus, seu functio semper igni nostro vitali seu balsamo radicali accepta ferenda, potiùs quàm medico, aut medicamento: licet hoc aliqua ratione subvenire, manusque auxiliares præbere possit, & soleat, dum fæces cinereas, & farctus tartareos impedientes liberat, ac dissolvit, ut liberior sit transpiratio, ne ab iisdem oppressus, suffocetur. Talis est Balsamica hæc medicina, quæ purificata, exaltata, atque in essentiam præstantissimam redacta, spiritus alicujus vitæ instar, ignem nostrum vitalem, jam quidem viventem, sed langvidum excitat, instaurat, & pristino vigori restituit. Quod cùm absque omni comparatione longè citiùs, tutiùs, atque jucundius, quàm medicina vulgata id præstet: iccircò illam non malè carbonibus mortuis, seu ligno virenti; hanc verò tanquã præpa-

præparatam,& jam in balsamum redactam carboni accenso contuleris.

De hac unica medicina intelligẽdus est summus ille sapiens. Altissimus creavit è terra medicinam, quã vir sapiens non abhorrebit. Nam per τὸ medicinam intelligit remedium, non artem medicam.

N. Universalis hæc medicina, singulari typo ac analogia repræsentat medicinam illam, sive balsamum spiritualem animæ nostræ, quæ ceu character patris cœlestis supernè ad terram descendens, humanam seu corpoream naturam adscivit, in qua genitus, circumcisus, spiritu cœlitus in baptismo perfusus, variis tentationibus vexatus, morte condemnatus, moriendo sanguinem ac aquam fudit, nobisque in nutrimentum ac medicinam spiritualem cessit, omnibus morbis spiritualibus medendis, aptissimam ac sufficientissimam.

De corroboratione particulari.

Particularis corroboratio fit certis specificis, videlicet cardiacis, cephalicis, Epaticis, pectoralibus, stomachicis, spleneticis, ictericis, arthriticis. De quibus in Pharmacopœa.

N. 1. Ut Duci belligeranti pro diversitate loci ac indolis hostium, alii ac alii prosunt milites. Videlicet, cõmodius adhiberi possunt, familiares quibus loci conditio aut hostis natura indolesve fuerit perspecta quam peregrini: Ita quoq; balsamo nativo contra spiritus morbificos dimicanti, pro varietate horũ spiritũũ alii ac alii prosunt spiritus sive medicamenta opitulantia.

N. 2. Ut varia corroborantia naturalia pro diversis partibus ac morbis peculiariter Deus in natura creavit: ita diversa quoque corroborantia spiritualia in verbo suo nobis patefecit, eorumque efficaciam per spiritũ nobis applicat. O sũma bonitas!

CAP. VIII.

De debilitatione spirituum morbificorum.

D*Ebilitatio hostis morbifici fit vel eius correctione seu alteratione, vel eiectione*, vel sopitione seu narcosi. (de qua tom.3.c.11.)

Morbus est instar hostis, qui contra naturam insurgit, eiusque imperium ac œconomiam perturbat. Idcirco si pax introduci debeat hostis ille vel corrigendus seu emendandus est, vel prorsus est ejiciendus.

Media naturalia hostes hos debilitantia sunt Diætetica, Pharmaceutica & Chirurgica.

Diætetica media exhibet Diætetica: Pharmaceutica, Pharmacopœa: Chirurgica; Chirurgia.

Medicamenta dicto modo operantia, agunt ope spirituum, seu balsami nativi, corpore crasso operti: ergo eruendi.

Quercetan. Morbidos illos spiritus & tincturas corrigi & ejici non posse constat, quam aliorum spiritũũ ope. Etenim spiritualia, spiritualibus ut corporea corporeis committẽda, Necesse est igitur ut in remediorum præparatione spiritus à corporib⁹ & mortuis qualitatibus separetur.

N. 1.

N.1.Hæc repræsentant spirituales radios carnis potentiam ac robur in nobis debilitantes malas cõcupiscẽtias, cruce ac tribulationibus corrigendo, fugando ac expellendo.

Alteratio est exaltatæ facultatis nocivæ mutatio seu melioratio.

Media sunt medicamenta 1. alterantia, scil. calfacientia refrigerantia, exsiccantia, humectantia. Eademque attenuãtia, incrassantia, &c.

2. Edulcorantia, quæ ἀκρότητα principiorum corrigunt. Veluti dulcia, temperata.

3. Resolventia, quæ tartarum resolvunt, ut testacea &c.

4. Fervorem spirituum ac inflammationes extinguentia: ut frigida, acida, &, quæ discutiendo ἀκρότητα imminuunt.

5. Astringentia. Veluti acerba: austera, &c.

6. Specifica, quæ proprietate sua morbum corrigunt, veluti sunt antepilepitca, antapoplectica &c.

N. In Pathologia membra diversa indispositionis, recensuimus, quæ tamen præcipuè in humorum aut potius in sanguinis cruditate peculiarivè corruptione & malignitate concentrantur. Ergo uti ratio sanitatis transponendæ est cruditas, quam plerunque excipit fermentatio seu ebullitio p.n. ita ratio indispositionis emendandæ sita est in cruditatis subtiliatione, maturatione ac defecatione, cujus mediũ præcipuum est fermẽtatio, suavis ac naturalis utpote, qua cruditas corrigitur, inutilia separantur, & ad ejectionem disponuntur. Etenim, ut ait autor noster, per fermentationem seu fermentum naturæ pari modo, quo in panificio videmus, omnes corporis nostri humores attenuantur subtiliãturq;. Hinc cognoscas licet, quẽadmodum vel modicum acidi fermẽti universam pastam fermẽtat, & panem levissimum, atq; concoctu facillimum reddit, qui alioqui futurus erat gravis & ad digestionem ineptus: ita etiam per eandem viã fermentationis, quæ consistit in liquore quodam acetoso naturæ, nostros humores attenuari, atq; ad excretionem disponi, ideoq; sunt quædã acida, q̃ sudores moveat, quamvis ea ex medicorum vulgari sententia sint frigida. Pharmac. rest. c. 16.

N.2. Aciditas est rerum omnium fermẽtũ. Inest ea aciditas seu spiritus acidus in omnibus rebus 1. In mineralibus, videl. sulphure vitriolo & omni sale. 2. In omnib. vegetabilibus quę ab iis sustentantur atq; vegetãtur. 3. In omnibus animalib. quæ à vegetabilibus nutriuntur.

In aciditate illa consistit vera fermentatio, elevatio atq; attenuatio humorum, & per consequens hujus beneficio quoque fit facilior eorundem expulsio (quippe quod ab illa, humores attenuati, facilius ac prõptius exhalent per sudores) quæ tenuiorum humorum tantum esse solet. Hæc acciditas est vis mercurialis.

N. Quod Quercetan. fermẽtationi acceptam ferendam censet, id cũ mica salis accipiendum est.

Etsi

Etsi enim aciditas in fermentationibus sentitur: attamen vi aciditatis fermentationes fieri, non facile dixerim, cum nulla initio fermentationis plerumque occurrat. Verisimilius igitur videtur, aciditatem potius fermentationes subsequi, eò quod partes æthereæ, mercurialis ac sulphureæ, seu quæ magis in naturam rei fermentatæ transmutatæ ac transplantatæ sunt, mediante digestione ac fermentatione à crassioribus salinis ac minus elaboratis separatæ, atque subtiliores, spiritualioresque redditæ sint: qua separatione, illæ aciditatẽ contrahunt, ad eundem fere modum, quo author acetum fieri scribit, partium æthercarum separatione. Vel quo humor seu sanguis melancholicus, separato spiritu seu parte ætherea, quæ in partium nutritione ac vivificatione absumpta est acescit. Etenim id quod à fermentatis abstractum est indolem fermentati refert, residuo acescente.

Itaq; ratio fermentandi sita esse videtur in facultate seu spiritu rei fermentandæ, seu si plures concurrant, in potiori, qui spiritus calore externo suscitatus, vires suas exerit, homogeneisq; adscitis & in naturam suam transplantatis exaltatur, roboratur, spiritualior redditur, principiaq; illa hyposta ticaac elemẽtalia tenuiora secũ elevat.

Cap. IX.

De curatione Tartari.

Tartari eradicatio nec perficitur eccoproticis nec opera remedii vehementis, sed apta & concinna specifici auxilij præparatione, & propria dissolvendi, liquefaciendi ac vacuandi gummosas ejusmodi & tartareas impuritates, crassas, terrestras, viscidas & tenaces quæ morbos contumacissimos in nobis procreant.

Cum morborum tartareorum generatio, fiat per coagulationem tartari, consequens utiq; est, ut cura procedat à resolventibus eiusmodi tophos tartareos. Ea autem fiunt ex remediis propriis atq; specificis: quorum alia vim habent resolvendi tartarum huius alia alterius generis & naturæ. Nam ut diversa sunt tartarorum genera atque salium: ita & dissolutionum atq; causarum dissolventium. Res exemplo fiet illustrior. Gummi Arabicum dissolvitur in aqua: ratio est, quia est de natura aquea. Gummi tragaganthi gummi cerasorum, prunorum item sunt aquosa; sed maiore opus est copia aquæ ad dissolutionem eorum. At mastix, thus, lacca in aqua nunquam dissolvuntur. Nam quia hæc gummi sunt de natura sulphuris, facilius dissolvuntur in oleis ut ipsummet sulphur. Quę autem gummi partim sulphurea, partim aquosa, & de salis natura plurimum participant, ut ammeniacum, sagapenum, galbanum: ea cum spiritibus salis, ut cum vitriolato, acetoso spiritu, in ipso aceto vini contento dissolvuntur; aut simili aliquo alio spiritu acetoso, partim mercuriali, partim sulphureo. Hinc patet, in quo consistat dissolvendi vis. Patet etiam non omnia purgantia conferre ad dissolutionem & per consequens evacuationem tartari, ut frustra sint, qui febrib. quartanis, aliisque morbis pertinacibus, varia medicamentorum genera sine ullo discrimine præscribunt; cum pluri-

plurimis ex iis non sit vis particularis & specifica resolvendi atque deturbandi tartareas materias & mucositates compactas. Quinimo talium usu pertinaci, ex quartana simplici faciunt duplicem, aut triplicem. Ratio est, quia non dissolvunt gummosas viscositates cum convenientia non adhibeant: nec naturam iuvant, sed lædunt potius, atque insultus febriles ingeminant. Nã gummi quoddam est tartareum, quod visceribus inhæret, & unoquoq; quatriduo spiritus suos nitrosulphureos exaltans, quartanariorum symptomatum vera est immediata causa. Quod gummi tartareum cũ gummi tartareo dissolvitur, & ebibitur, delctur febris. Nam in similibus potius quærenda est sanitas, seu morbi curatio, quàm in dissimilibus aut contrariis & repugnãtibus. *Hæc est Chymicorum opinio, quæ verbo solum & non re à dogmaticorum opinione differt*: cum ad unum & eundemmet finem vergant ambæ sententiæ. Nam si causæ habeatur ratio, in simili remedium quæres, ut iam diximus de febre quartana. Si effectum ex causa respicias, contrariis eam propulsabis. Si calculus à tartaro, seu sale coagulato factus, curabitur, sale quidem, sed resolvente. Arthritis quinetiam à salibus tartareis acribus ac corrosivis genita, salibus curabitur lenitivis & cõsolidativis. Simili ratione in morbis sulphureis à sulphuribus rerum petenda sunt remedia. Sed sulphuri inflãmmatorio febrem excitanti opponitur sulphur acidum, vitriolatum: quod summe refrigerat: sulphureosque illos commotos spiritus coagulat & compescit. Atq; hoc modo & similia similibus curantur, & contraria contrariis debellantur. Ac merentur sane hæ cõtemplationes, quibus omnes veri medici diligenter incumbant. At in universa ista contemplatione cogit quidem parum digredi ratio à dogmaticorum principiis & fundamentis, donec vel meliora ostendant, vel hæc nostra solidis rationibus evertant. Nam, inquiunt illi, in cura v. g. arthriticorũ & aliis morbis similibus, humores crassos & coagulatos, attenuandos esse: quam attenuationem, attentant calidis & potenter siccantibus. Quid fit? Loco resolutionis quam intendunt, indurant & cogunt magis, à medicamenti nimirum calore resolvente ac dissipante evacuato eo quod aqueum est & tenuius. Hinc tophi, hinc nodi, quos rectius à medicamento causatos dicas, q̃ ab ipsa defluxione, q̃ non potest esse alia quàm liquida. Nã dissolutio eiusmodi tartareæ materiæ, nõ cõsistit vel in vi caloris vel in facultate attenuãte: sed est virt⁹ quædã propria ac specifica, quæ etiam dissolvere potest. Vnde videmus id quod dissolvit aurũ, non dissolvere argentum: & vicissim quod dissolvit argentum, non dissolvere aurum. Nec ulla est aqua fortis, quæ sulphur dissolvendi vim habeat, quod tamen cum metallorum duritie non est conferendum: At ab oleo dissolvi potest, quod & illud sit de natura oleosa atq; sulphurea. Quapropter infinita propemodum dissolventium genera esse in natura existimãdum est: quorum disquisitioni, & causis, doctis incumbendum suadeo. Neq; enim sat

est.

est novisse effectus & τὸ ὅτι, seu ad oculum vidisse: sed pergendum ulterius, & quærendum τὸ διὰ ὅτι.

Q. Vnde promanent facultates alterantes, an à materia eiusque crasi vel à forma seu spiritibus.

Querc. Absurde hallucinantur, qui de facultatibus medicamentorũ alterantium loquentes, eas materiæ, crasi & temperamento arrogãt potius quam formæ substãtiali, sicut id supra prolixius ac fusius probavimus. Obiect. *Frigida refrigerant, & callida calefaciunt materialiter, non formaliter. Pendet enim vis calefaciendi, refrigerandi, humectandi, siccãdi, à materia certo modo temperata: qua temperies si non perit, saltem minuitur distillatione: salva vero & integra, inquit, manet in succo. Est enim anima plantæ.*

Respondeo ac nego, vim ac proprietatem medicamentorum calefaciendi, refrigerandi, incidendi, aut detergendi materialiter agere; vel quod manifestis qualitatibus, & sensui notis, actiones suas præstent in medendo, prout est in elementis id præstare: Sed occulta vi & potentia propter substantialẽ formam: quemadmodum (exempli gratia) dicimus piper, de quo iam antea, aperto calore sensib. pervio nequaquam esse præditum, qualis & ignis, calor aut ardor. At facultate tantum occulta posse calefacere. Neq; enim eius actio percipi potest, nisi calore animalis permutetur: quod est proprium abditarum virium, seu occultarum facultatum.

Alia est omnino ignis caliditas, quam nimirum ἐμφυτῇ efficit in corpore nostro, alia ipsius piperis, quam κατ' ἐπιπλίχμαν nobis impertitur. Illa est materialis, & quæ proprie est elementi ignis: At hæc formali propria est substantiæ ipsius piperis, & quæ nullo modo crasis aut temperies dici potest.

Nos igitur substantiali formæ seu toti substantiæ adscribimus vires, potestates & actiones medicamentorum, quæ κατ' ὕλην afficiunt aut movent aliquid, seu alterant, poti' quam materiæ aut crasi, quæ ex primarum qualitatum mixtione suboritur.

Atq; hæc nostra opinio a Fernelio illo, inter hujus seculi Medicos celeberrimo, omnibus rationum momentis propugnata est: *lib. de abditis rerum causis. lib. de Medic facult.* nec non à Scheggio, Aristotele altero, inter Philosophos clarissimo.

CAP. X.

Q. Vtrum contraria contrariis vel similia similibus sint curanda?

Medicamenta hostes naturæ correctura sunt iisdem quoad substantiam & gegenus similia, quoad facultates & actiones dissimilia & contraria.

Certum est non esse Medicum, qui morbum tantum novit, remedium tamen ignorat. At qui contraria contrariis simul curanda esse affirmat, is nunquam morbi remedium facilè investiget, nec eam fuisse Hippocratis mentem paulo post docebimus.

Morbos oriri ex dissidio princi-

piorum certum est, & quo tiescunque principia illa à sua temperie discedunt (quam vocant intemperiem) ac unum ab alterius consortio separatur, seorsim domicilium figens, morbum parit. Dum enim aliorum permistione destituitur, quæ simul juncta concordiam fovent, bellum tunc corpori indicit, nullis coercitum frænis. Nec putes me hîc qualitates simplices & nudas intelligere, sed essentias ipsas, in quibus viginti illæ δυνάμεις Hippocraticæ, quæ sanitatem incolumi suo balsamo tuentur vel eam deperditā restituunt. Sic enim Hippocr. dicebat πάντα ἀπὸ δυναμίων γίνεσθαι· τὸ θερμὸν ψυχρὸν, ὑγρὸν, ξηρὸν nō esse μεγάλην δύναμιν ἔχειν. Propterea illa profligandorum morborū viribus carere. Cum ergo in essentiis semina & proprietates, tùm sanitatis tum morborum delitescant, sequitur illa essentiis quoque esse fovenda, non qualitatibus. Quæ essentiæ, cum meri sunt spiritus agentes, spiritibus etiam, non corporibus, quæ dissimilia sunt, aut si vis contraria, debellandi sunt.

At hic nobis non hærendum, sed longiùs progrediendum. Asserit cur omnia ex elementis constare, ergo & corpora nostra. Si autem *elementum aeris* patitur in nobis, an *elemento terræ* succurreretur illi? Cur adversus pestem nulla propemodum Medicis remedia occurrunt? An quòd nulla sint? (hic in Dei judicia insurgere non est animus, qui medicamentis virtutem detrahit cùm vult, vel iis benedicit) Nequaquam, sed quòd perperam & ineptè ab insciis Medicis, pestis causas & originem ignorantibus, opponatur. Etenim cùm pesti ex cœlo grassanti medicamentū opponūt ex terra, aqua aut aëre petitū, aut terra ducēti originē aqueū quid mirū si nullus effectus inde sequatur, cùm non ea quæ sese mutuò pellunt & fugant committenda sint, sed ea quæ facilè conveniunt & colliguntur? Quomodo enim cœlo terra misceatur, in subsidium cœli laborantis aut cœlum terræ, inter quæ tanta distantia est, quanta inter divisibile & indivisibile, ut loquebatur Plato? Cœlestia ergo cœlestibus, aquea aquis, terrestria terrestribus committenda sunt, non contra; nulla alioqui amplexu convenire possunt. Notetur igitur cœlum, aerem, aquam & terram in nobis consistere, sed aliquid aliud præterea longè excellentius, balsamicum nempe quoddam corpus, quod omnia alia in temperatura conservat, cujus robur omnia in officio continet. Imbecillitas verò & defectus finit illa diffluere ac evagari. Quid igitur in hoc certamine agendum, quàm balsamicum illud corpus, hoc est naturæ balsamum, in vigore & robore suo fovendum, ut reliqua alia sibi subjecta, & quibus vitam elargitur, in suo statu integra firmaque tueatur & contineat? At quibus ejus imbecillitas, aut defectus instaurabitur, quàm similibus? an oleum increscet aqua imposita? Nunquid potius hostis hostem pellit, ut amicus amico auxiliatur? Omnes ægritudines inde proficiscuntur, in corpore nostro in quacunque corporis parte insideant, quod

quòd balsamus naturæ, vita & munia illic deficiat. Quid igitur agendum quàm ut imbelli amico opem feramus? Dicebat *Hippocrates lib. de flatibus* famem morbum esse. Etenim quicquid hominem torquet, morbi meretur appellationem. Remedium verò hujus morbi est, quicquid famem sedat, atqui talia sunt alimenta, quibus idcirco curandus morbus. Ergo Hippocrati alimenta remedia sunt. Sed quare dicentur alimenta medicamentosa, nisi quatenus proprietates habent naturales, balsamo naturæ congruentes, non contrarias, at quibus vires ejus imbelles corroborantur, & defectus ejusdem instaurantur? Eadem ratione & potus sitim sanat. Cur & unde istud nisi ex eo, quòd, quemadmodum nutrimentum idem est cum nutrito: *Sic sitis cum humore desiderato vel cum potu eadem est?* Hinc dicimus nos, parentes nostros edere quotidie, quod eadem sint illa, ex quibus constamus, & ex quibus vivimus. Vide igitur quàm iniquum sit judicium, quo contraria contrariis vis applicari ad corroborandum naturam, ut morbos à se expellat. Quæ si ab hoste auxilium peteret, nunquam non in pejus periculum rueret, quã si tantũ sibi cũ morbo res esset?

Nec tamen reiicimus dictum *Hippocratis* dicentis, *contrariorum contraria esse remedia*, ablatione videlicet impuritatum morbidarum, & virium ac balsami innati instauratione, non calefactione aut refrigeratione, humectatione aut exsiccatione, non abstersione, incisione, attenuatione, & id genus aliis *Galeno* nimirum tritis, & familiaribus. Sed cum *Hippocrate* idem sentimus, famem nempe cibo, sitim potu, repletionem evacuatione, inanitionem refectione, laborem quiete, &c. sedari, non ut à *Galeno* exponuntur, qui ad nudas illas qualitates, de quibus *Hipp. lib. de antiqua Medicina*, contrarietates illas accommodat, cum Medicina nihil aliud sit quam appositio eorum quæ desiderantur, & ablatio illorum, quæ redundant, ut recte etiam sentit hic *Galenus*. Sed longe aliud maius concipit *Hippocrates*, nempe ut morb. propulsetur, corroborata adversus hostem *natura*, quæ cum sola sit *medicatrix morborum simil. lib. iuvanda est*, & expetitis remediis, ut morbi morborumq; symptomata leniantur & mitigentur, quemadmodum fames & sitis recreantur & sedantur his remediis, quæ avide expetunt. At hostilia non appetuntur, sed amica & familiaria. Quis enim esurienti filio, aut petenti panem, scorpionem offerat? Consentanei igitur & similes liquores exhibendi sunt similiaq; alimenta, quæ desideratam quietem naturæ reddant. Ex eodem enim fonte & eadem familia remedia, quæ sint similia ac consentanea, porrigenda sunt. Neque enim sitientes febrium spiritus recreandi sunt syrupis saccaratis, ptysana sola, aut vino, quod non sint eiusdem familiæ cum illis: idcirco nec amici familiares, aut cognati: sed iis liquorib. acetosis, qui ex eadem gente prognati sint, qui sint spirituales, non corporei, quales isti superiores, quorum guttæ aliquot, si

sitienti offerantur, confestim sitim sedaturæ sint, & ad suam requiem eiusmodi laborantes siti spiritus revocaturæ. Haud secus vigiliæ, dolores, calores sanantur. Cum enim ex spiritib. fiant sitientib. id est aliquid sibi simile, quod deest, appetentibus, nunquam ii sedabuntur, nec quiescent, quin quòd requirunt obtinuerint, & defectum suum resarcierint.

Proinde & rectè *Hippocrati* dicuntur *contraria*, & *Hermeticis similia remedia*. *Similia* quidem, quod ex eadem naturæ anatomia hauriantur, continentia proprietates, virtutes, tincturas & radices similes. *Contraria* vero quod defectus resarciant, & desideria amica saturitate expleant, spiritus & impuritates consentaneas delinientes, & earum consumptiones ac ablationes molientes.

Propterea in naturæ anatomia hæ locutiones, etsi videntur sibi dissimiles & inter se pugnantes, congrue tamen recipiuntur & admittuntur. Contraria videlicet contrariorum sunt remedia, & similia similium.

Sed ut ad principia nostra, ad elementa nempe, vel ad tria illa, & elementata formantia primordia corporum redeamus, ad sal nempe, sulphur & liquorem sive mercurium, cum ex illis omnes fere morbi graves pendeant, ut ne pestis quidem extrinsecus advolans grassari possit in hominem, quin aliquod istorum aggrediatur; non ineptius feceris, si morbo mercu. laboranti remedio ex sulphure perito succurras, quam si oleum aquæ immisceas, quæ inter se expertia sunt mixtionis & unionis. Sic sulphureis morbis, si mercuriali medicamento opitulari contendas, aut salinos aliorum auxiliis propulsare velis. Ista enim non possunt se mutuo amore complecti, inter se tam dissimilia, nec colligari unquam inter se, ut corpus aliquod conflarent, nisi metaphysico illo & æthereo corpore, balsamo nempe omnib. reb. communi in amicam pacem & unionem vincirentur.

Mercurio igitur laboranti mercurialib. remediis auxiliandum, ut epilepsiæ, apoplexiæ, vitriolatis, & ex aqua petitis remediis: sulphureis, ex eadem familia adductis auxiliis succurrendum; & salina salinis adaptanda. Sic similia semper similib. convenire & curari, ratione & experientia docetur.

Aliter ad Riolanum.

Hoc unum inter cætera non prætermittendum, quòd modò spiritus nostros mirum in modum deprimas, modò attollas. Tu tantùm subsidium à spiritibus præberi partibus vis: nos verò non tantùm facultates quibus pollent membra nostra ab illis exhiberi: sed constructionem etiam ac partium confirmationem, nec non ipsam temperiem ac concinnam mixtionem effigiari ac efformari ab iisdem asserimus: Hinc fit ut spiritus sibi simile propagent, ac inde verissimum Chymicorum axioma eruatur, simile simili delectari & curari. Cùm enim ægri spiritus sentiunt sibi sanos & defœcatos in auxilium venire, iis statim adhæ-

adhærent, & eorum puritate impuritatem suam emendare conantur, ac in rectam temperiem sic sese revocant. Non secus enim terra labore fatiscens & novis novi pabuli spiritibus recreata, tandem reviviscit, ac vitales fructus alacriter ac benignè clargitur. Hinc etiam omnium terræ nascentium semina, etsi senio collapsa fatiscant, additione novorum spirituum sibi similium facilè renascuntur, & novam prolem progenerant. Quod aliunde non accidit, quàm quòd spiritus inter se familiares facilè uniantur, & novas vires acquirant generandi, fovendi, augendi, quod in potestate sua habent, & ad quod destinatum semen obtinent.

Quæris, cùm duobus tantùm principiis metallum constet, Mercurio nempe & sulphure, ut ego cum omnibus philosophis assero, ubi tertiũ lateat, quod hîc non agnoscitur, aut unde postea introducitur? Respondeo tertium in utroque aliorum latere, ut ne sulphure quidem & sale careat Mercurius: nec sulphur sale, Mercurioque: Sulphur autem & Mercurium hîc sola denominari, quòd ea spirituosiora, attamen crassiorem partem potentiâ in se continentia, & sensim actu ea compingentia in compositionem individui, priora intellectui occurrant: quod jam pridem ex scriptis nostris didicisse potuisti.

Quid alioqui accidat, si divulsæ partes inter se fuerint, & nullo vinculo colligentur? Quomodo vel minimũ calefieri aqua possit, si spiritu sulphureo, quo à natura prædita est, destituatur. Si nullam enim incalescendi ab igne potentiam haberet innatam, quæ in actum reduceretur, frustra ignis ei admoveretur. Nisi enim unione quadam vinciantur (quod ex spirituum identitate proficiscitur) frustrà alterum alteri admoveas, ut sese mutuò afficiant. Atqui ex sulphureis spiritibus calorem aqua non retineret, nisi salino corpore tanquam retinaculo ipsum coërceret. Cùm enim Mercuriales & sulphurei spiritus volatiliores sint, facile evanescerent, at in salinis corporibus utrinque tanquam glutine continentur.

CAP. II.

De Ejectione.

Ejectio humoribus dicata est, quæ alterantibus emendari nequeunt.

Estq; tum universalior; per dejectionem, per vomitum, per sudores, per Vrinam: tum particularior; per nares, per os vel ex capite vel ex pectore.

Nos tantum manuductione authoris nostri de purgatione dejectoria ac vomitoria hîc agimus, ceu præcipua ac usitatiora specie.

Causa purgationis.

Vis purgatrix inhæret (1) salibus, non omnibus tamen, sed (2) quæ stipata sunt spiritibus purgandi vi pollētibus, quales sunt spiritus (3) mercuriales antimoniales & arsenicales & (4) his affines semi minerales, & (5) vegetabiles

1. Vim purgatricem inhærere salibus.

Misochymicus quidam operationes

ones Chymicas dissuasurus, inter alias & à purgantibus dissuadendi rationem arripit. *Perit*, inquit, *destillatione vis purgatrix*: recedit enim temperies, à qua substantiæ similitudo, efficiens causa purgationis &c. Huic occurrit author, probatque vim purgatricem non fundari in similitudine, sed in sale, præcipuè amaro, tali scil. qui stipatus sit spiritu expultricem irritante. Discat, inquit, veram causam purgationis efficientem non esse positam in similitudine illa substantiæ, de qua post alios verbis everberat auras. Difficile enim illi esset rem exactè definire, & quò similitudo illa, quomodoque referri debeat, docere; An ad qualitates, an ad substantiam, num verò ad formam ipsam? Quam si ad qualitates referat, id ineptè & citra rationem faciat: Siquidem etsi quæcunq; purgant, caliditate prædita sint: non tamen sequitur, quæcunque calida sunt, vel ipsis etiam purgantibus calidiora, vim purgandi habere, qualia sunt piper & Zinziber: minus etiam colori medicamenti vis purgatrix tribuenda est, siquidem nec croco, ideo quod rhabarbarum flavedine superet, bilis flavæ purgatio adscribi debet: majore etiam inscitia virtute illa purgatrix ad materiam referatur, quòd hoc vel illud crassius sit aut tenuius substantia. Nulla enim hic est similitudo, cùm crassam pituitam vacuet agaricus levitate sua: rhabarbarum verò ponderosum levem bilem. Denique sciendum materiæ proprium esse pati, non agere, purgationem autem esse actionem. Restat igitur ut ad formam revocetur ista similitudo substantiæ: cui, cùm ab omnibus, visagendi tribuatur, eam idcircò Medici omnes virtutem ac proprietatem purgandi specificam possidere, uno ore consentiunt. Sed cùm etiam ista pronunciant, grande nihil efferunt, ut qui generaliùs loquantur, nec satis specialiùs doceant, formam altiùs non arcessentes quàm ex interna ipsius purgantis anatomia. Nec tamen negare velim à cœlo in hæc inferiora suas formas ac virtutes induci: in salem videlicet nitrosum, felleum & amarum, cujus proprietas est lixivia facere, detergere & mundare naturam, cujus vi ad vrinæ excretionem provocamur, idque eò frequentiùs & majore conatu, quò nitrosiores sunt & acriores urinæ, ejusmodi sale scatentes: ex cujus acrimonia urinę crebrò nascuntur ardores, & assidua meiendi cupiditas. Bilis flava salis naturam & coagulationẽ induta, dum mediocriter exudat in jejunum intestinum, facultatem expultricem irritans, nobis est quotidiani purgantis loco. Quæ si per totũ corpus diffundatur, & quod satis est intestino deneget ictericitiam parit, & simul alui siccitatem. Si verò illa profusè in ventriculum inundet, facultatem habet medicamenti superne ac infernè usque adeò vehementer purgantis, ut cujusvis antimonii vim & molestiam exæquet: unde nascitur morbus cholera dictus, qui sæpe numero non nisi morte finitur.

Si Antagonista noster vel tantillum in Anatomia rerum interiori esset versatus, atque si attentè expendisset

fellis

fellis naturam : liberiùs ac animosiùs de causis purgationis efficientibus posset differere, nec to: tapsedus ex similitudine substantiæ disputationem suã consueret : de qua cùm tot sint controversiæ inter celebriores etiam Medicos agitatæ, quã paruo & caduco ista nitantur fundamento, hinc satis certa fides elucescit: cùm enim una & eadẽ sit veritas semperque sui similis, de ea ambigi & controverti non potest, nec licet, ubicunque illa hæreat. Omnium igitur animalium, vel eorum solutivũ aloë est, quo purgantur. Ex quo etiam animaliũ felle Medicus philosophus purgans potest medicamentum insigne extrahere, ut ex omni alio simplici aut individuo felleo & amaro, hoc est nitrosum salem felleumque continentem ac referentem. Quique si ingeniosè ac dextrè secretus ab aliis duabus substantiis activis fuerit, à quibus eius virtus interpellatur, in præstantissimum purgativum concinnari potest. Sed ista non nisi ab expertissimo & versatissimo ergasta præstari queunt.

Diximus igitur quod & sæpius repetituri sumus, inter varia officiorũ genera, quæ à tribus illis hypostaticis principiis in mixtionem omniũ corporum naturalium concurrentibus exercentur, *hoc quod de purgatione & mundificatione est, sali uni vẽdicari: quod veluti est generale totius naturæ lixivium atque mundificativum*: idque iuxta vocis (purgationis) etymon, quæ pro omni mundificationis specie sumitur, sive vacuatio fiat impuritatum, alvum per secessum, aut stomachum per vomitum, renesque per urinas, aut universum corpus per sudores purgans: sive obstructiones referat, & qualicunque ratione eas detergat.

Hoc purgationis officium longè lateque diffunditur: cuius tamen partes etsi ad eundem scopum colliment, diversi tamen ac veluti etiam contrarii effectus earum sunt, ut qui ab eodem subiecto profecti videri non possint. Vtque diversi sunt effectus, sic salis genus varium & generale admodum est: utpote quod in varias etiam species dividatur, quæ pro diversitate sua singulæ diversos etiam sapores, evacutionum ac detersionum proprietates ac facultates varias possideant.

Veruntamen inter sales, qui amarulentior ac magis felleus est, proprietatem suam hoc sapore prodit per alvum & secessum purgandi. Huiusmodi sales Chymici nitrosos vocant. Saladinus de Esculo antiquus olim & magnus Physicus ac Medicus, in suo Cõpendio Aromatariorum cap. de salib. sic loquitur: *Dico quod salis famosæ species sunt quatuor, sc. sal panis, id est sal communis, sal gemma, sal napticus, & sal indus.* Addit postea hunc esse omnium amarissimum & acerrimum seu violẽtissimum, atque idcirco purgantissimum. Omnem a. salem vocat calcar aliarum Medicinarum, cum quibus miscetur: facit enim eas celerius & citiùs operari, & tandem addit: *Omnis sal educit grossos humores phlegmaticos, &c.* In alio dispensario, quod vocant, servitoris Titulo inscripto, qui Bulcasis Benaberazerim Arabis librorum est unus, idem comperietur, cap. inscri-

pto, Modus præparationis salium, & proprietates eorum in purgando & de aqua salsa: ita ut hinc pateat, me non esse autorem adscriptæ salibus purgādi virtutis, & aliarum proprietatum, iam olim à doctis viris illis adiudicatarum, prout accuratiùs posthac docebim', ut nos tueamur à cachinnis Antagonistæ, nos propter adscriptionem eiusmodi virtutum huic vitali principio merito factam deridentis: Vbi suā ipsemet temeritatem satis superque prodit.

Vt repetamus igitur nostrę orationis cursum, asserimus speciatim sali, cique vel amarissimo, vim purgatricem semper fuisse tributam. Nec per salis nomen Metallicos sales intelligo tantum: At salem illum, qui in rerum generationem ut tertium principium cōcurrit, quiq; signaturam suam & proprietatem amartore explicat, qui in omnibus purgantibus talis deprehenditur abundare. Qui quidem amarus sapor naturam salinam redolens, si seorsim separetur in aqua solutus, dein coaguletur, in purgans medicamentum reducitur & accommendatur.

Vim purgatricem fundari in spiritibus.

Sæpè alibi diximus & adhuc dicturi sumus, hac separandorū principiorum via & methodo, ex ipso opio, quod saporis est amari, substantiam vi purgatrice præditam elici posse, quod scilicet in toto opio, copiosiore aliarum substantiarum, sulphurearum nimirum aut mercurialium mole, salina ista & amara substantia solutiva obruatur: quæ tamen ab aliis secreta geminas vires exerit, ut aliæ seorsim substantiæ suas quoque virtutes explicant. Sed Chymicorum est & Doctorum Philosophorum de his iudicium facere. Soli enim illi ista norunt, qui vivam rerum anatomiam callent, ab eaque non recedunt, ut proprietatum cuiusvis individui certam cognitionē habeant. At hi veri sunt Medici, qui huiusmodi principiorum aut substantiarum separationis faciendæ peritia pollent: Quorumque est de abstrusis istis & tam elegantibus operationibus disserere, ut qui norint etiam sedulam rebus operam navare, non eos tanquā sua maiestate indignos labores effugere.

Notandum est tamen, cùm de vera causa efficiente purgationis loquimur, qua humores commoventur & detrahuntur ex corpore, nos non verba facere de simplici illa ventris lenitione aut subductione: nec etiam eam vim solùm in sale, quatenus simpliciter sal est, aut amarus, consistere: sed quatenus amaritudo illa stipatur irritante quodam spiritu, cujus vi ac energia ejusmodi functiones obeuntur. Siquidem cùm spiritus spiritibus facilè connectantur, vitales expultricis nostræ facultatis spiritus facilè à spiritibus salinis provocantur ad eorum excretionem, à quibus irritantur. Salinos enim spiritus mordaces & acres benigni nostri spiritus ferre nequeunt, quin illos tota vi commoti & irritati excludant: quibus expulsis pacati conquiescant. Nec tamen expulsio ista, collectis vndique viribus facta, citra detrimentum utilis substantiæ corporis cum vitiosa

con-

conjunctæ absolui potest. Dum enim utrique spiritus concertant, undequaque cogit sibi copias natura, quibus hostem oppugnet, atque utrinque ita confligitur, ut penes quos spiritus inclinet victoria, sæpe dubitetur. Quo fit, ut dum natura spiritibus suis per superiora ac inferiora hostem extra muros suos dejicit, victoriam quidem, sed cruentam tamen sibi pariat: aut contra ab hostibus devicta, tota tandem, ac sæpe succumbat. At parta victoria, cum hostibus deturbatis, varia etiam pravorum humorum sarcina simul liberata est, quorum expulsio verè purgatio dicitur. Sed non parùm ad hæc confert magna prudentis Medici industria: cujus auxilio, sapientia, ac rerum gerendarum imperio, natura ita plerunque juvatur, ut facilè hostem prosternat, & confiniis suis cum omnibus impuritatibus extrudat. Quod utique feliciter succedere non potest, nisi Medicus hostis naturæ vires rectè cognitas habeat, cui copias & arma sua opponat, nec plus adjiciat, quam quod satis esse possit. In hoc enim summè congrua dosis ac justa mensura desideratur à Medico, qui aptis auxiliis morbum velit profligare: alioqui si ea medendi dexteritate careat Medicus, cùm propugnator naturæ esse deberet, sese non alium quam naturæ proditorem & carnificem prodat.

Cùm itaque multos tanquam domesticos hostes foveamus, qui intemperata vivendi ratione, & innumeris aliis erroribus, rebelliores ac contumaciores alii aliis redduntur, quique si diutiùs nobis immorentur, ac firmam sedem figant, non facilè coërceantur, quò plus detrimenti & noxæ multum corpori inferant. Hinc circumspectus desideratur Medicus, qui pro sua prudentia dextrè gerat omnia, modò naturam leni classico excitans, modò securiùs sibi indormienti excubias imperans modò hostem levis armaturæ in ipsum promovens & concitans, hoc est, lene aliquod eccoproticum præscribens, quoad sibi cavendum à graviore hoste sollicitetur: sic primùm impuritates hostiles intra muros delitescentes dejiciēs, primam corporis regionem repurgat, hoc est leviores hostes excludit, cùm iisdem fortiores & vehementiores expugnari non possent. Itaque adversus violentiores & crudeliores hostes, qui corporis etiam præcipua propugnacula occuparunt: imperiti fuerit ducis, hoc est, inconsulti Medici, qui assulis & festucis, aut levi ad arma conclamatione, eos devinci ac extrudi posse putaverit, quos nisi vi gravissimorum armorum expugnari posse certissimum sit.

Duo igitur Medico attentè consideranda veniunt: Naturam videlicet posse ab interno & externo hoste divexari. Sed hæc unicè prævidere debet, ne ab externo hoste natura torqueatur: quod tùm accidit, cùm medicamentum crudum, impurum, tamque naturæ nostræ & spiritibus contrarium & deleterium exhibetur. Deinde contrà, ut qui sint domestici in corpore hostes convenientibus & idoneis armis opportunè

debellentur. Nam si minùs aptum præbeatur subsidium, ab utroque hoste oppugnatur natura, tùm ab externo medicamento, tùm ab interna impuritate, quæ etiam in corpore diutiùs commorans, in venenum transit, ni præceps auxilium afferatur.

Cæterùm extranei illi hostes quos vocamus, illi sunt medicamentorum ineptorum ac minimè congruentium spiritus virulenti, qui nostris spiritibus omninò contrarii sunt, vimque naturæ inferunt. Nomen autem Spirituum illis tribuimus, quòd revera tenues sint, & instar fumi aut vaporis volatiles, quos tamen corporeos esse constat, ut qui sensus non fugiant. Sed de iis fusiùs & apertiùs alibi.

N. 3. Vim purgatricem in principiis mercurialibus antimonialibus & arsenicalibus contineri, & ex illis proficisci.

Sed cùm de spiritibus purgationem cientibus hic privatim agamus, his tãtùm explicandis immorabimur: atque ut meliùs & faciliùs res ista cõcipiatur, hoc est, tanquam visui & tactui subjiciatur, origo nobis purgationis arcessenda est altiùs, quàm à vegetabilium familia, ac transeundum in naturam mineralem, ubi tanquam in prima sua scaturigine apertè conspici potest.

In hac igitur mineralium familia tria spirituum genera à prima origine sese primò conspicienda offerunt: *mercuriales* nempe Spiritus, *arsenicales & antimoniales*; quia suapte naturâ, verè simplices, formales, ignei, ac miris dotibus instructi admirandæque sunt efficaciæ, ac in operando promptitudinis. Qui quidem inter se distinguendi ut diversi, ut qui etiam à tribus principiis, iisque diversis oriantur. Si quidem mercuriales ut subtilissimi, vaporosi, aërei & aquei, ex mercurio. Arsenicales, ut qui magis halituosi, ignei ac calidiores, mediocriter volatiles ex sulphure. Antimoniales omnium crassissimi ac magis corporei & terrestres ex sale suam originem ducunt. Mercuriales à Sole, Luna & Mercurio cœlestis spiritus mutuantur, iisque imprægnantur ac animantur. Arsenicales Martis Venerisque Spiritus excipiunt: ut antimoniales Iovis & Saturni proprietates spirituales ac virtutes concipiunt. Ex quibus cœlestium Spirituum virtutibus, singula principia, ex sibi convenientibus impraegnata & iis aucta, potentiores vires, in suo unumquodque genere, naturamque correctiorem ac temperatiorem consequuntur. Si quidem mercuriales tanquam ex benignioribus & salubrioribus Spiritibus perfusi, benigniorẽ consequuntur naturam, utpote medicamentosam alimentosam. Antimoniales ex intermediis, hoc est, partim benignis, partim malignis, peiorẽ, naturam, hoc est, intermediam subeunt. At arsenicales, utpote pessimis & perniciosissimis spiritibus agitati, exitialem naturam induunt: qua sæpius multum detrimentri inferunt.

Qui idcirco postremi usq; adeo natura ignei, vehementes ac violenti, metallicis & petrosis substantiis; duriss-

rissimis ac semimortuis, formandis & coquendis, non autem benignioribus & mollioribus individuorum naturis (quales sunt vegetabilium & animalium) inserviunt, ac instar ignis sunt, vitamq; ipsis elargiuntur.

Quin & ipsi spiritus corpora induunt naturis suis consentanea, arsenicales, sulphurei, auripigmenti & arsenici corpus, quæ duo metallica plane sulphurea sunt. Antimoniales, antimonii & magnetiæ corpus, quod inter metallica alia hæc sunt corpulentissimæ & crassissimæ substantiæ, de stirpe Saturni & vitrioli, quæq; ob id prima entia & principia sunt cæterorum metallorum.

Quorum corporum impedimento violentia & præceps, ut ita dicam, activitas prædictorum spirituum quodammodò coërcetur: nec ita vehementes vires exerunt illi, ac cum ad simplicitatem & spirituosam tenuitatem redacti sunt. Inter spiritus autem corporeos mercuriales benignitate ac suavitate superant antimoniales & arsenicales, qui postremi alios duos violentia ac malitia vincunt. Hi enim toti prope ignei sunt, ut iam diximus, ac idcirco perniciosissimi.

Spiritus Mercuriales.

Mercuriales autem cum omnium sint simplicissimi ac tenuissimi, atq; hinc ad agendum promptissimi: nec non Mercurius ipse totus homogeneis constet partibus, iisque spiritualibus: alios idcirco agendi promptitudine superat, atque hinc universali purgationi ac mundificationi redditur præ aliis idoneus, utpote ex cuius substantia tota, citra ullam partium separationem, egregiæ ac optimæ omnis generis purgationes, nulla etiam adhibita præparatione, quam cruditatis cuiusdam noxiæ correctione, & celeritatis ac promptitudinis eius in purgando nimiæ, retardatione, extrahi possunt. Quod coctione illius & fixatione præstatur.

Spiritus arsenicales.

Spiritus autem, qui medio quodam fixi & volatiles sunt, locum habent & se produnt præcipuè in auripigmento ac arsenico. Ex quorum tota substantia, citra etiam exquisitiorem separationem, educuntur solutivi quidam spiritus, usque adeò sulphurei, ignei, violenti ac exitiales, ut meritò inter venena omnium lethalissima recenseantur: quorum insultus & violentiam natura animalis, utpote delicatior ac debilior, ferre non potest, quin statim corruat. Quorum tamen vehementia ac pernicies non potest non arte corrigi, ac sic emendari, ut utilissimus futurus sit eorum usus, vel in ipsorum etiam cancrorum cura.

Spiritus Antimoniales.

At antimoniales Spiritus, utpote aliis corpulentiores, crassioresque, in Antimonio sedem suam figunt, quod metallorum omnium, quæ præ aliis rebus omnibus corpulentissima sunt, prima sit radix ac origo.

Spiritus Metallici.

Nec tamen ita seorsim manent Spiritus antimoniales, quin aliorum coniugio sociati, mercurialium nempe & arsenicalium septem metallorum, illas species ex sese procreent: Saturnum videlicet & Iovem, cum spiritus antimoniales virtute & copia superant: Martem & Venerem, cum exuperant & vincunt arsenicales: Solem verò, Lunam & Mercurium, cum mercuriales in alios victoriam obtinent: qui quidem mercuriales, præ aliis omnibus spiritualissimi sunt, ac simplicissimi, summeque essentiales, quique ad perfectam coctionem ac fixationem deducti, perfectissima duo metalla, Lunam nempe & Solem, omnis sulphuris antimonialis ac arsenicalis pura putaque absolvunt ac progignunt. Etenim illi nil nisi Mercurius sunt fixus, & ad perfectam concoctionem perductus. Hæc autem Solis & Lunæ metalla, cum penitus fixa sint ac corporea, & simplicitate ac tenuitate illa spirituum exuta, omni etiam agendi potestate destituta sunt, nec nisi ad pristinam spiritualitatem, hoc est, in primam suam materiam revocentur, quicquam apertè operari & præstare possunt.

Reliqua verò Metalla quatuor, hunc nondum perfectionis gradum consecuta, puritatis videlicet, digestionis, decoctionis, ac fixationis, etsi sensu durissima esse videntur, ac solidissima, fixationem tamen nondum attigerunt perfectam, ut quæ adhuc multo sulphure impuro, aliisque id genus heterogeneis substantiis, spiritibus nempè arsenicalibus ac antimonialibus scateant: exiguamque admodum mercurialium spirituum, eorumque adhuc nimium impurorum portionem possideant. Quo fit ut eorum quædam ignis examen non sustineant, sed illius vi in cineres & vitrum facessant, nec possunt usquam quavis arte in naturam metallicam redire: alia, ut aliis magis volatilia in fumum expirent. Quod omnibus notissimum est, non tantùm Philosophis, qui in investigatione & exercitatione ejusmodi operationum naturam metallorum contemplati sunt: sed cuivis etiam mechanico artifici, vel mediocriter in his exercitato, quales sunt aurifabri, argentariæ & & numulariæ artis professores, qui norunt cum suis cupellis ejusmodi metalla in fumos disperdere, quod Philosophi variis aliis modis ac instrumentis efficere possunt.

Ex ejusmodi autem metallis, volatilibus spiritibus præditis, purgantia admirandarum operationum educuntur, idque juxta spirituum in singulis exuperantium ac dominantium naturam. Ex spiritibus seu floribus Jovis & Saturni, per sublimationem elicitis, purgantia concinnantur: quæ & decoctionibus & vomitu, sudoribus ac urinis, variisque id genus modis functiones miras obeunt: quæ inter mediocria, ac minùs damnosa aut noxia censeri possunt, etsi à natura metallica deriventur. Ex ferro & ære egregia cathartica educi possunt, veteribus non incognita.

4. Spi-

4. Spiritibus semiminerales.

Ut à metallis ad semimineralia & succos metallicos transeamus, infinita ex illis depromuntur etiam purgantia, prout spiritibus ejusmodi vigent. Sic ex vitriolo, nitro, sale gemmæ, sale armoniaco, calchitide myſi, lapide Lazuli, lapide Armenio, compluribusque aliis & mediocria & violenta solutiva elici possunt.

Et hi spiritus metallici ac semiminerales oriuntur ex prædictis mercurialibus arsenicalibus & antimonialibus.

Ut autem ostendamus, omnem purgandi potestatem ac effectum, qui mercurio, arsenico, & antimonio, tribus illis metallicis spiritibus inest, quaque virtute partim etiam quatuor illa imperfecta metalla, nec non omnia salium, succorum, aliarumque substantiarum metallicarum, genera fruuntur, ex huiusmodi spiritibus præcipue proficisci, hinc liquet, quod mercurius fixus, & nulla ratione à calore nostro mobilis, ac spiritibus nostris sociabilis & communicabilis, nullam purgandi vim habeat, hoc est, vel deiiciendi, vel vomitum provocandi: at sudoribus & urinis potiùs proliciēdis sit idoneus. At quatenus volatilis fuerit, ob miram ipsius, ut ita loquar, spiritualitatem ac subtilitatem, summum fit corporis mundificativum, partes illius & membra omnia, ut iam diximus, permeans ac penetrans. Sic vitrum antimonii, quatenus spiritus habet fumosos & volatiles, non fixos, qui tum in eademmet fusione, tum ex alba quadam illius exhalatione, dum fusum marmori inditur, sese produnt, vehementem quoque purgandi vim obtinet. Cuius fusio & liquatio si toties repetatur, & tandiu, dum nulla amplius albedo ab eo exhalet, tunc omni purgandi vi prorsus destitui necesse est. Cui etiam purgatrix virtus penitus deperit, si vitrum istud in alchool tenuissimum redditum soli ardenti exponatur, cuius calore tenuiores eius spiritus evanescant, & expirent, aut absumantur. Tunc enim solventis medicamenti loco Anodynum fit præstantissimū.

Atque ut invictis argumentis demonstremus, in solis illis spiritibus volatilibus positam esse omnem purgandi facultatem, illisque solis acceptam esse ferendam, certum est ex antimonio & plumbo fieri posse vitrum, aliasque præparationes, tùm ex illis, tùm ex aliis metallicis rebus: sive ex illis flores sublimatione efferantur, sive calcinatione cum nitro crocus proliciatur: quæ si contrita in pulverem, aqua aut vino aliquot horas ad decem vel duodecim granorum pondus, aut amplius etiam, diluantur, effusa postea aqua per inclinationem, & separata à pulvere, propinanda exhibeatur, admirandam inde purgationem consequuturam, etsi de librato pōdere pulveris siccati, nihil detractum sit, quòd soli spiritus, qui nihil ponderis addunt corpori, in infusione relicti sint, unde nascitur summa illa purgandi vis, non imminuto etiam ejus pondere à spirituum exhalatione: qui quidem pulvis multoties potest in aquam aut vinum infundi, in quibus deponat suos spiritus

tus purgantes, idque si vel centies etiamqd fiat, dum prorsus evacuati sint spiritus, nihil tamen siccatus pulvis de pondere suo quicquam deperdat: ac vis purgandi illi perit, si prorsus spiritus exhausti fuerint. Vidi ego hisce oculis annulum ex vitro plumbeo infusum, perpetuum fuisse quibusdam medicamentum solutivum, quoties corpus purgare vellent: sic aliis regulum antimonii, globuli aut pilulæ unius formæ vulgaris magnitudine, deglutitum, posteà redditum per aluum deinde optimè lotum ac mundatum, denuò ventriculo ingestum, si quæ identidem lotum ac deglutitum, centies, quum opus esset purgatione corporis, medicamenti soluti vi vices præstitisse, ut nec annulus nec regulus ullum ponderis sui momentum deponerent. Hinc facilè colligere est, *vim purgatricem delitescere in quibusdam spiritibus, qui ea proprietate dotati sunt, quemadmodum aliis inest vis & potestas alterandi vel alendi, & in substantiam nostram transeundi.* Cujus rei major fit fides ex docti atque experti artificis industria, qui vel confestim & uno momento potest adhibito quodam naturæ igni, vel absumente vel fixante, mercurii & antimonii spiritus nimium acutos ac penetrātes coërcere, vim omnem purgandi illis detrahere, & de illis remedia aptare, quæ sudorib. blandis ac lenib. transpiratione insensili, consumptione supervacaneorum corporis nostri humorum, nec non impuritatum omniū abstersione potiùs, quam violenta aliqua & aperta vacuatione cum corporis perturbatione, integram valetudinem restituant.

5. Vegetabilium spiritus ex mineralium ortum trahunt.

Quemadmodum autem vegetativum, mediæ, ut jam diximus, inter animale & minerale naturæ, hac participationis utriusque natura convertitur in sensitivum, sicuti ex pane videmus & vino sanguinem progigni: ex sanguine sperma, & ex spermate hominem nasci; sic minerale (ex generali illo rerum omnium inter se consensu) transit in vegetativum: vegetabilibus videlicet per radices mineralium spiritus essentiales, metallicosque exugentibus, quibus tota terra referta est, ut videre est ex tot mineris ferreis præsertim, tantaque lapidum & saxorum varii generis copia, quibus abundat & ex se producit, quæ nihil quàm metallicæ substantiæ sunt.

At licet simplicia vegetantia, cum substantiis metallicis spiritus illos mercuriales, antimoniales & arsenicales naturæ purgantis hauriāt, unde purgantia medicamenta dicuntur, quod felleo quodam amarore, ex spiritibus salis nitrosi, terrestris & metallici, per radices in anatomiam vegetabilium ingressis, scateant: Non usque quaque tamen violentum illum ac periculosum spiritum habent, qualis in prima sua minera & origine, utpote indigestus & crudus tota natura est. Deponit enim virus in vegetabili varia illius coctione ac digestione, purtiorque redditur, ut præter purgandi vim

di vim & effectum nihil retineat incōmodi, nisi fortè immoderatius, & majore quam par est dosi exhibeatur. Alia autem aliis magis purgantia sunt, in quibus videlicet maior est mercurialium spirituum copia: qui tamen naturæ nostræ nullam vim inferunt. Si tamen quoddam vegetabile arsenicalem spiritum in se habeat, licet non æque perniciosum, ac in ipso arsenico, quod concoctione mitius redditum sit: non caret tamen violentia & pernicie arsenicalis veneni, quales sunt Napelli, Aconita, & inter lacrymas euphorbium.

Si antimoniali spiritu imbutum sit vegetabile, aut ubicumq; eum alio spiritu coniunctus sit antimonialis & vomitus & secessus violentos inducet; qualia sunt helleborum & titymalorum genera, atque id genus alia: nec pro ratione spiritus violenti, quem in se inclusum habet vegetabile, commotionis & perturbationis est expers. Hinc videre est etiam eiusmodi simplicia vehementis evacuationis, in montibus potius & saxosis locis aut inter rupes, ubi nativa sedes est metallicorum spirituum, quam in pingui & fertili solo luxuriare. Quæ ut mitiora & correctiora reddantur, ac sylvestrem illam suam naturam exuant, in domesticos hortos traducendæ sunt, & transplantandæ. Aliam enim naturam & benignius nutrimentum, quo temperantur, inde mutuantur, quo edulcescunt, & cicurantur. Cum alioqui in montibus benigno illo alimento & sufficiente solis ad coquendum & cruditates temperandas calore, ac cœli benignitate destituantur. Digestionibus enim ac concoctionibus, quæ austera sunt, mitescere solent, & venenosa fiunt salubertima, ita ut arte etiam naturam æmulante, digerendo & concoquendo, ex simplicibus exitialibus præstantissima remedia comparentur. Sed internæ rerum anatomiæ & illarum principiorum certa habenda est cognitio.

Obj. Ast oggeris à corporeo fixoque Mercurio purgatricem vim potius, quam à volatili profundi, idq; probas exilib. admodum & jeiunis rationibus, quod scilicet medicamenta fixa & corporea diutiùs in corpore moram ducant, unde eminus & meliùs vacuent. Egregius utiq; philosophus es, qui ignoras à calore nativo, vel potius à spiritibus naturalibus volatilem & spirituosum Mercurium educi ex medicamento, ut vires suas exerat, nō corpoream & fixam materiam. Quod quàm sit verissimum, ignoras adhuc Philosophe? Nunquid recte ratiocinaturus es, si dicas, spiritus nutriens in cibo, cum corpore ingeritur in stomachum, ergo corpus est cibi, quod alit, non spiritus. Si corpus est quod alit, transit in similem corporis nostri substantiam. A spiritibus igitur educentur tot stercora, lotia & impuritates corporeæ, quæ excernuntur post concoctionem cibi ubique, cum corpus cibi in substantiam nostrā conversum sit. Quis istam Logicam & Physicam admittat?

Dividuntur medicamenta pur-

gantia, in benigniora, mediocria & fortiora.

Medicamenta purgantia in tres ordines collocantur, quorum *primus* est vehementissimorum, ac malignorum purgantium, quæ semper maiori ex parte sunt acria ac virulenta seu maligna aliqua qualitate referta, quæque non minus nocere quam prodesse idcirco possint, nisi debitè præparata sint, correcta, conveniensque ponderc ac mensura administrata. Huiusmodi sunt inter radices & herbas *helleborus, esula, peplum atque omnia tithymalorũ genera: cucumer asininus, asarũ, thymelea, chamalea, & id genus alia: scãmonea & euphorbium inter lacrymas, lathyris, colocynthis inter fructus & semina: Inter lapides Armenius, Cyaneus.* In hunc ordinem retulerunt alii *hermodoctilos, turbith*, cuiusnomen ipsum perterret, quod à turbando videatur esse dictum. Ego vero inter violenta nolim illa annumerare, ut neque hydragoga illa, quæ ex seminibus extrahuntur, aut vino *ebulino*, atque id genus aliis excipiuntur, quæ quidem tamen, si segniusin nobis operentur, & in corpore restent, citra eam purgationis perfectionem, ad quam erant destinata, possunt quidem nostrum corpus immutare, conturbare & immoderatè calefacere, ut quæ sint à nostra natura admodum aliena, ut docet ipse Galenus.

Alter ordo ex benignorum, quæ sic dicuntur, quòd blandè ac suaviter, citraque molestiam humores noxios, non quidem universi corporis, sed partium duntaxat quarundem vacuent, aluumque leniendo subducant, atque minus ab alimento naturæ deficiant. Quin imò alimenta medicamentosa dici possunt, cujusmodi sunt *herba, malua, violaria, merculiaris brassica, beta, rosa, serum lactis, pruna, tamarindi, manna, cassiæ medulla, & similia*, quæ nulla alia egent præparatione quàm vulgari, ut tutò exhiberi possint.

In tertium ordinem revocantur *aloë, agaricus, scana, centaurium minus, & inter radices rhabarbarum, polypodium, iris, raphanus sylvestris, gentiana, Eupatorium Mesue, sanicula Dodonæi, mechoacam* recens comperta, cujus purgandi vires & effectus *radix vitis alba* admodum æmulatur: ex qua matrici maximè congruens remedium conficitur, quod *feculam Brioniæ* vocant.

An in purgatione semper præferenda sint benigna & amita naturæ, quæ eccoprotica & minorativa vocantur, aliis omnibus? N.

Affirmativam statuit antagonista ac in testimonium citat authoritatem Mesuæ. Hic parum illi favet, siquidem illius Canon aut Axioma non ad curam gravium morborum, sed ad prophylacticem eorum spectat, qui nondum fixas habent intus radices, sed stomachum tantùm & primam corporis regionem obsident, aut leve quid moliuntur, ne in pejus ruant. Qui enim altas in intimis visceribus radices ac mineras egerunt, eccoproticis

cis non avelluntur, nec deturbantur, nec ejusmodi lenibus medicamentis curam adscribit Mesue.

In quem usum autem eccoprotica referenda sint, & quando ac quomodo ejusmodi minorativa sint usurpanda videre poterit, Anonymus in Methodo faciendæ medicinæ vulgari, quæ alibi a nobis exhibetur. Et quorsum eccropotica sola afferat, quæ tantùm expediendæ & purgandæ primæ corporis regioni prosint, quæque simul omnia congesta, ne tantillum quidem levaminis, etsi centies exhibeantur, conferre possint, cum invalidiora sint, quàm quæ morbi seminaria penitus adoriantur? atque hinc nata est necessitas, ad alia validiora remedia confugiendi, quæ tenaciori morbi causæ eradicandæ apta sint, hoc est, fæci cuidam tartareæ vasibus impactæ, dissolvendæ ac deturbandæ idonea, quæ talia quidem erunt, si arte ad penetrandum ad intimas usque partes, nervos, juncturas & penitissima viscera, ubi sedes morbi delitescit, aptentur, quò usque eccoproticis, ut nimium debilibus, penetratio denegatur. Neque etiam hæc opera remedii vehementis perficiuntur, sed specifici auxilii praparatione, & propria dissolvendi, liquefaciendi, ac vacuandi gūmosas ejusmodi & tartareas impuritates, crassas, terrestres, viscidas ac tenaces, quæ morbos contumacissimos in nobis procreant.

Quin etiam constat in omnibus ferè morbis vel acutissimis, etiam febrium penè semper incendio stipatis, ab Hippocrate vehementiora in auxilium remedia adhibita esse, (quæ Anonymus ipse exitialia & venenata esse judicat) atque imprimis Helleborum, quem Hippocrates usque adeò extulit, ut cui, quando, quomodo, & aptè exhibitus fuerit, ei juventutem restituerit: omnibusque qui eo utantur incolumem sanitatem conservet, & quam diutissimè tueatur.

Bonus ipse Mesue, cujus supra Anonymus noster Canonem citavit, ut probaret: quo benigniora ac familiariora naturæ medicamenta sint, eò tutiora & salubriora, sic de Helleboro scribebat, de nigro ipso loquens, lib. de simpl. cap. de Helleb. Ipsum videlicet tantæ esse virtutis medicamentum, ut impuritates omnes & viscerum corruptiones corrigere ac emendare possit, nec non magna facilitate ac facultate tenuem ac vitiosum humorem crassæ pituitæ, & atræ bili permixtum deturbare ac educere: totam sanguinis massam defæcare ac depurare, venas quascunq; penetrare, & à venis in omnes corporis partes introire, quas ab omnibus suis sordibus repurget. Quin & addit idem Mesue, tantæ esse virtutis ac energiæ, ut nulla pars corporis vel abditissima & in profundo latens, aut remotissima vel ad cutem usque vires & operationes ejus non experiatur. Unde constat specificum esse ac præsentissimum auxilium toti capiti, cerebro, omnibusque sensuum instrumentis, nervis, visceribus omnibus, nec non ipsis etiam articulis felicissimè ac mirè succurrens. Hinc fit ut nullum epilepsiis, maniis, melan-

cholijs, paralysibus, vertiginibus, hemicraniis, spleneticis, febribus quartanis, articularibus morbis & id genus chronicis affectibus contumacibus ac deploratis promptius ac utilius remedium offerri possit.

Quid restat denique quod Helleborus non præstet? Nihil prorsus, si Mesuæ credimus. Cutaneas enim infectiones omnes delet, morphæam scabiem, lentigines, impetigines, porrigines, ut mire etiam cutem ipsam nativis coloribus decoret, utiq; halitum suavissium ac oderatissimum concilier. Postremo, si mihi ipsius Mesuæ verbis utendum est, *Helleborus* inquit, *est sicut theriaca & Medicina per antonomasiam*) hoc barbaro vocabulo utitur) *ad lepram, cancrum, & species Herpetis & bothor, & qui se comedunt.*

Perpendite an unquam agyrta ullus tantoperè vel aurum potabile commendarit, ac Mesue suum Helleborum laudat ac prædicat.

Ut tandem desistat Anonymus suis levibus medicamentis ad hærere & valentiora purgantia reiicere; videat quantis laudibus Scribonius Hieram Pacchii efferat, de qua jam supra loquuti sumus, cuius inter ingredientia præcipuum locum occupat Colocynthis, solutivum utiq; violentissimum ac calidissimum, quam comitantur gummi ammoniacum, aromata piperata seu species etiam admodum inflammantes ac adurentes. Ipsam tamen vocat compositionem admirandam ad omnem lateris dolorem, sive cum febre, sive sine febre fuerit: ubi etiam videre est, quantos effectus illius experientia notaverit variis in morbis, iisq; deploratissimis, quibus describendis aut recensendis tempus deficiat, ac verba defuerint. Præterea ne diutius Antagonista benigna sua eccoprotica fortioribus illis medicamentis stomacho noxiis anteponat, audiamus quid porro idem Scribonius loquatur: *Illud vero supra opinionem est*, (inquit, de Hiera Pacchii verba faciens) *quod stomachicis evidenter convenit, cum sit virosissimum medicamentum adversus stomachum, ne ad levia quidem & simplicia medicamenta dispositum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior usus, ratione est: expertus enim unusquisq; intelligit, stomacho quoq; hoc medicamentum eximiè prodesse.* Tandem prædicatis istius medicamenti laudibus in variorum & gravissimorum morborum curam, sic demum concludit caput suum: *Illud utiq; credas, velim, mihi, dum in aliis expertus persuadeam hoc medicamentum non solum non nocere stomacho, verum etiam reficere ac confirmare eum supra omnem opinionem.* Hinc discat Anonymus antiquos Medicos in gravissimis ac deploratissimis morbis tum curandis, tum corroborandis, & restituendis male affectis ac enervatis ventriculis, ac stomachis non semper lenibus illis eccoproticis, sed vehementioribus ac acrioribus medicamentis, qualis est colocynthis & id genus alia, usos esse, cum non nisi eiusmodi remediis satis intelligerent vim graviorum morborum infringi posse, quibus abigendis leviora imparia sint.

Possem in hunc finem innume-

rabi-

rabilia alia remedia proferre ex Græcis autoribus, Latinis ac Arabibus desumpta: quibus fidem facerem, celebriores Medicos vehementissima illa remedia & fortissima ad curationem pessimorum morborum non levia illa semper adhibuisse, quorum tamen non erant ignari. Sed quorsum de his plura.

Cap. XII.

De Methodo medicinæ faciendæ vulgari.

EX Methodo, quam ab Arabibus in primis didicimus, quamque methodum boni omnes Medici in Praxi hodie sequũtur est, ut videl. primo loco primam corporis regionem omnibus impuritatibus expediant. Deinde præparantibus utantur digerentibus ac attenuantibus, morbum aut morbi causam spectantibus, quod vulgò syrupis, decoctis, apozematibus præstatur: idque sic agant, ne crassæ illæ impuritates, si jupelis illis corpus non exhauriretur, vasa obstruant, corrumpant ac magis noceant, eò vi ac subtilitate digerentium & attenuantium pertractæ, à quibus nullum immineat periculum, si prius deturbatæ fuerint.

Post præparantium usum (celebratâ etiam maturè phlebotomiâ, si res postulaverit) transitur ad purgationem, morbi causam & radices avulsuram, modò ex infuso aut decocto sennæ agarici, rhab. concinnatam: adjecto pro delicatioribus syrupo rosato solutivo, prout lene fuerit malum & radicum debilium aut ab humore tenui, non crasso, facilisque motus suscitatum; modò juxta naturam mali fortioris ac contumacioris, & fixis radicibus hærentis, aut pro ægrotantis natura validiore aut robustiore, adduntur purgantibus remediis, vel tabellæ diacarthami vel de citro: elect. de succo rosarum, diaphænicum, tryphera persica, confectio hamech. elect. Indum majus & minus: vel etiam in pervicacioribus ac rebellioribus affectibus adjiciũtur Hiera Logadii, Pacchii, & id genus alia, de quibus jam fecimus mentionem, & quarum hierarum admirandos effectus prædicat Scribonius loco jam citato, in omnibus vel deploratissimis morbis ac etiam in debilitate ipsiusmet ventriculi. Ita ut nunquam tantis laudibus vel aurum ipsum potabile à circulatoribus (cujus vera preparatio id genus hominibus ignota est) celebretur. Interim tamen si hujusmodi remediorum descriptionem, ingredientia præparationem, correctionem, saporem intueamur, horrenda in plurimis videamus, quæ satiùs est supprimi, quàm exprimi, cùm adhuc nobis nauseam moveat eorum recordatio.

Modo etiam electuariorum ejusmodi mollium aut solidorum loco ad radicem everruncandam usurpantur pilulæ: quas & gummi admodum calida nec non scammonea colocynthis atque euphorbium ipsum, tanquã etiam basis malagmatis, ingrediuntur, vel interdum decocta parant, seu apo-

zemata ex rad. fructibus, feminibus & floribus morbo congruentibus aptisque purgantibus, ut una eademq; via ac methodo humores noxii tum præparentur, tum deturbentur, idque per Epicrasim, ut vocant.

Atque hæc est vulgaris ac quotidiana faciendæ Medicinæ methodus.

Finis Tomi primi.

debellentur. Nam si minùs aptum præbeatur subsidium, ab utroque hoste oppugnatur natura, tùm ab externo medicamento, tùm ab interna impuritate, quæ etiam in corpore diutiùs commorans, in venenum transit, ni præceps auxilium afferatur.

Cæterùm extranei illi hostes quos vocamus, illi sunt medicamentorum ineptorum ac minimè congruentium spiritus virulenti, qui nostris spiritibus omninò contrarii sunt, vimque naturæ inferunt. Nomen autem Spirituum illis tribuimus, quòd revera tenues sint, & instar fumi aut vaporis volatiles, quos tamen corporeos esse constat, ut qui sensus non fugiant. Sed de iis fusiùs & apertiùs alibi.

N. 3. Vim purgatricem in principiis mercurialibus antimonialibus & arsenicalibus contineri, & ex illis proficisci.

Sed cùm de spiritibus purgationem cientibus hic privatim agamus, his tãtùm explicandis immorabimur: atque ut meliùs & faciliùs res ista cõcipiatur, hoc est, tanquam visui & tactui subjiciatur, origo nobis purgationis arcessenda est altiùs, quàm à vegetabilium familia, ac transeundum in naturam mineralem, ubi tanquam in prima sua scaturigine apertè conspici potest.

In hac igitur mineralium familia tria spirituum genera à prima origine sese primò conspicienda offerunt: *mercuriales* nempe Spiritus, *arsenicales & antimoniales*; quia suapte naturâ, verè simplices, formales, ignei, ac miris dotibus instructi admirandæque sunt efficaciæ, ac in operando promptitudinis. Qui quidem inter se distinguendi ut diversi, ut qui etiam à tribus principiis, iisque diversis oriantur. Si quidem mercuriales ut subtilissimi, vaporosi, aërei & aquei, ex mercurio. Arsenicales, ut qui magis halituosi, ignei ac calidiores, mediocriter volatiles ex sulphure. Antimoniales omnium crassissimi ac magis corporei & terrestres ex sale suam originem ducunt. Mercuriales à Sole, Luna & Mercurio cœlestis spiritus mutuantur, iisque imprægnantur ac animantur. Arsenicales Martis Venerisque Spiritus excipiunt: ut antimoniales Iovis & Saturni proprietates spirituales ac virtutes concipiunt. Ex quibus cœlestium Spirituum virtutibus, singula principia, ex sibi convenientibus imprægnata & iis aucta, potentiores vires, in suo unumquodque genere, naturamque correctiorem ac temperatiorem consequuntur. Si quidem mercuriales tanquam ex benignioribus & salubrioribus Spiritibus perfusi, benigniorẽ consequuntur naturam, utpote medicamentosam alimentosam. Antimoniales ex intermediis, hoc est, partim benignis, partim malignis, peiorẽ naturam, hoc est, intermediam subeunt. At arsenicales, utpote pessimis & pernitiosissimis spiritibus agitati, exitialem naturam induunt: qua sæpius multum detrimentri inferunt.

Qui idcirco postremi usq; adeo natura ignei, vehementes ac violenti, metallicis & petrosis substantiis; durissi-

rissimis ac semimortuis, formandis & coquendis, non autem benignioribus & mollioribus individuorum naturis (quales sunt vegetabilium & animalium) inserviunt, ac instar ignis sunt, vitamq; ipsis elargiuntur.

Quin & ipsi spiritus corpora induunt naturis suis consentanea, arsenicales, sulphurei, auripigmenti & arsenici corpus, quæ duo metallica plane sulphurea sunt. Antimoniales, antimonii & magnetiæ corpus, quod inter metallica alia hæc sunt corpulentissimæ & crassissimæ substantiæ, de stirpe Saturni & vitrioli, quæq; ob id prima entia & principia sunt cæterorum metallorum.

Quorum corporum impedimento violentia & præceps, ut ita dicam, activitas prædictorum spirituum quodammodò coërcetur: nec ita vehementes vires exerunt illi, ac cum ad simplicitatem & spirituosam tenuitatem redacti sunt. Inter spiritus autem corporeos mercuriales benignitate ac suavitate superant antimoniales & arsenicales, qui postremi alios duos violentia ac malitia vincunt. Hi enim toti prope ignei sunt, ut iam diximus, ac idcirco perniciosissimi.

Spiritus Mercuriales.

Mercuriales autem cum omnium sint simplicissimi ac tenuissimi, atq; hinc ad agendum promptissimi: nec non Mercurius ipse totus homogeneis constet partibus, iisque spiritualibus: alios idcirco agendi promptitudine superat, atque hinc universali purgationi ac mundificationi redditur præ aliis idoneus, utpote ex cuius substantia tota, citra ullam partium separationem, egregiæ ac optimæ omnis generis purgationes, nulla etiam adhibita præparatione, quam cruditatis cuiusdam noxiæ correctione, & celeritatis ac promptitudinis eius in purgando nimiæ, retardatione, extrahi possunt. Quod coctione illius & fixatione præstatur.

Spiritus arsenicales.

Spiritus autem, qui medio quodam fixi & volatiles sunt; locum habent & se produnt præcipuè in auripigmento ac arsenico. Ex quorum tota substantia, citra etiam exquisitiorem separationem, educuntur solutivi quidam spiritus, usque adeò sulphurei, ignei, violenti ac exitiales, ut meritò inter venena omnium lethalissima recenseantur: quorum insultus & violentiam natura animalis, utpote delicatior ac debilior, ferre non potest, quin statim corruat. Quorum tamen vehementia ac pernicies non potest non arte corrigi, ac sic emendari, ut utilissimus futurus sit eorum usus, vel in ipsorum etiam cancrorum cura.

Spiritus Antimoniales.

At antimoniales Spiritus, utpote aliis corpulentiores, crassioresque, in Antimonio sedem suam figunt, quod metallorum omnium, quæ præ aliis rebus omnibus corpulentissima sunt, prima sit radix ac origo.

Spiritus Metallici.

Nec tamen ita seorsim manent Spiritus antimoniales, quin aliorum coniugio sociati, mercurialium nempe & arsenicalium septem metallorum, illas species ex sese procreent: Saturnum videlicet & Iovem, cum spiritus antimoniales virtute & copia superant: Martem & Venerem, cum exuperant & vincunt arsenicales: Solem verò, Lunam & Mercurium, cum mercuriales in alios victoriam obtinent; qui quidem mercuriales, præ aliis omnibus spiritualissimi sunt, ac simplicissimi, summeque essentiales, quique ad perfectam coctionem ac fixationem deducti, perfectissima duo metalla, Lunam nempe & Solem, omnis sulphuris antimonialis ac arsenicalis pura putaque absolvunt ac progignunt. Etenim illi nil nisi Mercurius sunt fixus, & ad perfectam concoctionem perductus. Hæc autem Solis & Lunæ metalla, cum penitus fixa sint ac corporea, & simplicitate ac tenuitate illa spirituum exuta, omni etiam agendi potestate destituta sunt, nec nisi ad pristinam spiritualitatem, hoc est, in primam suam materiam revocentur, quicquam apertè operari & præstare possunt.

Reliqua verò Metalla quatuor, hunc nondum perfectionis gradum consecuta, puritatis videlicet, digestionis, decoctionis, ac fixationis, etsi sensu durissima esse videntur, ac solidissima, fixationem tamen nondum attigerunt perfectam, ut quæ adhuc multo sulphure impuro, aliisque id genus heterogeneis substantiis, spiritibus nempè arsenicalibus ac antimonialibus scateant: exiguamque admodum mercurialium spirituum, eorumque adhuc nimium impurorum portionem possideant. Quo fit ut eorum quædam ignis examen non sustineant, sed illius vi in cineres & vitrum facessant, nec possunt usquam quavis arte in naturam metallicam redire: alia, ut aliis magis volatilia in fumum expirent. Quod omnibus notissimum est, non tantùm Philosophis, qui in investigatione & exercitatione ejusmodi operationum naturam metallorum contemplati sunt: sed cuivis etiam mechanico artifici, vel mediocriter in his exercitato, quales sunt aurifabri, argentariæ & & numulariæ artis professores, qui norunt cum suis cupellis ejusmodi metalla in fumos disperdere, quod Philosophi variis aliis modis ac instrumentis efficere possunt.

Ex ejusmodi autem metallis, volatilibus spiritibus præditis, purgantia admirandarum operationum educuntur, idque juxta spirituum in singulis exuperantium ac dominantium naturam. Ex spiritibus seu floribus Jovis & Saturni, per sublimationem elicitis, purgantia concinnantur: quæ & decoctionibus & vomitu, sudoribus ac urinis, variisque id genus modis functiones miras obeunt: quæ inter mediocria, ac minùs damnosa aut noxia censeri possunt, etsi à natura metallica deriventur. Ex ferro & ære egregia cathartica educi possunt, veteribus non incognita.

4. Spi-

4. Spiritibus semiminerales.

Ut à metallis ad semimineralia & succos metallicos transeamus, infinita ex illis depromuntur etiam purgantia, prout spiritibus ejusmodi vigent. Sic ex vitriolo, nitro, sale gemmæ, sale armoniaco, calchitide mysi, lapide Lazuli, lapide Armenio, compluribusque aliis & mediocria & violenta solutiva elici possunt.

Et hi spiritus metallici ac semiminerales oriuntur ex prædictis mercurialibus arsenicalibus & antimonialibus.

Ut autem ostendamus, omnem purgandi potestatem ac effectum, qui mercurio, arsenico, & antimonio, tribus illis metallicis spiritibus inest, quaque virtute partim etiam quatuor illa imperfecta metalla, nec non omnia salium, succorum, aliarumque substantiarum metallicarum, genera fruuntur, ex huiusmodi spiritibus præcipue proficisci, hinc liquet, quod mercurius fixus, & nulla ratione à calore nostro mobilis, ac spiritibus nostris sociabilis & communicabilis, nullam purgandi vim habeat, hoc est, vel deiiciendi, vel vomitum provocandi: at sudoribus & urinis potiùs proliciēdis sit idoneus. At quatenus volatilis fuerit, ob miram ipsius, ut ita loquar, spiritualitatem ac subtilitatem, summum fit corporis mundificativum, partes illius & membra omnia, ut iam diximus, permeans ac penetrans. Sic vitrum antimonii, quatenus spiritus habet fumosos & volatiles, non fixos, qui tum in eadem met fusione, tum ex alba quadam illius exhalatione, dum fusum marmori inditur, sese produnt, vehementem quoque purgandi vim obtinet. Cuius fusio & liquatio si toties repetatur, & tandiu, dum nulla amplius albedo ab eo exhalet, tunc omni purgandi vi prorsus destitui necesse est. Cui etiam purgatrix virtus penitus deperit, si vitrum istud in alchool tenuissimum redditum soli ardenti exponatur, cuius calore tenuiores eius spiritus evanescant, & expirent, aut absumantur. Tunc enim solventis medicamenti loco Anodynum fit præstantissimū.

Atque ut invictis argumentis demonstremus, in solis illis spiritibus volatilibus positam esse omnem purgandi facultatem, illisque solis acceptam esse ferendam, certum est ex antimonio & plumbo fieri posse vitrum, aliasque præparationes, tùm ex illis, tùm ex aliis metallicis rebus: sive ex illis flores sublimatione efferantur, sive calcinatione cum nitro crocus proliciatur: quæ si contrita in pulverem, aquā aut vino aliquot horas ad decem vel duodecim granorum pondus, aut amplius etiam, diluantur, effusa postea aqua per inclinationem, & separata à pulvere, propinanda exhibeatur, admirandam inde purgationem consequuturam, etsi de librato pōdere pulveris siccati, nihil detractum sit, quòd soli spiritus, qui nihil ponderis addunt corpori, in infusione relicti sint, unde nascitur summa illa purgandi vis, non imminuto etiam ejus pondere à spirituum exhalatione. qui quidem pulvis multoties potest in aquam aut vinum infundi, in quibus deponat suos spiritus:

tus purgantes; idque si vel centies etiamsi fiat, dum prorsus evacuati sint spiritus, nihil tamen siccatus pulvis de pondere suo quicquam deperdat: at vis purgandi illi perit, si prorsus spiritus exhausti fuerint. Vidi ego hisce oculis annulum ex vitro plumbeo infusum, perpetuum fuisse quibus lan medicamentum solutivum, quoties corpus purgare vellent: sic aliis regulum antimonii, globuli aut pilulæ unius formæ vulgaris magnitudine, deglutitum, posteà redditum per alvum deinde optimè lotum ac mundatum, denuò ventriculo ingestum, si que identidem lotum ac deglutitum, centies, quum opus esset purgatione corporis, medicamenti soluti vi vices præstitisse, ut nec annulus nec regulus ullum ponderis sui momentum deponerent. Hinc facilè colligere est, *vim purgatricem delitescere in quibusdam spiritibus, qui ea proprietate dotati sunt, quemadmodum aliis inest vis & potestas alterandi vel alendi, & in substantiam nostram transeundi.* Cujus rei major fit fides ex docti atque experti artificis industria, qui vel confestim & uno momento potest adhibito quodam naturæ igni, vel absumente vel fixante, mercurii & antimonii spiritus nimium acutos ac penetrãtes coërcere, vim omnem purgandi illis detrahere, & de illis remedia aptare, quæ sudorib. blandis ac lenib. transpiratione insensili, consumptione supervacaneorum corporis nostri humorum, nec non impuritatum omniũ abstersione potiùs, quam violenta aliqua & aperta vacuatione cum corporis perturbatione, integram valetudinem restituant.

5. *Vegetabilium spiritus ex mineralium ortum trahunt.*

Quemadmodum autem vegetativum, mediæ, ut jam diximus, inter animale & minerale naturæ, hac participationis utriusque natura convertitur in sensitivum, sicuti ex pane videmus & vino sanguinem progigni: ex sanguine sperma, & ex spermate hominem nasci; sic minerale (ex generali illo rerum omnium inter se consensu) transit in vegetativum: vegetabilibus videlicet per radices mineralium spiritus essentiales, metallicosque exugentibus, quibus tota terra referta est, ut videre est ex tot mineris ferreis præsertim, tantaque lapidum & saxorum varii generis copia, quibus abundat & ex se producit, quæ nihil quàm metallicæ substantiæ sunt.

At licet simplicia vegetantia, cum substantiis metallicis spiritus illos mercuriales, antimoniales & arsenicales naturæ purgantis hauriãt, unde purgantia medicamenta dicuntur, quod felleo quodam amarore, ex spiritibus salis nitrosi, terrestris & metallici, per radices in anatomiam vegetabilium ingressis, scateant: Non usque quaque tamen violentum illum ac periculosum spiritum habent, qualis in prima sua minera & origine, utpote indigestus & crudus tota natura est. Deponit enim virus in vegetabili varia illius coctione ac digestione, puriorque redditur, ut pręter purgandi vim

di vim

di vim & effectum nihil retineat incōmodi, nisi fortè immoderatius, & majore quam par est dosi exhibeatur. Alia autem aliis magis purgantia sunt, in quibus videlicet maior est mercurialium spirituum copia: qui tamen naturæ nostræ nullam vim inferunt. Si tamen quoddam vegetabile arsenicalem spiritum in se habeat, licet non æque perniciosum, ac in ipso arsenico, quod concoctione mitius redditum est: non caret tamen violentia & perniciearsenicalis veneni, quales sunt Napelli, Aconita, & inter lacrymas euphorbium.

Si antimoniali spiritu imbutum sit vegetabile, aut ubicumq; cum alio spiritu coniunctus sit antimonialis & vomitus & secessus violentos inducet; qualia sunt helleborum & titymalorum genera, atque id genus alia: nec pro ratione spiritus violenti, quem in se inclusum habet vegetabile, commotionis & perturbationis est expers. Hinc videre est etiam eiusmodi simplicia vehementis evacuationis, in montibus potius & saxosis locis aut inter rupes, ubi nativa sedes est metallicorum spirituum, quam in pingui & fertili solo luxuriare. Quæ ut mitiora & correctiora reddantur, ac sylvestrem illam suam naturam exuant, in domesticos hortos traducendæ sunt, & transplantandæ. Aliam enim naturam & benignius nutrimentum, quo temperantur, inde mutuantur, quo edulcescunt, & cicurantur. Cum alioqui in montibus benigno illo alimento & sufficiente solis ad coquendum & cruditates temperandas calore, ac cœli benignitate destituantur. Digestionibus enim ac concoctionibus, quæ austera sunt, mitescere solent, & venenosa fiunt salubertima, ita ut arte etiam naturam æmulante, digerendo & concoquendo, ex simplicibus exitialibus præstantissima remedia comparentur. Sed internæ rerum anatomiæ & illarum principiorum certa habenda est cognitio.

Obj. Ast oggeris à corporeo fixoque Mercurio purgatricem vim potius, quam à volatili profundi, idq; probas exilib. admodum & ieiunis rationibus, quod scilicet medicamenta fixa & corporea diutiùs in corpore moram ducant, unde eminus & meliùs vacuent. Egregius utiq; philosophus es, qui ignoras à calore nativo, vel potius à spiritibus naturalibus volatilem & spirituosum Mercurium educi ex medicamento, ut vires suas exerat, nō corpoream & fixam materiam. Quod quàm sit verissimum, ignoras adhuc Philosophe? Nunquid rectè ratiocinaturus es, si dicas, spiritus nutriens in cibo, cum corpore ingeritur in stomachum, ergo corpus est cibi, quod alit, non spiritus. Si corpus est quod alit, transit in similem corporis nostri substantiam. A spiritibus igitur educentur tot stercora, lotia & impuritates corporeæ, quæ excernuntur post concoctionem cibi ubique, cum corpus cibi in substantiam nostrā conversum sit. Quis istam Logicam & Physicam admittat?

Dividuntur medicamenta pur-

gantia, in benigniora, mediocria & fortiora.

Medicamenta purgantia in tres ordines collocantur, quorum *primus* est vehementissimorum, ac malignorum purgantium, quæ semper maiori ex parte sunt actia ac virulenta seu maligna aliqua qualitate referta, quæque non minus nocere quam prodesse idcirco possint, nisi debitè præparata sint, correcta, convenientique pondere ac mensura administrata. Huiusmodi sunt inter radices & herbas *helleborus, esula, peplum atque omnia tithymalorū genera: cucumer asininus, asarū, thymelea, chamalea, & id genus alia: scāmonea & euphorbium inter lacrymas, lathyris, colocynthis inter fructus & semina: Inter lapides Armenius, Cyaneus.* In hunc ordinem retulerunt alii *hermodactilos, turbith*, cuius nomen ipsum perterret, quod à turbando videatur esse dictum. Ego vero inter violenta nolim illa annumerare, ut neque hydragoga illa, quæ ex seminibus extrahuntur, aut vino *ebulino*, atque id genus aliis excipiuntur, quæ quidem tamen, si segniusin nobis operentur, & in corpore restent, citra eam purgationis perfectionem, ad quam erant destinata, possunt quidem nostrum corpus immutare, conturbare & immoderatè calefacere, ut quæ sint à nostra natura admodum aliena, ut docet ipse Galenus.

Alter ordo ex benignorum, quæ sic dicuntur, quòd blandè ac suaviter, citraque molestiam humores noxios, non quidem universi corporis, sed partium duntaxat quarundem vacuent, aluumque leniendo subducant, atque minus ab alimento naturæ deficiant. Quin imò alimenta medicamentosa dici possunt, cujusmodi sunt *herba, malua, violaria, mercurialis brassica, beta, rosa, serum lactis, pruna, tamarindi, manna, cassia medulla, & similia*, quæ nulla alia egent præparatione quàm vulgari, ut tutò exhiberi possint.

In tertium ordinem revocantur *aloë, agaricus, senna, centaurium minus, & inter radices rhabarbarum, polypodium, iris, raphanus sylvestris, gentiana, Eupatorium Mesuæ, sanicula Dodonæi, mechoacam* recens comperta, cujus purgandi vires & effectus *radix vitis alba* admodum æmulatur: ex qua matrici maximè congruens remedium conficitur, quod *feculam Brioniæ* vocant.

An in purgatione semper præferenda sint benigna & amica naturæ, quæ eccoprotica & minorativa vocantur, aliis omnibus? N.

Affirmativam statuit antagonista ac in testimonium citat authoritatem Mesuæ. Hic parum illi favet, siquidem illius Canon aut Axioma non ad curam gravium morborum, sed ad prophylacticem eorum spectat, qui nondum fixas habent intus radices, sed stomachum tantùm & primam corporis regionem obsident, aut leve quid moliuntur, ne in pejus ruant. Qui enim altas in intimis visceribus radices ac mineras egerunt, eccoproticis

cis non avelluntur, nec deturbantur, nec ejusmodi lenibus medicamentis curam adscribit Mesue.

In quem usum autem eccoprotica referenda sint, & quando ac quomodo ejusmodi minorativa sint usurpanda videre poterit, Anonymus in Methodo faciendæ medicinæ vulgari, quæ alibi à nobis exhibetur. Et quorsum eccropotica sola afferat, quæ tantùm expediendæ & purgandæ primæ corporis regioni prosint, quæ que simul omnia congesta, ne tantillum quidem levaminis, etsi centies exhibeantur, conferre possint, cum invalidiora sint, quàm quæ morbi seminaria penitus adoriantur? atque hinc nata est necessitas, ad alia validiora remedia confugiendi, quæ tenaciori morbi causæ eradicandæ apta sint, hoc est, fæci cuidam tartareæ vasibus impactæ, dissolvendæ ac deturbandæ idonea, quæ talia quidem erunt, si arte ad penetrandum ad intimas usque partes, nervos, juncturas & penitissima viscera, ubi sedes morbi delitescit, aptentur, quò usque eccoproticis, ut nimium debilibus, penetratio denegatur. Neque etiam hæc opera remedii vehementis perficiuntur, sed specifici auxilii præparatione, & propria dissolvendi, liquefaciendi, ac vacuandi gūmosas ejusmodi & tartareas impuritates, crassas, terrestres, viscidas ac tenaces, quæ morbos contumacissimos in nobis procreant.

Quin etiam constat in omnibus ferè morbis vel acutissimis, etiam febrium penè semper incendio stipatis, ab Hippocrate vehementiora in auxilium remedia adhibita esse, (quæ Anonymus ipse exitialia & venenata esse judicat) atque imprimis Helleborum, quem Hippocrates usque adeò extulit, ut cui, quando, quomodo, & aptè exhibitus fuerit, ei juventutem restituerit: omnibusque qui eo utantur incolumem sanitatem conservet, & quam diutissimè tueatur.

Bonus ipse Mesue, cujus supra Anonymus noster Canonem citavit, ut probaret: quo benigniora ac familiariora naturæ medicamenta sint, eò tutiora & salubriora, sic de Helleboro scribebat, de nigro ipso loquens, lib. de simpl. cap. de Helleb. Ipsum videlicet tantæ esse virtutis medicamentum, ut impuritates omnes & viscerum corruptiones corrigere ac emendare possit, nec non magna facilitate ac facultate tenuem ac vitiosum humorem crassæ pituitæ, & atræ bili permixtum deturbare ac educere: totam sanguinis massam defæcare ac depurare, venas quascunq; penetrare, & à venis in omnes corporis partes introire, quas ab omnibus suis sordibus repurget. Quin & addit idem Mesue, tantæ esse virtutis ac energiæ, ut nulla pars corporis vel abditissima & in profundo latens, aut remotissima vel ad cutem usque vires & operationes ejus non experiatur. Unde constat specificum esse ac præsentissimum auxilium toti capiti, cerebro, omnibusque sensuum instrumentis, nervis, visceribus omnibus, nec non ipsis etiam articulis felicissimè ac mirè succurrens. Hinc fit ut nullum epilepsiis, maniis, melan-

choliis, paralyſibus, vertiginibus, hemicraniis, ſpleneticis, febribus quartanis, articularibus morbis & id genus chronicis affectibus contumacibus ac deploratis promptius ac utilius remedium offerri poſſit.

Quid reſtat denique quod Helleborus non præſtet? Nihil prorſus, ſi Meſuæ credimus. Cutaneas enim infectiones omnes delet, morphæam ſcabiem, lentigines, impetigines, porrigines, ut mire etiam cutem ipſam nativis coloribus decoret, utiq; halitum ſuaviſſium ac oderatiſſimum conciliet. Poſtremo, ſi mihi ipſius Meſuæ verbis utendum eſt, *Helleborus* inquit, *eſt ſicut theriaca & Medicina per antonomaſiam*) hoc barbaro vocabulo utitur) *ad lepram, cancrum, & ſpecies Herpetis & bothor, & qui ſe comedunt*.

Perpendite an unquam agyrta ullus tantoperè vel aurum potabile commendarit, ac Meſue ſuum Helleborum laudat ac prædicat.

Ut tandem deſiſtat Anonymus ſuis levibus medicamentis ad hærere & valentiora purgantia reiicere; videat quantis laudibus Scribonius Hieram Pacchii efferat, de qua jam ſupra loquuti ſumus, cuius inter ingredientia præcipuum locum occupat Colocynthis, ſolutivum utiq; violentiſſimum ac calidiſſimum, quam comitantur gummi ammoniacum, aromata piperata ſeu ſpecies etiam admodum inflammantes ac adurentes. Ipſam tamen vocat compoſitionem admirandam ad omnem lateris dolorem, ſive cum febre, ſive ſine febre fuerit: ubi etiam videre eſt, quantos effectus illius experientia nota verit variis in morbis, iisq; deploratiſſimis, quibus deſcribendis aut recenſendis tempus deficiat, ac verba defuerint. Præterea ne diutius Antagoniſta benigna ſua eccoprotica fortioribus illis medicamentis ſtomacho noxiis anteponat, audiamus quid porro idem Scribonius loquatur: *Illud vero ſupra opinionem eſt*, (inquit, de Hiera Pacchii verba faciens) *quod ſtomachicis evidenter convenit, cum ſit viroſiſſimum medicamentum adverſus ſtomachum, ne ad levia quidem & ſimplicia medicamenta diſpoſitum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior uſus, ratione eſt: expertus enim unusquisq; intelligit, ſtomacho quoq; hoc medicamentum eximiè prodeſſe.* Tandem prædicatis iſtius medicamenti laudibus in variorum & graviſſimorum morborum curam, ſic demum concludit caput ſuum: *Illud utiq; credas, velim, mihi, dum in aliis expertus perſuadeam hoc medicamentum non ſolum non nocere ſtomacho, verum etiam reficere ac confirmare eum ſupra omnem opinionem*. Hinc diſcat Anonymus antiquos Medicos in graviſſimis ac deploratiſſimis morbis tum curandis, tum corroborandis, & reſtituendis male affectis ac enervatis ventriculis, ac ſtomachis non ſemper lenibus illis eccoproticis, ſed vehementioribus ac acrioribus medicamentis, qualis eſt colocynthis & id genus alia, uſos eſſe, cum non niſi eiuſmodi remediis ſatis intelligerent vim graviorum morborum infringi poſſe, quibus abigendis leviora imparia ſint.

Poſſem in hunc finem innumerabi-

rabilia alia remedia proferre ex Græcis autoribus, Latinis ac Arabibus desumpta: quibus fidem facerem, celebriores Medicos vehementissima illa remedia & fortissima ad curationem pessimorum morborum non levia illa semper adhibuisse, quorum tamen non erant ignari. Sed quorsum de his plura.

Cap. XII.

De Methodo medicinæ faciendæ vulgari.

EX Methodo, quam ab Arabibus in primis didicimus, quamque methodum boni omnes Medici in Praxi hodie sequũtur est, ut videl. primo loco primam corporis regionem omnibus impuritatibus expediant. Deinde præparantibus utantur digerentibus ac attenuantibus, morbum aut morbi causam spectantibus, quod vulgò syrupis, decoctis, apozematibus præstatur: idque sic agant, ne crassæ illæ impuritates, si jupelis illis corpus non exhauriretur, vasa obstruant, corrumpant ac magis noceant, eò vi ac subtilitate digerentium & attenuantium pertractæ, à quibus nullum immineat periculum, si prius deturbatæ fuerint.

Post præparantium usum (celebratâ etiam maturè phlebotomiâ, si res postulaverit) transitur ad purgationem, morbi causam & radices avulsuram, modò ex infuso aut decocto sennæ agarici, rhab. concinnatam: adjecto pro delicatioribus syrupo rosato solutivo, prout lene fuerit malum & radicum debilium aut ab humore tenui, non crasso, facilisque motus suscitatum; modò juxta naturam mali fortioris ac contumacioris, & fixis radicibus hærentis, aut pro ægrotantis natura validiore aut robustiore, adduntur purgantibus remediis, vel tabellæ diacarthami vel de citro: elect. de succo rosarum, diaphænicum, tryphera persica, confectio hamech, elect. Indum majus & minus: vel etiam in pervicacioribus ac rebellioribus affectibus adjiciũtur Hiera Logadii, Pacchii, & id genus alia, de quibus jam fecimus mentionem, & quarum hierarum admirandos effectus prædicat Scribonius loco jam citato, in omnibus vel deploratissimis morbis ac etiam in debilitate ipsiusmet ventriculi. Ita ut nunquam tantis laudibus vel aurum ipsum potabile à circulatoribus (cujus vera pręparatio id genus hominibus ignota est) celebretur. Interim tamen si hujusmodi remediorum descriptionem, ingredientia præparationem, correctionem, saporem intueamur, horrenda in plurimis videamus, quæ satiùs est supprimi, quàm exprimi, cùm adhuc nobis nauseam moveat eorum recordatio.

Modo etiam electuariorum ejusmodi mollium aut solidorum loco ad radicem evertuncandam usurpantur pilulæ: quas & gummi admodum calida nec non scammonea colocynthis atque euphorbium ipsum, tanquã etiam basis malagmatis, ingrediuntur, vel interdum decocta parant, seu apo-

zemata ex rad. fructibus, seminibus & floribus morbo congruentibus aptisque purgantibus, ut una eademq; via ac methodo humores noxii tum præparentur, tum deturbentur, idque per Epicrasim, ut vocant.

Atque hæc est vulgaris ac quotidiana faciendæ Medicinæ methodus.

Finis Tomi primi.

[illegible] 6.